HISTORIA DIPLOMATICA

FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUAE SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES,

[illegible]

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

[illegible]

TOMUS VI.

PARS II.

PARISIIS

EXCUDEBAT HENRICUS PLON,

[illegible] VIA DICTA GARANCIÈRE

MDCCCLXI

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

HISTORIA DIPLOMATICA

FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUAE SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES,

IN ARCHIVO CAESAREO PARISIENSI ARCHIVARIUS.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS VI.

PARS II.

PARISIIS

EXCUDEBAT HENRICUS PLON,

8, VIA DICTA GARANCIÈRE.

MDCCCLXI

HISTORIAE DIPLOMATICAE

PARS OCTAVA.

A MENSE JULIO 1247 AD MENSEM DECEMBREM 1250.

TOMI SEXTI PARS SECUNDA.

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

ANNO 1247. — INDICTIONE 5.

Anno Domini M. CC. XLVII pauci milites de Parma, banniti imperatoris, venerunt de Placentia et intraverunt Parmam et expulerunt partem imperatoris die XV intrante junio . . . . Et concionem congregaverunt Parmenses et elegerunt dominum Gerardum de Corrigio in potestatem, et hoc fuit die dominica XVI intrante junio. *Salimbeni chronicon,* fol. 288. — Die dominico ultimo mensis junii proximi, imperator cum comitiva militum a partibus Taurini veniens civitatem Cremonae intravit. Invento enim ibi Ezolino qui in sua comitiva habebat DC milites, die martis proximi ad exercitum [regis Entii] accessit; qui statim transiens fluvium Tarii castrametatus est apud Sanctum Brancaxinum. . . . . [et deinde] sua castra juxta civitatem Parmae fixit. *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 211, 212.

Innocentius papa episcopo Ostiensi et tribus aliis cardinalibus de prospero successu suo contra Fridericum quondam impera- Lugduni, 2 julii.

torem scribit, nuntiatque regem Franciae magnum exercitum convocare quo facilius novus rex Romanorum in Germania eligi possit.

(Memorat. ap. PERTZ, *Archiv der Gesellschaft*, etc., t. VII, p. 31, ex instrumentis miscellis in vet. arch. castri Sancti Angeli, n° 61. Hanc epistolam quam non parvi momenti habendam esse censemus, tum in regestis manuscriptis, tum in Bullario frustra disquisivimus.)

Innocentius, etc. Credentes, immo pro certo tenentes, etc.
Datum Lugduni, VI nonas julii, anno pontificatus nostri V.

In castris in obsidione Parmae, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, sententiam a Bertholdo marchione de Hohenburg, imperii a Papia superius vicario generali, inter Astenses et Albenses prolatam super exhabitatione plani Charasci, approbat et confirmat.

(Edid. G. DI S. QUINTINO, *Degli antich. march. di Busca*, ex descript. Mss Pedemontis ab Agostino Della Chiesa, t. II, fol. 165, ap. *Memor. dell. real. Acad. di Torino*, ser. II, t. XV, p. 301.)

Federicus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod nos processum Bertholdi marchionis de Honeburg sacri Romani imperii a Papia superius vicarii generalis, dilecti fidelis nostri, inter Astenses et Albenses suber exhabitatione plani Charasci habitum, bannum et emissam et probatam sententiam (1) ab eodem, utpote nostre majestatis beneplacito consona duximus appro-

---

(1) Ista sententia in favorem Astensium contra Albenses emissa jusserat vicarius ut omnes habitatores novi Cherascii infra brevem terminum in suos proprios fines reverterentur. Cf. AGOSTINO DELLA CHIESA, *Corona reale di Savoia*, t. II, p. 121.

banda et presentis scripti nostri auctoritate firmamus; ipsamque faciemus auctoritate nostra inviolabiliter observari, presentis scripti serie districte mandantes quatenus nulla universitas vel singularis persona contra presentis scripti nostri tenorem ausu temerario venire presumat. Quod si presumpserit universitas. . . . . . singularis vero centum marcharum argenti preter indignationem nostram penam incurrat, etc. (*sic*).

Datum in castris in obsidione Parme, per manus magistri [Petri] de Vinea, imperialis aule protonotarii et regni Sicilie logothete, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, mense julii, quinta indictione, imperante domino nostro Federico Dei gratia invictissimo imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, imperii vero ejus anno XXVIII, regni Hierusalem XXII, regni vero Sicilie XXIX (?), feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Berardi archiepiscopi Panormitani, privilegia ecclesiae Panormitanae confirmat, quorum prior confirmatio fortuito casu deperdita fuerat. In castris in obsidione Parmae, julio.

(Edid. Mongitore, *Bullae, privileg. et instrum. Panormit. ecclesiae*, p. 106.)

Datum in castris in obsidione Parme, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, mense julii, quinta indictione. .

Fridericus, Romanorum imperator, scribit regi Franciae quod cum Lugdunum ad offerendam purgationem suam contenderet, inopinatus rumor rebellionis Parmae propositum suum mutavit et regredi coegit ad obsidendam hanc civitatem, quam brevi in dominio suo redigendam denuntiat. [Ineunte julio.]

(Edider. MARTENE et DURAND, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1139-1140, n° V; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain*, n° 455, pars I.)

Fredericus, etc. . . . . regi Francie, etc. . . . .

Qualiter ad offerendam purgationem personalem super infamie notam qua in congregatione prelatorum apud Lugdunum contra Deum et omnem justiciam iste summus pontifex nos notavit, infallibiliter Lugdunum disposuerimus nos conferre et abinde postea cum consanguineis nostris ipsarum partium solempni colloquio celebrato, in Germaniam dirigere feliciter gressus nostros, magnificentiam regiam precedentes excellentie nostre littere docuerunt. Nobis deinde usque ad radices montium procedentibus, inopinatus, quin potius inopinabilis nobis rumor occurrit quod quidam banniti nostri quos de civitate Parme concepte jam pridem contra nos et sacrum imperium proditionis timor ejecerat, potestate civitatis ejusdem et quibusdam sociis suis nequiter interfectis, Parmam incredibiliter intraverunt. Propter quod cum cordi nostro sit cura precipua de reformando statu Italie quam frequentes turbationes et subite concutiunt, juxta morem magnificentie nostre, propositum quo ad partes intendebamus procedere transalpinas ex causa predicta proinde revocantes, ad presens festinis gressibus regredimur versus Parmam, in ejusdem eversionis precipitio indubitabilem fiduciam obtinentes quod cum civitas ipsa locus sit penitus immunitus, impugnantium nisibus obstare imparata, milites fere omnes ipsius incepte rebellionis expertes et magna pars popularium cum eisdem in nostra devotione persistant, extra civitatem manentes cum dilecto filio nostro Henrico rege Sardinie et sacri imperii legato in Italia generali, qui cum eo processerant ad obsidionem cujusdam castri nostrorum rebellium in Brixiano (1), cum dicti banniti talia patraverunt, cumque etiam circumcirca civitatum, castrorum et aliorum locorum nobis et sacro imperio devote parentium cincta sit viribus civitas antedicta, in brevi eam ab errore resipiscere et nos recognoscere suum dominum oportebit, ad fidem

(1) « Interea rex Encius cum Cremonensibus apud Quinzanum castrum Brixiae sua fixit tentoria, castrum illud cum aedificiis expugnando. » *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 211.

et mandata nostra redeundo voluntarie vel coacte, cum serenitas nostra firmiter alta mente conceperit civitatem eamdem indesinenter et potenter arctare, donec ipsam ad nostrum reducamus dominium venia vel vindicta. Ceterum ea que. . . . . magister marchie (a), H. de Rinellis (b), et magister Margaritus capellanus noster, dilecti fideles nostri, vobis ex parte nostra retulerint indubie credatis.

Fridericus, Romanorum imperator, nuntiat capitaneo regni Siciliae quomodo intendebat ire Lugdunum, ad praesentiam domini papae, sed ab itinere propter rebellionem Parmae revocatus, in obsidione hujus urbis insistit. [Julio.]

(Edit. ap. *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. XLIX; coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., praecipue *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Fridericus, etc. Repetentibus nobis nuper Italiam, post statum regni salubriter ordinatum, ad dissensionis tam longe materiam, que inter nos et Ecclesiam vertitur, finaliter decidendam, ad nostros et fidelium nostrorum, quibus compunctiva charitate compatimur, labores et sumptus totaliter finiendos, ad tollendam denique morbi nascentis originem, ne presens incurreret infirmitas recidiva; altissimi nobis plenitudo consilii, sicut infallibiliter opinamur, occurrit, quod non ut hactenus per ambages et devia, non per inutiles circumstantias aut quelibet intervalla, sed per ipsius naturam negocii finem tanti discriminis attingentes, Lugdunum recta via procedere deberemus, cause nostre justitiam presentialiter et potenter in adversarii nostri facie coram transalpinis gentibus posituri; ac

(a) In codice neque rectius *dominus Mathie;* legendum putamus *magister marescallie :* forsitan subaudiendum *Petrus Rufus.*

(b) Ap. Martene *de Renellis* seu *Ranellis.* Verisimiliter agitur de Henrico de Rivelio, uno ex familiaribus, qui anno sequenti 1248, mense julio, vicarius imperii a Papia superius extitit.

deinde confestim repetituri Germaniam, ad motus ejus, quos aliquorum infidelium provocavit iniquitas, salubriter componendos. Hoc autem tam salubre propositum, velut finem tanto discrimini positurum, Italicorum et Transalpinorum communis opinio omnium commendabat, qui gloriosum nostre majestatis accessum continuis missionibus et precum confusionibus evocantes, desideratam mundo pacem propterea proventuram, vel insurrecturas in petra scandali seditiones et jurgia nationum infallibiliter asserebant. Sed papa interea de terre sancte, proh dolor, luctuosa desolatione non curans, que Christiani sanguinis effusione dispersa, dum filios deplorat extinctos, justam de hostibus exigit ultionem, de qua fidei nostre cultus divinitus et doctrina processit, ad infidelium nostrorum conversus auxilia, qui caput heresis nutriunt que jam profecto universam Liguriam, quamquam eam noster ensis opprimeret, infecerat, copiosam ultramontanorum militum comitivam, de pecunia que sibi nec ad tales usus de fidelium manu porrigitur pro suis stipendiis solidatam, subtili quidem, licet malitioso consilio, in consortia Mediolanensium mittere conatus incassum; quorum presentia vel post tergum nobis Italiam traheret, vel processum nostri culminis post Lugdunense concilium [in] Germaniam impediret, spe frustratus omnino de conatibus suis irreparabiliter excidit et turpiter perdidit quod expendit. Comes enim Sabaudie dilectus affinis et fidelis noster, ac fideles alii perennem imperii nostri victoriam magnanimiter procurantes, militibus ipsis per angustias et angusta montium transire parantibus omnem prorsus aditum in perpetuum obstruxerunt. Eramus itaque compositis omnibus et rebus succedentibus nobis ad votum, jam ad iter accincti : quod predictus comes Sabaudie et Delphinus comes Vienne, dilectus consanguineus et fidelis noster, ac fideles alii ad pedes nostros humili devotione prostrati, per terras suas nobis peropportunum paraverant, et necessariis omnibus effecerant copiosum. Quo cum repente fortunam Cesaream constitit processisse, que nunc demum nobiscum gloriosius provenit, quod nobis cum primo de qualibet conditione contenderit (*a*), se processibus nostris circa radices Alpium, in ipso

(*a*) Locus tum in impresso, tum in codicibus obscurus.

Lugdunensis itineris objecit ingressu rumor inopinatus de Parme infida rebellione nuncium proferens, quam ejectorum dudum per nefarie proditionis offensam infidelium repentinus incursus, mediantibus fraudis intestine suffragiis, occupavit. Prebentes igitur necessarium firmato vie nostre processui modici temporis intervallum, in obsidionem Parme victricia signa nostra convertimus, totius in ea bellum Ligurie, quod latenter hactenus nutriebat, pro voto fidelium potentissime paraturi : nec est etenim habilis resistentie locus, quem murorum non munit ambitus aut concavitas fossatorum, et quem necessariorum babilitas copiosa non replet; cum propter subiti casus perniciem, nihil illuc ex proposito fuerit comportatum; quem demum fugitivorum manus timorosa [non] tuebitur, si vires publice tuitionis assumere nequierunt, qui proprie vite spem hactenus in solo fuge refugio posuerunt. Cum igitur ex descriptione presentium laborum nostrorum finem circa Ligurii belli reliquias finaliter et specialiter conterendas imponere intendamus; presertim cum de Germania charissimi filii nostri Conradi in Romanorum regem electi et regni Hierosolymitani heredis se suppliciter incurvante mandatis, nullius causa dubitationis assurgat, spiritu confortationis assumpto, servitiis nostris indesinenter intende, ac fidelium nostrorum provincie tibi decrete animos, quos absentie nostre consumit anxietas, presentis lectionis nova letificent, sic quod nos de te et ipsis obsequiosa fidelitas et fructuosa devotio reddant frequentius more solito letiores.

Fridericus, Romanorum imperator, cuidam Tusciae communitati mandat quod mittat ad exercitum omnes bellatores, quum de proxima deditione Parmae fiduciam jam conceperit. [Julio.]

(Edit. ap. *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. LXXXVI; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, 202 et cum diversis tum Angliae tum Germaniae codicibus.)

Fridericus, etc. Ut de felicibus excellentie nostre processibus recrea-

tionis spiritum a nobis devotio vestra suscipiat, et nobiscum expectate victorie, cujus de nefanda rebellione Parmensium indubitatam spem gerimus, grata participatione letetur, scire vos volumus quod die martis secundo presentis mensis (a), ad obsidionem Parme victoriose processimus: assistentibus nobis nostrorum fidelium viribus, qui de adjacentibus Liguric partibus voluntarie convenerunt. Quare devotioni vestre precipimus quatenus, sicut unquam gratiam nostram charam habetis et nostram ac imperii exaltationem diligitis, ad requisitionem Friderici de Antiochia, comitis Albe et sacri imperii in Thuscia vicarii generalis, dilecti filii nostri, cui exinde scribimus, quantumcumque potestis multitudinem bellatorum ad felicem exercitum nostrum, cujus est jam presto victoria, potenter et hilariter transmittatis: de quesite laudis titulis letaturi, cum de ipsius celeri expugnatione fiduciam egredientium continue de terra ipsa relatio, quos non in modica quantitate presentis potentie nostre timor educit, indubitabilem largiatur, etc.

[Julio.] Fridericus de Antiochia, imperii in Tuscia vicarius, receptis litteris fratris sui Henrici regis, imperialis in Italia legati, quibusdam fidelibus mandat ut secum ad obsidionem Parmae celeriter veniant.

(Edit. ap. *Petri de Vin. epist.*, lib. V, cap. CXVII et CXVIII; lib. II, cap. LIX.)

I

Intellectis per vos ex vestrarum serie literarum, et gratanter receptis rumoribus de victoria et triumpho per vos laudabiliter habitis contra rebelles imperii, exinde concipientes gaudium immensum, studium evidens

(a) In impresso *die secundo praesentis mensis augusti*. Quem locum accurate correximus ad fidem codicum Harleiani in britannico Musaeo, Bodleiani 136 apud Oxoniam, philologi Vindob. 72, Stuttgartensis 245.

et solicitudinem vestram non immerito commendamus, cum operum vestrorum potens efficacia in his et aliis vestram fidem synceram, quam erga imperatoriam majestatem incessanter geritis et habetis, commendabilem representet. Et ecce quod ad gaudium nova ardua et prospera de sinistro casu, qui accidit de civitate Parmensi, presentibus vobis intimamus. Noveritis igitur, nos ab illustri viro, domino Heinrico rege Sardinie, sacri imperii in Romaniola (*sic*) vicario generali, etc., recepisse literas in hac forma : Heinricus, etc., nobili viro Friderico de Antiochia, etc. . . . . . Verum, cum ad omnem exaltationem sacre imperatorie majestatis intendere sine intermissione aliqua teneamur; vos pro parte serenissimi domini patris nostri instanter requirimus, et ex nostra rogamus attentius quatenus, sicut unquam circa imperialia obsequia, ad que vos deditos fore cognoscimus, vigiles et soliciti extitistis, ita ad presens et in futurum more solito et magis, si dici potest, in omne augmentum et honorem imperialis culminis existentes, per operum efficaciam vester affectus, quasi in naturam conversus, in conspectu serenissimi patris nostri per effectum operis vos demonstret laudabilem et acceptum. Propterea noveritis per presentes quod die qua litere prefate pro parte ejusdem regis illustris, charissimi fratris nostri, nobis presentate fuerunt, per nuncium nostrum specialem didicimus manifeste quod serenissimus pater noster apud Taurinum existens, intellecto Parmensium nefando processu, iter arripuit, versus Parmam feliciter veniendo in brachio excelso et manu potenti, ad ipsorum Parmensium malitiam, ut convenit, totaliter refrenandam : et quod jam cum innumerabili exercitu sua castra applicuerat contra Parmam et usque ad caput pontis civitatis ipsins, et quod jam tertiam partem terre illius capi et expugnari fecerat viriliter et potenter; et sic successive omnem ipsorum fortitudinem expugnando, tam civitatem ipsam quam comitem Bonifacium, et alios plures imperii proditores inibi existentes, velut reclusos in eadem, victrix manus imperii capiet et conteret prout decet.

II

Vestrorum corda, velut imperii fidelium devotorum, de prosperis novis contingentibus recreari volentes, de sinistro casu civitatis Parmensis, qui nuper accidit eorum malicia insurgente, [vobis intimamus] ut una vobiscum proinde recreati, ad exaltationem serenissimi patris nostri et ad Parmensium ipsorum maliciam refrenandam, qui viam rectam vere fidelitatis obliti, in sinistram partem eorum pravos animos converterunt, assumptis viribus vestris et aliorum imperii fidelium jurisdictionis nostre, in manu forti contra eos viriliter procedere intendamus. Vestra noscat sincera devotio et commendata fidelitas nos à magnifico viro domino H. illustri rege Sardinie, recepisse literas in hac forma : Nobili viro Friderico de Antiochia, etc., Heinricus, Dei gratia rex Turrium et Galluri, etc. Volentes igitur predicta omnia cum celeritate qua convenit exequi, prout decet, vos pro parte serenissimi patris nostri instanter requirimus, et ex nostra rogamus et hortamur attentius quatenus statim receptis presentibus, more solito, fideliter et devote circa imperialia obsequia animorum vestrorum curam vigilem adhibentes, equis et armis apparatum laudabilem faciatis, quemadmodum tam grande negocium exposcit ad presens : ita quod ad aliam requisitionem nostram, tam fideliter quam laudabiliter una nobiscum, si opus fuerit pro predictis, ut convenit, veniatis.

III

Corda vestra, velut imperii fidelium devotorum, de prosperis novis contingentibus recreari volentes, de sinistro casu civitatis Parmensis, qui nuper accidit eorum malitia insurgente(*a*), ut una vobiscum proinde recreati ad exaltationem serenissimi patris nostri et ad Parmensium ipsorum malitiam refrenandam, qui viam rectam vere fidelitatis obliti, in sinistram partem eorum pravos animos converterunt, assumptis viribus nostris et aliorum imperii fidelium jurisdictionis nostre, in manu forti viriliter procedere intendamus. Vestra noscat syncera devotio et com-

(*a*) Ibi quaedam sicut in praecedente deesse videntur, dum sensus non adsit integer.

mendanda fidelitas nos a magnifico viro domino H. illustri rege Sardinie recepisse literas in hac forma : Nobili viro Friderico de Antiochia, etc., Henricus Dei et imperiali gratia rex Turrium et Galluri, etc. Litteras serenissimi patris nostri recepimus in hac forma : Fredericus, etc. . . . . Volentes igitur predicta omnia cum celeritate que convenit exequi, prout decet, vos pro parte serenissimi patris nostri instanter requirimus, et ex nostra rogamus attentius et hortamur quatenus statim receptis presentibus more solito, fideliter et devote circa imperii obsequia animorum vestrorum curam vigilem adhibentes, armis et equis apparatum laudabilem faciatis, quemadmodum magnum et tam grande negocium exposcit ad presens; ita quod ad aliam requisitionem tam fideliter quam laudabiliter una nobiscum, si opus fuerit pro predictis, ut convenit, veniatis.

Goffridus Catalanus, imperialis justiciarius Principatus et terrae Beneventanae, Johannem Trogisium syndicum universitatis hominum casalis Sancti Petri de Polla pro parte ipsorum hominum ab impetitione Laurentii syndici universitatis castri Pollae, scilicet de communicatione collectarum, absolvit. Beneventi, 18 julii.

(Inedit. ex archivo monast. Cavensis, origin., arm. M, n° 36. — Cf. privilegium Friderici imperatoris de re eadem, ad ann. 1235, mense martii, quod supra, t. IV, p. 533 exhibetur.)

Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, die jovis octavo decimo julii, quinte indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege feliciter, amen. Dum nos Goffridus Catalanus, imperialis justiciarius Principatus et terre Beneventane, apud Salernum curiam regeremus, assidente nobis magistro Petro de Capua de imperiali mandato in justiciariatu judice, Johannes Trogisius syndicus universitatis hominum casalis Sancti Petri de Polla petiit a nobis pro parte

dicte universitatis ut in causa que vertebatur inter eum ex predicte universitatis (a) ex parte una et Laurencium de Polla syndicum universitatis castri Polle pro parte ipsius universitatis ex altera et coram Thomasio de Molisio in officio precessore (*sic*) nostro fuerat incepta et nondum sententialiter terminata, prout per acta ipsius constare poterat, secundum justitiam procedere deberemus. Cujus petitionem utpote justam et juri consonam admittentes, visis actis predicti precessoris nostri, invenimus predictum Laurentium syndicum universitatis hominum castri Polle pro parte ipsius universitatis contra predictum Johannem syndicum predictorum hominum casalis Sancti Petri de Polla pro parte ipsorum, libellum proposuisse in imperiali curia in hunc modum, etc. (b) . . . .
(Petente dicto Laurentio ut homines casalis Sancti Petri de Polla communicent cum hominibus castri Polle in exactionibus imperialibus et collectis, et fixo termino ut comparerent iterum partes, dictus Laurentius recessit sine licentia curie et novo fixo termino, scilicet ad decimum ejusdem mensis julii diem, nullatenus comparuit. Unde exceptionibus hominum casalis Sancti Petri probatis, justitiarius imperialis dictos homines absolvit a petitione dicti Laurentii, quem condemnat in unciis auri tribus erga predictum Johannem syndicum per sententiam scriptam a Mirabello in justiciariatu actorum notario, apud Beneventum.)

Panormi, augusto.

Philippus de Catania, imperialis magister camerarius in Sicilia citra flumen Salsum, Guillelmo de Panormo Biccarensi canonico juxta tenorem imperialium constitutionum, post inquisitionem factam decimas ipsi debitas exsolvi jubet.

(Edtd. MONGITORE, *Bullae, privileg. et instrum. Panorm. ecclesiae*, p. 113, ex transumpto authent. ann. 1252, 29 augusti.)

(a) Deest unum verbum.

(b) Sequitur minoris momenti instrumentum cujus substantiam tantum expromimus.

In nomine Dei eterni, amen. Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, mense augusti, quinte indictionis, imperante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie gloriosissimo rege, anno imperii ejusdem vicesimo septimo feliciter, amen. Nos Philippus de Cathania, imperialis magister camerarius in Sicilia citra flumen Salsum, presenti scripto notum facimus universis quod cum essemus apud Panormum pro servitiis imperialibus exequendis, assidente nobis magistro Nicolao de Asta imperialis curie judice, et domino Guillelmo de Panormo Biccarensi canonico petente a nobis sibi solvi decimas debitas ipsi ratione Panormitane matris ecclesie de proventibus veterum imperialium demaniorum terre Biccaris ad officium nostrum spectantium pro anno presenti, quinte indictionis, sicut eas retroactis temporibus idem dominus Guillelmus percipere consuevit de proventibus ipsis, imperiale mandatum de solvendis decimis prelatis ecclesiarum et clericis nobis factum observare volentes, videlicet quod a prelatis et aliis clericis jurisdictionis nostre predictas decimas exolvi sibi petentibus probationes requirere debeamus quod tempore obitus matris ejusdem domini nostri recordationis inclyte et abinde usque nunc in pacifica possessione fuerint perceptionis ipsarum, a predicto domino Guillelmo super predictis decimis ab eo petitis probationes hujusmodi requisivimus faciendas. Qui ad probandum de jure suo super predictis decimis quamplures testes produxit coram magistro Martino de Calathafimi judice contractuum in Panormo et magistro Juncta publico tabellione ejusdem terre, quibus super hoc pro parte imperialis curie commisimus vicem nostram. Quorum testium depositiones sub sigillis predictorum et imperialis curie recepimus presentatas. Nos autem qui supra magister camerarius, ipsis depositionibus publicatis et ipsarum efficacia diligenter inspecta ac demum habito super ipsis consilio diligenter, quia invenimus dictum dominum Guillelmum de Panormo sufficienter probasse quod ipse et predecessores sui tempore obitus dive auguste imperatricis Constantie matris domini nostri felicis memorie et ab inde usque nunc fuerunt in pacifica possessione vel quasi perceptione decimarum predictarum, permisimus dictum dominum Guillelmum frui et gau-

dere pacifica possessiono perceptionis decimarum predictarum, et ipsas per officiales curie pro anno presenti quinte indictionis eidem domino Guillelmo jussimus exolvendas. Unde ad futuram memoriam et predicti domini Guillelmi cautelam, presens scriptum prebende sibi exinde fieri fecimus per manus Henrici de Panormo imperialis curie actorum notarii, nostra et predicti judicis subscriptione munitum.

Scriptum Panormi, anno, mense et indictiono premissis.

† Nos Philippus de Catania qui supra magister camerarius.

† Ego magister Nicolaus de Asta qui supra, imperialis curie judex, me propria manu subscripsi.

[Augusto.] Fridericus, Romanorum imperator, scribit Mutinensibus fidelibus suis quod sibi in obsidione Parmae detento honorabilem armatorum comitivam transmittant.

(Edit. ap. *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. LXXVII.)

Benigne recepit excellentia nostra literas quas misistis, et earum plene collegimus intimata. Gratum gerimus admodum quod felices audire rumores de prosperis nostris processibns cupientes, vos ad nostra servitia promptos et avidos obtulistis. De quibus volentes vestra viscera recreare, fidelitati vestre tenore presentium intimamus quod nos ad puniendum proditorum Parmensium perfidiam, eorumque superbiam conterendam, in numeroso exercitu congregato, cum Lombardis nostris fidelibus, qui juxta mandatum nostrum nobis assistunt, unanimiter et potenter ad obsidionem Parmensium processimus : eandem sic strictius coarctantes quod ipsam procul dubio voluntariam vel invitam redire in brevi ad nostrum dominium oportebit. Volumus igitur et mandamus quatenus, ut tante victorie participes existentes, armatorum honorabilem comitivam, sicut unquam nobis placere cupitis et servire, ad nostram presentiam celeriter transmittere studeatis.

Fridericus, Romanorum imperator, Viterbienses ad fidelitatem suam redeuntes in gratia sua recipit, banna eis relaxat, bonosque usus et consuetudines confirmat.

In castris in obsidione Parmae, augusto.

(Edider. Bussi, *Storia di Viterbo*, append., p. 407. — Lami, *Sanctae eccles. Flor. Monum.*, t. I, p. 488. — Bena et Camici, *Supplem. d'istor. Tosc.*, t. XII, p. 49.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Preclara virtus in principe consuevit semper esse clementia cujus instantia si divina potentia vincitur, majoribus celebrari debeat victa preconiis quam si victrix armorum discrimine triumpharet. Sane hoc est utile, hoc civile regis prepotentis imperium ut noxios subditos quos potest dextera viribus fulta conterere, per venie gratiam dignetur ad regimen sui culminis revocare. Hec tamen clementia illis debet esse clementior qui a dominii nostri fide paucorum perfidia divisi, quam primum possunt jugum illicite potestatis excutere, ad naturale dominium revertuntur. Per presens itaque privilegium tam presens etas noverit quam successura posteritas quod commune Viterbii fideles nostri qui quorumdam de ipsa civitate Viterbii operante nequitia, non tamen voluntarii, sed ignari vel pravis seducti consiliis a fide nostri nominis aliquando deviasse videbantur, ab erroris tramite recedentes et ad recta corda conversi nostris se dederunt beneplacitis et preceptis, fugatis et ab eorum communione repulsis hiis qui causam transgressionis eisdem suasionibus callidis tribuerunt, ipsos in destructionem bonorum et plene subversionis judicium persequentes. Nos Viterbiensium eorumdem zelo fidei diligenter attento, antique devotionis etiam non immemores existentes quam ad majestatis nostre personam et sacrum imperium diutius habuisse noscuntur in tuitione nostri culminis respirantes, precipue contra eos qui eorum sanguinem sitientes ad finalem aspirant interitum eorumdem, contra quos sola

eos brachii nostri potentia defensavit, culpas omnes, offensiones et banna que predicte transgressionis occasione contra nos et sacrum imperium commiserunt, eis de gratia nostra et imperialis plenitudine potestatis omnino remittimus et in perpetuum relaxamus; confirmantes ipsis omnes bonos usus et approbatas consuetudines quales hactenus usque nunc usi fuisse noscuntur. Predictam etiam civitatem Viterbii et cives ejusdem singulariter singulos et universaliter universos, preter eos tantummodo qui criminis conscii perpetrati et vulneratas sibi conscientias sentientes civitatem ipsam dum ad nostrum dominium et mandatum rediit reliquerunt, seipsos participatione fidelium reputantes indignos, plene in nostram gratiam recepimus et favorem, ita ut nec in personis ipsorum nec in rebus dispendium a nobis aut officialibus nostris propter ea pertineat; quin potius civitatem eamdem et cives in bono statu tenere, manutenere, fovere velimus ac regere, sicut aliquam aliam civitatem Italie que semper in fide ac devotione nostra perstitit et nullo unqnam tempore notam transgressionis incurrit. Statuimus itaque et imperiali sancimus edicto quatenus nullus dux, nullus marchio, nullus archiepiscopus vel episcopus, nullus comes aut vicecomes, nullus legatus, vicarius aut capitaneus, potestas aut rector, nulla civitas, nullum commune, nulla universitas, nulla denique persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, antedictos Viterbienses fideles nostros in fide et devotione nostra et imperii persistentes et a nostris ac imperii servitiis minime recedentes contra presentis privilegii nostri tenorem ausu temerario inquietare, molestare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem culminis nostri se noverit incursurum et centum libras auri optimi pro pena compositurum, quarum medietas fisco nostro et reliqua medietas passis injuriam applicetur. Ad hujusmodi autem rei memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per Petrum de Capua notarium et fidelem nostrum scribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes fuerunt dilecti filii nostri Henricus illustris rex Sardinie et sacri imperii legatus in Italia generalis, et Fridericus de Antiochia comes Albe, sacri imperii in Tuscia vicarius generalis, Mainfredus mar-

chio Lancee, Eczelinus de Romano, Ubertus marchio Pelavicinus, Petrus de Calabria mariscallie nostre magister, Tadeus de Suessa magne curie nostre judex, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, mense augusti, V indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno vicesimo septimo, regni Ierusalem vicesimo secundo, regni vero Sicilie quadragesimo nono, feliciter. Amen.

Datum in castris in obsidione Parme, anno, mense et indictione prescriptis.

Innocentius papa praeposito de Olemberg mandat quod homines de Subritz et de Sarnen villamque ipsam Lucernensem, nisi a servitio et fidelitate Friderici quondam imperatoris recedant, excommunicationis et interdicti sententiae supponat. Lugduni, 28 augusti.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, supplem., p. 484, e cod. Vatic. 7188.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio. . . . . . preposito ecclesie de Olimberc ordinis sancti Augustini, Basiliensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecto filio nobili viro Rodolpho seniore comite de Habsburc, devoto nostro, accepimus intimante quod de Subritz et de Sarnen locorum homines Constantiensis diocesis qui ad ipsum hereditario jure spectant, a fidelitate et dominio ejusdem temere recedentes, Friderico quondam imperatori post latam in ipsum et fautores suos excommunicationis sententiam nequiter adheserunt. Et licet postmodum ducti consilio saniori, prestito juramento firmarint quod sub dicti comitis dominio de cetero persistentes, ipsi Friderico vel alicui alteri contra ipsum minime obedirent, iidem tamen juramenti religione ac lata

in adherentes et faventes predicto Frederico sententia excommunicationis damnabiliter vilipensis et fidelitate temere relegata, se ab ejus dominio subducentes prefato Friderico assistunt contra ipsum et Ecclesiam pro viribus et potenter. Quia vero dignum est ut qui diligunt maledictionem veniat eis et qui nolunt benedictionem prolongetur ab illis, mandamus quatenus si res ita se habeat, prenominatos homines nisi ab eodem Friderico infra competentem terminum a te prefigendum eisdem [recedant] ac ad unitatem Ecclesie revertantur ipsique comiti velut suo domino in devotione hujusmodi persistenti studeant obsequi, ut tenentur, nec non et homines ville Lucernensis, si tibi eos illis communicare ac prefato Friderico favere constiterit in premissis, denunties excommunicationis sententie subjacere, ac ipsa loca et villam Lucernensem supponas sententie interdicti, faciens utramque sententiam auctoritate nostra sublato appellationis obice usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, processurus super his alias prout videris expedire.

Datum Lugduni, V kalendas septembris, anno pontificatus nostri V.

In castris in obsidione Parmae, 9 septembris.

Fridericus, Romanorum imperator, statuit ut quoties potestas Auximi pro servitiis imperii a civitate proficisci contigerit, non ultra viginti solidos per diem exigere praesumat.

(Edidit Martorelli, *Memorie histor. d'Osimo*, lib. II, p. 119. Venezia, 1705, 4°.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Notum facimus universis quod nos ad expensarum multitudinem quas commune Auximi fideles nostri pro cunctis hucusque servitiis subierit et ipsos subire de cetero, prout temporum aut rerum qualitas exiget, oportebit, benevolum respectum habentes, statuimus ut quoties potestatem civitatis ipsius pro nostris servitiis vel communis ejusdem de dicta civitate per Marchiam forte vel extra Marchiam amodo contigerit proficisci, commune ipsum prefato potestati singulis diebus pro

expensis ultra viginti solidos Ravennates vel Anconenses solvere nullo modo teneantur, potestate vel quolibet alio qui contra presens statutum nostrum venire presumpserit indignationem nostri culminis incursuro.

Datum in castris in obsidione Parme, IX septembris, VI indictione.

Hec littera lecta, ascultata et exemplata fuit in presentia domini Zelocti judicis communis Auximi, Victoris Bartholomei, Ade Jacobi, Stephani Philippi Armarini, Andree Marchesini, Matthei notarii, Thome Alberti notarii et Rainaldi Jacobi notarii, in palatio communis prefati, sub anno domini M.CC.[X]L.VII, die XV intrante mense novembris, V indictione(a), tempore domini Federici Romanorum imperatoris.

Fridericus, Romanorum imperator, capitaneis regni Siciliae scribit de captione Breselli, nuntiatque dum cardinalis Octavianus qui ad succursum Parmae advenerat vota obsessorum frustraverit, de celeri urbis deditione non esse dubitandum. [Septembri exeunte.]

(Edit. ap. *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. XXXVII; coll. cum variis codicibus, praecipue in Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Dum imperii nostri pelago navigando feliciter longevam regni nostri fidelitatem advertimus, dum sedula magnaque vestra et aliorum ejusdem regni servitia contemplamur, inter quiete pacis nostre delicias, quas in hereditario regno nostro Sicilie proprio labore quesivimus, et adhuc in ipsius conservatione persistimus, debitum vobis quodammodo solvimus, dum felicitatem nostri culminis nunciamus. Post descriptam denique vobis obsidionem Parmensem per alios nostri culminis apices, ac debellationem et captionem ipsorum in non modica quantitate, preter alia castra et loca quam plurima permunita, per dilectum filium nostrum Henricum, illustrem regem Sardinie et sacri imperii in Italia generalem legatum, et Ezelinum de Romano dilectum fidelem nostrum, qui predicta in nomine

(a) Id est *pontificalis* indictio.

nostro prospere gesserant, debellata viriliter et cremata; locus Berselli qui est in ripa fluminis Padi, unde ad Parmenses eosdem rebelles nostros per Mantuanos et Ferrarienses persepe victualium, salis et aliorum necessariorum munitio ferebatur, viriliter extitit expugnatus, captis nonnullis Parmensibus prefatis ibidem positis ad tutelam. Quem, velut dispendiosum hostibus, dum inde non minus quam ubi nos ipsi persistimus, arcerentur, muniri fossatis et aliis necessariis mandavimus, predictis filio nostro et Ezelino ibidem usque ad plenum mandate munitionis exitum moraturis. Cardinalis Octavianus cui ad Mediolanensium et aliorum nostrorum rebellium auxilium fuerat per apostolicum dudum de Transalpinis partibus commissa transductio, et [qui] ea per A. comitem Sabaudie, dilectum consanguineum et fidelem nostrum, in manu forti de mandato nostre celsitudinis denegata, Mediolanum furtive quodammodo sub inermi et modica comitiva pervenerat; ad instantiam G. de Montelongo, legati apostolici apud Parmam intrusi, eundem de succursu Parmensi per literas et nuncios sepius requirentis, Mediolanensium, Brixiensium, Mantuanensium, Ferrariensium et aliorum nostrorum rebellium possibili coadunato presidio, venit marchione Estensi et Alberico de Romano, proditoribus nostris, ipsum illuc comitantibus, ad Tallatam (1), locum videlicet unde pars predicti fluminis derivatur. Unde predictis Parmensibus et legato transitum et succursum impossibilem repromittens, prefatis filio nostro et Ezelino cum electa militia et peditum multitudine oppositis ex adverso, obsessorum vota concepta verbotenus, de qua patiebantur necessitate suspensa, cum aliud inde nequiverit, per impossibiles promissiones elusit. Et sic Parmensibus supradictis per duplicis obsidionis objectum omnis succursus et munitionis auxilio denegato, salis etiam et victualium ipsos premente defectu, amodo differre non poterunt quin vocem deditionis emittant, prout per plures eorum ad cardinalem et Mediolanenses prefatos literas interceptas accepimus, quibus post desperationem succursus, quod se mandatis nostris exponerent sub excusationis velamine describebant. Ex premissis igitur firmam spem fiduciamque concipite ac

(1) Scilicet Talliatam (*la Tagliata di Parma*). Cf. *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. 212.

tenete quod de Parmensibus predictis infra spacium brevis temporis obtenta indubitata victoria, que titulis nostris summam victoriam, oneribus vestris finem, ac expectationibus communibus adventum nostrum indubitabiliter pollicetur, mutuis affectibus delectantes vos in serenitate vultus nostri continuato fovebimus, quos nunc sub interpellatione literis permulcemus.

Jacobus de Sanctis de Capua, imperialis magister camerarius Principatus et terrae Beneventanae, juxta tenorem constitutionum imperialium, inquisitionem fieri jubet qua probetur an decimae platearum Salerni ad monasterium Cavense legitimo jure pertineant. Salerni, 30 septembris.

(Inedit. ex origin. in arch. mon. Cavensis, arca LXVIII, n° 137.)

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo quadragesimo septimo et vicesimo septimo anno imperii domini nostri Friderici gloriosissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, die jovis tertio mensis octubris, sexte indictionis, apud Salernum, ante nos Mattheum de Judicissa judice Salerni et Mattheum de Sancta Maria puplicum ejusdem civitatis notarium, presentibus. . . . . . de Sancta Maria, Mattheo Rassica, magistro Petro Comello et Jacobo Venarepulliaro civibus Salerni civibus subscribendis, ad hoc specialiter vocatis et rogatis, venit Bonusaccursus presbyter ecclesie Sancte Marie de dompno de Salerno et presentavit mihi predicto Matheo judici litteras nobilis viri domini judicis Jacobi de Sanctis de Capua imperialis magistri camere Principatus et terre Beneventane cereo sigillo ipsius domini magistri camere sigillatas, que omni vicio et suspicione carebant et erant continentie taliter : Prudenti viro judici Matheo Donne judecte de Salerno amico suo judex Jacobus de Sanc-

tis de Capua, imperialis magister camerarius Principatus et terre Beneventane, salutem et intime dilectionis affectum. Pro parte domini venerabilis abbatis Cavensis monasterii expositum nobis est imperialis curie precepta que continebant quod cum ipse et predecessores sui a tempore obitus dive auguste domine imperatricis Constancie matris serenissimi domini nostri Cesaris et ab inde usque nunc fuerint in pacifica possessione pro parte dicti monasterii perceptionis decimarum proventuum omnium plateatici platearum Salerni, sibi faceremus dictas decimas sicut consuetum est pro parte dicti monasterii sui exhiberi. Nos autem tam sacre imperiali constitutioni super exhibendis decimis edicte (1) quam petitioni dicti domini abbatis satisfacere cupientes, cum per inquisitionem per vos super premissis cum diligentia faciendam velimus plenius edoceri, prudentie vestre ex imperiali parte qua fungimur auctoritate mandamus quatinus inquisitionem per probos et fideles viros Salerni exinde diligenti studio faciatis. Qua facta solempnius et fideliter sicut decet, tam ad curie quam monasterii supradicti cautelam duo puplica instrumenta cum tenore inquisitionis predicte fieri faciatis, unum nobis pro parte curie tradendum, aliud predicto abbati pro cautela dicti sui monasterii relinquendum. Datum Salerni, ultimo septembris, sexte indictionis. — Quibus litteris presentatis et a me predicto judice Matheo receptis et diligenter inspectis, ego predictus judex Matheus associatis mihi judice Johanne Castellomacca et predicto notario Matheo super predictis juxta tenorem predictarum litterarum per subscriptos probos et fideles viros Salerni inquisitionem diligentissimam feci, quorum dicta et attestationes sunt hec :

(Sequuntur depositiones testium qui declarant a tempore regis Guilielmi decimas platearum Salerni a bajulis Salerni qui pro tempore fuerunt abbates Cavenses recepisse (2).

(1) Cf. supra, p. 563; alluditur constitutioni *de decimis* in libro I, tit. VII insertae.

(2) Cf. instrumentum 25 januarii 1235, t. IV, p. 520.

Otto comes de Eberstein, imperii per Austriam et Styriam capitaneus et procurator, judicibus in La et in Machland et officiali in Strantzendorf mandat ne ullam jurisdictionem aut proventuum receptionem in praediis ecclesiae Sancti Joannis in Walthusen contra privilegium a Friderico quondam Austriae duce indultum aliqualiter vindicare praesumant. Krems, 23 octobris.

(Edid. Kurz, *Beyträge zur Geschichte der land. oesterr. ob der Enns*, t. IV, p. 460, n° XVI, ex cod. trad. sec. XV.)

Otto comes de Eberstein, sacri imperii per Austriam et Styriam capitaneus et procurator (1), judicibus in La et in Machland et officiali in Strantzendorf salutem et omne bonum. Mandamus vobis auctoritate imperiali precipientes et nostra quatenus vobis nullam jurisdictionem aut proventuum receptionem seu exactionem in prediis ecclesie Sancti Joannis apostoli et evangeliste in Walthusen aliqualiter vendicetis, secundum quod a quondam duce Austrie Friderico indultum fuit eidem, prout in ipsius privilegio plenius continetur. Qui autem contra tenorem hujus scripti venire presumpserit, offensam imperatorie majestatis et nostram se noverit incursurum.

Datum aput Cremis, anno Domini M. CC. XLVII, X kalendas novembris, VI indictionis.

(1) Hoc eodem officio, anno sequenti 1248 post junium mensem, dux ipse Bavariae fungebatur, sicut ex variis documentis comperimus. Quorum unum refert Stülz, *Klost. Wilhering urkund.*, n° 12, datum apud Linz, 12 decembris 1248, quo dux Otto praecipit omnibus mutenariis et theloneariis in partibus terrae Austriae ut nihil exigant contra tenorem privilegiorum ab imperatore Friderico et a ducibus Austriae eidem conventui indultorum.

Lugduni, 26 octobris.

Innocentius papa Petro Sancti Georgii ad velum aureum diacono cardinali mandat quod archiepiscopum Magdeburgensem qui matrimonium inter Fridericum quondam imperatorem et filiam ducis Saxoniae procurat, necnon Pataviensem ac Frisingensem episcopos ad Sedem Apostolicam citet, caeteros Friderici fautores per censuram ecclesiasticam compellendo.

(Edid. Raynaldi, *Annal. eccles.*, ad ann. 1247, § VIII, ubi initium deest quod addimus e regesto Bibl. Cesar. Paris. epist. 337, fol. 476.)

Innocentius, etc., P. Sancti Georgii ad velum aureum diacono cardinali, Apostolice Sedis legato, etc. Dolet et dolere debet Ecclesia generalis et nos cum ea et pro ea dolemus plurimum et turbamur, cum audimus prelatos qui persecutorum flammas quibus exuritur Ecclesia in presenti deberent extinguere, non solum nolle defensionis manum persecutionum ignibus adhibere, verum etiam quodammodo ignes accendere ignibus, eamdem Ecclesiam multipliciter persequendo. Cum enim Magdeburgensem archiepiscopum et Pataviensem ac Frisingensem episcopos velut nobilia membra Ecclesie adeo deberet commedere zelus ejus ut non possent opprobria illi exprobrantium et usurpantium jura ejus equanimiter sustinere, iidem, quod non absque amaritudine cordis accepimus, non solum non assistunt ipsi Ecclesie eorum matri contra maliciam eam persequentium ut deberent, opponendo se murum pro ea ascendentibus ex adverso, sed etiam divino timore ac humano pudore postpositis et pontificali gravitate neglecta necnon et clavibus Ecclesie damnabiliter vilipensis, Frederico quondam imperatori excommunicato et Dei et Ecclesie inimico prestant manifeste auxilium, consilium et favorem, per quod dictam Ecclesiam ut hostes publici persequuntur, eodem Magdeburgensi matrimonium inter ipsum Fridericum et filiam ducis Saxonie procurante. Accepimus siquidem quod marchio Misnensis, Bavarie ac Saxonie duces et filia ipsius

ducis Saxonie, necnon et nobiles de Austria et Stiria et O. de Everstein (a) qui pro ipsorum nobilium capitaneo nomine dicti Frederici se gerit, viri nobiles genere, sed suis perversis actibus ignobilitantes seipsos et in reprobum sensum dati, prefato Frederico contra Deum et ipsam Ecclesiam assistunt viriliter et potenter. Ideoque mandamus quatenus predictos archiepiscopum et episcopos auctoritate nostra citans, prefigas eis terminum peremptorium competentem quo personaliter ad presentiam nostram accedant pro meritis recepturi; alios vero jamdictos nobiles ut ab eodem Frederico penitus recedentes non prestent ei auxilium, consilium et favorem ac ad unitatem sancte matris Ecclesie revertantur monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellendo, si videris expedire.

Datum Lugduni, VII kalendas novembris, anno quinto.

Variae epistolae Innocentii papae de electione Willelmi comitis Hollandiae et pro tanto negotio viriliter consummando. Lugduni, 19 novembris.

(Edit. ap. Raynald., *Annal. eccles.* ad ann. 1247, § V, e regest. lib. V, epist. curial., n° 22; et ap. Pertz, *Monum. Germ. histor.*, t. IV, p. 364.)

Innocentius, etc., archiepiscopo Maguntino [et suffraganeis ejus], etc. Studium et sollicitudinem quam in creatione charissimi in Christo filii nostri regis Romanorum illustris(1) habuisse noscimini, dignis in Domino laudibus commendantes, gratiarum vobis quas possumus referimus actiones. Quia vero quanto majus est inceptum negotium, tanto ad felicem ejus consummationem auxilio indiget potiori, fraternitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente in remissionem vobis peccaminum

(a) In codice *H. de Ovurstem;* alias *H. de Evurstein*, male. Idem vero qui supra.

(1) Scilicet Willielmus comes Hollandiae qui feria quinta post Michaelis festum (3 octobris) apud Neuss electus est, ut referunt Albertus Stadensis et alii coaetanei scriptores.

imponentes quatenus considerato prudenter quod non est in tam arduo negotio dormiendum, ad ea que ipsi negotio expedire videritis dantes opem et operam secundum prudentiam a Domino vobis datam, eidem regi viriliter et potenter assistatis constantia consueta.

Datum Lugduni, XIII kalendas (a) decembris, anno V.

Scriptum est in eumdem sensum ad Coloniensem, Treverensem et Bremensem archiepiscopos eorumque suffraganeos, tum ad Herbipolensem, Argentinensem, Monasteriensem episcopos et Spirensem electum atque ad ducem Brabantiae, Geldriae et de Los comites.

Nec non de re eadem sub n[is] 17 et 18 ad Colonienses et Maguntinos cives.

[Circa novembrem.] Fridericus, Romanorum imperator, fidelibus suis in Tuscia qui ad mandatum Friderici filii sui milites miserant, regratiatur, mandatque ut nunc eisdem mittant stipendia pro tribus mensibus et quod credant latoribus praesentium litterarum.

(Inedit. ex cod. bibl. univers. Leipzic., n° 1268, fol. 9 (18) recto verso.)

Quondam ad requisitionem Frederici de Antiochia comitis Albe, sacri imperii in Tuscia vicarii generalis, dilecti filii nostri, ad felicem exercitum nostrum militum decentem curastis mittere comitivam; [quod] gratum admodnm excellentia nostra duxit. Cumque ad contereudam Parmensium proditorum nostrorum abhominandam proterviam sic magnificentia nostra propositum nostrum firmavit ut per continuam obsidionem (1) et dampna continua Parmam ad nostrum revocemus dominium, in quo vos qui votis nostris concurritis hylari devotione, semper volumus esse participes one-

(a) Ap. Raynaldi, *III kalendas,* omisso numero X; male.

---

(1) Alluditur ad fundationem Victoriae quam mense octobri imperator aedificari jussit, ibidem durante hyberno tempore moraturus.

ris et honoris, devotioni vestre precipimus quatinus sicut unquam honorem nostrum et imperii exaltationem diligitis et gratiam nostram caram habetis, stipendia pro tribus mensibus pro militibus vestris predictis qui in nostra felici expeditione consistunt, tam hilariter quam celeriter procuretis, ut qui per missionem eorum satis nostro culmini placuistis, ex missione stipendiorum de quibus decenter sustentari valeant potius placeatis, ut dignis propterea vos retributionibus processu temporis prosequamur. Ad hec quidquid Azo Guidonis Bonis (?) et Albertus de Fontana latores presentium, fideles nostri, vel eorum alter super servitiis nostris ex parte nostri culminis vobis dicet, indubitanter credere et effectu studeatis exequi et complere.

Fridericus, Romanorum imperator, magistris rationalibus Siciliae mandat quid in absentia sua observare debeant in rationibus ab officialibus exigendis; jubens quod omnia mandata sua tum ad fiscalia, tum ad privatas personas spectantia fideliter nihil omisso registrentur. [Anno exeunte.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. LXIII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Inter accidentium multiplices diversosque modos, qui regnantes insigniunt, adest de magnis participantibus provida modestia mandatorum. Nam sive pro mera gratia quam aliquibus conferant, vel juxta justiciam mandata per literas dirigant ad subjectos, motum interioris hominis (quo medio in actum velut de potentia singula prodeunt), literis credita, metallo vel cera figurata mandantis species authorizat. Quantumcumque verumtamen dominantis exornat mandata modesta directio, accidit precipue adesse dominis fidelis et diligens executio eorundem, a quibus tutius creditur et minus indecens reputatur quod imperantes abstineant a mandatis, quam per patientiam nullius executionis eorum indebite vel impro-

vide se eludant. Considerato propterea verecundie notam culmini nostre majestatis incumbere, quam regnantes debere prospicimus quoslibet evitare, dispositionis recte materiam in hoc singulis tradimus, dum hereditarium regnum nostrum Sicilie parere nobis in his, sicut in quibuslibet aliis omni genere devotionis obsequitur, ordinamus. Quamquam autem, dum pridem feliciter ab eodem regno secessimus, evidentis utilitatis gratia Germaniam revisuri, officiales omnes et capitaneos per nostram excellentiam ordinatos, post depositum commisse sibi administrationis officium, in magna curia nobis feliciter in regno presentibus, vel in absentia nostra coram eo qui vices nostras ibidem pro tempore gereret, jusserimus presentandos, ut super executionibus mandatorum, que ad eos fiscali vel privatorum utilitate poscente, officio durante pervenerant, ponerent rationem, prout ex literis nostris ad Henricum dilectum filium nostrum et ipsius olim consiliarios destinatis, quas per ipsos per totum regnum publicare mandavimus, ad vos conjicimus pervenisse; qnia tamen temporis ac rerum varietate poscente, quibus oportet captari consilia, fortune nostre felicitas, prorogato itinere ad Germanos, in Ligurie partibus nos aliquandiu moraturos instituerit ut auguste potentie novi triumphi materia non deesset, [et] ex predicti filii nostri consiliariis, coram quibus officiales comparere propterea debuissent, aliquos in alloviatione nostrorum onerum ad nostram presentiam evocatos, et quosdam alios aliis nostris servitiis duxerimus promovendos; cum fidelibus nostris regnicolis solitam excellentie nostre mansuetudinem exercentes, veniendi propter hoc ad partes imperii eam necessitatem submovimus, ne damnosa sibi propterea nostre majestatis officia reputarent. Vobis igitur de quorum experta fide confidimus, quorum industriam in aliis experimur, quos examinatores esse volumus de predictis, presentium auctoritate precipimus mandantes quatenus ut quamprimum officiales transacti temporis, per excellentiam nostram principaliter ordinati, posituri rationem de gesto per ipsos officio vel se nobis ultroneos offerent, vel ad id vocati se etiam presentabunt; tactis sacrosanctis evangeliis, corporale prebeant sacramentum quod mandata omnia et literas, quas a majestate nostra propter officium creditum exercendum receperunt, vobis debeant integre presen-

tare. Quibus exhibitis coram vobis, quantitatem omnium mandatorum et responsalium, sicut ad quemlibet singulis mensibus sunt directa, discretis his que fiscalia mere continent a privatis, faciatis, officiali presente, in quaterno aliquo memorialiter annotari. Sicque instanter, si hora vel tempus patitur et alia nostra major utilitas non repugnat, legatis cum summa diligentia literas que ad officiales specialiter pro nostris servitiis sunt directe, ordine mensium, sicut diximus, ordinato, vel ab officiali presente, de executione illorum que videritis per nos mandata fuisse, per literas exquirendo: que si videritis per eum executioni debite demandata, commendetis eundem, et bonum processum ejus in speciali quaterno, quem facere vos inde precipimus, redigi faciatis, nostre conscientie postmodum applicandum. Quod si vobis de ipsorum executione idonea non constaret, requiratis ab eo quare hoc potuerit accidisse. Qui si justam excusationis sue causam pretenderit, audiatis eundem et similiter annotetis; si vero non justam aut nullam excusationem pretendere poterit, in peccato negligentie vel culpe sue defectu per vos nostre conscientie applicetur; ubi vero damnum evidens fuerit per officialis defectum, illud per officialem eundem tam fisco quam fidelibus nostris lesis volumus restaurari. Sicque discussis mandatis et responsalibus, primo que fiscalia mere continent, idem vos facere volumus de nostre literis majestatis, que ad eum privatis supplicationibus sunt directe: responsalium ad hoc nostrarum tenore et verbis diligenti provisione pensatis, que multa vobis de commodis nostris aperient, presertim in notificationibus expensarum, et in aliis officialium nostrorum processibus, de quibus vobis aliter in processu ratiocinii non constaret. Generalia vero mandata nostra, que specialiter in favorem fiscalium, contra suspectos nobis aliquando proditores nostros et eorum consanguineos, qui in majestatem nostram noviter deliquerunt, direximus, super inquisitionibus faciendis de fidelitate illorum quibus litere a nobis de mera gratia impetrantur, de ordinatione feudorum, de tenendis et reddendis jumentis, de immunitatibus (*a*) que anno proximo preterito quinte indictionis indulte sunt a majestate nostra eccle-

(*a*) In codice *immutationibus*.

siis et prelatis, et de maneriis, qualiter sunt solvende, et super actionibus, de inquirendis et revocandis stabilibus et mobilibus proditorum, in curie nostre prejudicium occupatis, de forma et locationibus fiscalium, et annis etiam attributis, et de quibuslibet aliis que a nostra curia emanaverunt, in fisci nostri vel fidelium nostrorum favorem generaliter duratura: excepto etiam de aliis, sicut ad quemlibet novorum officialium dirigenda videritis, auditis et admissis justis et moderatis expensis, si quas in eorum executionibus debitis officialis ad quem directa sunt, se fecisse monstrabit, ad officiales nostros citra portam Roscti, ut eorum tempore ea similiter exequantur, mittere non tardetis. Quibus ecce per literas patentes injungimus quod a vobis ea recipiant, et ipsa tanquam ad eos directa clausa retineant et fideliter exeqnantur. Post exquisitam vero plene rationem super executionibus mandatorum, snper residuis inveniendis, quod est curie nostre perutile, servata forma vobis anno preterito per curiam nostram data, cujuslibet rationem ad curie nostre profectum et fidelium nostrorum expeditionem, sicut officium vestrum decet, studiose discutite, ac discussam et expeditam finaliter juxta solitum inde scribendo nostro culmini terminate, predictis omnibus usque ad aliud mandatum nostri culminis duraturis, et vobis annexa superius, sine alio speciali mandato nostro, annis singulis quibus officiales mutari mandavimus, efficaciter servaturis. Ne autem officiales de quibus superius diximus, si de mandatis nostris vel responsalibus aliqua retinere vel potius occultare non exhibendo presumpserint, post prestitum juramentum, fraudem vel eorum malitiam transire se gaudeant impunitam, officialem qui curie nostre registra, quorum exempla semper habebitis, obtexerit, prudentie vestre committimus puniendum.

[Anno exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, justitiariis regni et imperii mandat ut procedant contra clericos non celebrantes missarum solemnia tempore interdicti, et quod religiosi non transferant se de civitate in civitatem.

(Edit. in *Petr. de Vin. epist.*, lib. I, cap. IV; coll. cum variis Bibl. Cesar. Paris. codicibus.)

Ne per excogitate malignitatis astutiam, iste Romane Sedis antistes dudum factus nobis insidians, iis que Dei sunt longe sepositis, de pravitatis heretice puteo conetur semper exhaurire suffragia, quibus evidentem nostre cause justitiam decoloret, effundens bibulis auribus fellite conscientie canones, ut quieti nostrorum fidelium vitam pariat inquietam; habita nuper diligenti provisione sancimus quod quicumque clericus vel religiosus, ad papale seu papalis legati mandatum, publice forsan obmiserit missarum solennia seu alia divina officia celebrare, et ecclesiastica sacramenta fidelibus propinare negaverit, de civitate vel loco, cujus incola reperietur, ejectus, suis bonis omnibus patrimonialibus et ecclesiasticis, ut penam de tanta temeritate tulisse se doleat, spolietur; clericis vero mandato predicto parere nolentibus et in fide nostra ferventibus ecclesiastica, patrimonialia autem bona proximis ab intestato venientibus assignentur. Statuimus etiam ut nulli religiosi de civitate in civitatem audeant se transferre, nisi potestatis loci, de quo iter arripient, testimoniales literas deferant, et alias sint moribus et vita laudabiles, ac nostris fidelibus non ignoti. Volentes igitur has novas nostre munificentie sanctiones a nostris fidelibus inviolabiliter observari, tue devotioni precipimus quatenus eas per terras quaslibet tue jurisdictioni traditas per te imperiali programmate publicatas, inter statuta civitatis cujuslibet, ut nulla sit in executione diversitas, inextricabiliter jubeas inserendas, et promittas nos infallibiliter servaturos. Huic etiam publicationi adjicias quod clericis omnibus nobis adherere volentibus et mandata presentia devote servantibus inviolata servari volumus omnia eorum privilegia et ecclesiasticas libertates : nec ad pacem vel concordiam cum papa predicto se nostra serenitas inclinabit, nisi prius iidem clerici in plenam possessionem omnium bonorum et restitutionem ordinis et honoris, quibus forsitan per eundem privati extiterint, integre reducantur.

ANNO 1248. — INDICTIONE 6.

Apud Victoriam in obsidione Parmae, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Eccelini de Romano, Guezolo de Prata fideli suo quamdam terram in Foro Julii sitam cum pertinentiis et juribus in perpetuum feudum concedit.

(Edid. VERCI, *Stor. della Marca Trivig.*, t. II, docum., n° 89, p. 13, ex transumpto minus recte expresso in collect. Mss. dicta Scotti.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Benemeritis Cesarem providere fidelibus, etsi gratie plenitudo suadeat, servitiorum quodammodo gratitudo compellit ut dum fidelium grata remunerantur obsequia, fiant quasi per debitum gratiora. Per presens itaque privilegium notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes puram fidem et devotionem sinceram que Gueczolus de Prata dilectus fidelis noster majestati nostre semper exhibuit et exhibere poterit in futurum, ad supplicationem quoque. . . . . (*a*) dilecti fidelis nostri cujus fide et devotione reliquis imperii nostri fidelibus. . . . . exemplum tanquam omni favore dignissimus (*sic*) benignum et debitam res. . . . . pro eodem Gueczolo nostro culmini supplicavit, de mera libertatis aug. . . . . orve sitam in Foro Julii cum honore comitatus, jurisdictione et hominum. . . . . rationibus, pertinentiis et omnibus juribus suis, sibi et heredibus suis in perpetuum in fide nostra et imperii persistentibus, salva in omnibus et per omnia imperiali justitia, liberaliter in pheudum duximus concedenda[m], quam a nobis tantum et imperio teneat et proinde servire nobis et imperio teneatur. Statuimus itaque et

(*a*) In libro *ent.......a* : verisimiliter legendum *Eccelini de Romano.*

presentis privilegii tenore firmiter inhibemus ut nullus dux, marchio, princeps, comes, vicecomes, potestas, rector, consilium vel commune seu aliqua persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis privilegii nostri culminis (*a*) penam quinquaginta librarum auri purissimi se incursurum agnoscat, [medietatem] parti passe injuriam et aliam medietatem nostre camere soluturus. Ad hujus. . . . . gratieque nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri [et bulla aurea (1) ty]pario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Cujus rei testes [sunt il]ustris rex Sardinie sacri imperii legatus in Italia generalis, dilectus filius noster, [Man]fredus marchio Lancee, Diopoldus marchio de Fohembruch, magister Petrus de Vinea aule nostre protonotarius et regni Sicilie logotheta, Petrus de Calabria marestalle nostre magister, Thadeus de Suessa magne curie nostre judex, dilecti fideles nostri, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici secundi imperatoris semper augusti Romanorum Dei gratia invictissimi, Hierusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno [dominice] incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, [mense] januarii, sexte indictionis, imperante domino nostro Friderico II° Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto (*b*), Hierusalem regni vicesimo secundo, regni vero Sicilie quadragesimo nono, feliciter. Amen.

Datum apud Victoriam in obsidione Parme, anno, mense et indictione predictis.

(*a*) Hic desunt verba aliquot.
(*b*) Deest notatio annorum imperii.

(1) Non dubitandum quin ita supplendum sit, quum in authenticatione describatur aurea bulla filis sericis rubeis et viridibus pendens, scilicet ab uno latere imago imperatoris sedentis in throno cum solitis insignibus et legenda, ab altero autem figura civitatis cum circumscriptione : Roma caput mundi regit orbis frena rotundi.

Lugduni, 25 januarii.

Innocentius papa archipresbytero de Curtenova Reginensis dioecesis et Roberto de Corrigia canonico Reginensi mandat ut excommunicatos denuntient singulis diebus dominicis et festivis R. quondam priorem Columbari et hujus prioratus monachos necnon G. filium Bonacursi de Palude ab eis in abbatem Marolae electum, qui auctoritate Henrici nati Friderici quondam imperatoris se in possessionem hujus monasterii intrusit.

(Memorat. ap. Tiraboschi, *Memor. stor. Moden.*, t. V, cod. diplomat., p. 28.)

Datum Lugduni, VIII kalendas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

[Februario ineunte.]

Fridericus, Romanorum imperator, narrat fidelibus suis victoriam Friderici nepotis sui apud Taurinum, describens quomodo Mantuani ad pontem Padi ab Henrico filio suo profligati fuerint et Guelfi e Florentia per Fridericum Albae comitem ejecti.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. XL; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, 202.)

Ex votiva nostrorum nunciatione successuum, qua expectationibus vestris nostra benignitas satisfecit, liquido potuerunt vestri sensus accipere quantum nobiscum semper misericorditer egerit dextera Regis regum; et ut videatis ad oculum quod hostium nostrorum versuta calliditas divinis potius quam humanis exceptionibus collidatur, audite mirabilem divine solummodo provisionis eventum. Nam cum marchio Montis Ferrati, quem grata et multiplex beneficiorum nostrorum collatio, etiam cessante affinitatis nostre linea, qua culmen serenitatis nostre contingit,

obsequiosum nobis deberet efficere, tractatibus intervenientibus apostolicis, Lugdunensibus potius quam Mediolanensibus proditoribus nostris reconciliatione conjunctus, ipsorum ac Vercellensium proditorum nostrorum munitus auxiliis, civitatem nostram Thaurinensem a nostra fidelitate seductam proditorie occupasset, resistentibus tantum palatio ejusdem civitatis nostris munito popularibus et quibusdam de nobilibus civitatis ipsius; Fridericus dilectus nepos noster(1), quem ad superiores partes Lombardie pro salubri statu provincie majestas nostra premiserat, Papiensium, Cremonensium, Astensium et Alexandrinorum, quos sibi sic inopinatus casus exhibuit, [presidiis] comitatus, civitatem eandem tanquam repente de celo sonus, impulit, et in nostro nomine fugatis protinus marchione predicto et proditoribus universis, et fere ducentis ex ipsis nostro carceri mancipatis, civitatem eandem nostro dominio redintegravit. Et vix decendium fluxerat de predictis, quod cum Ferrarienses fideles nostri apud Ravennam de mandato nostro hactenus commorantes, pro conservando ponte in flumine Padi, quo proditoribus nostris Parmensibus via omnis succursus et spes munitionis obstruitur, de mandato nostro vocati ad buccam Tallate quam Mantuani rebelles nostri cum Parmensibus insimul ad impediendum eorundem fidelium nostrorum Ferrariensium transitum palongata munierant, pervenissent; H. illustri rege Sardinie dilecto filio nostro existente in ripa Padi ad eorum auxilium cum multitu dine armatorum, immissis securibus eadem palongata succisa, flumen Padi cum eorum navigiis viriliter intraverunt, et proditoribus nostris Mantuanis qui flumen Padi primitus occuparant tenui bello qnassatis, quinquaginta de eorum navibus acceperunt, et preter necatos in flumine ac gladio interemptos, trecentos ex hostibns predicto filio nostro assignarunt, quos in proditorum nostrorum exemplum, ab utraque parte fluminis Padi mandavimus suspendendos; ad eundem filium nostrum iterato majestatis nostre [mandato] directo ut cum Ferrariensibus fidelibus an-

(1) Scilicet Fridericus, filius Henrici quondam Romanorum regis. De his plenius argumentum videsis ap. *Chronic. de reb. in Italia gestis*, p. 213 et 214.

tedictis, Cumanis et Saonensibus (a) quos pro eodem negocio provisio nostra fecerat convenire, ac Cremonensibus etiam expertis fidelibus nostris, qui verecundum extimant si se cunctis nostris servitiis non immiscent, ad construendum et optime muniendum pontem eumdem cum strenuitate procedat, omni sublato dubitationis obstaculo, et pleno paratis singulis ad id faciendum opportunis. Post emissum vero nostre majestatis edictum de premissis vobis ad gaudium describendis, literas Friderici comitis Albe dilecti filii nostri recepimus, continentes qualiter in virtute Dei et nostre felicitate fortune partem Guelphorum Florentie, cui dudum nostra majestas pepercerat, cum juste ad ipsius exterminium procedere potuisset, que velut familiaris et pestilentis cardinalis Octaviani tractatibus exposita, Bononiensibus nostris proditoribus advocatis, civitatem Florentie per intestinum bellum nobis subtrahere intendebat, fidelium nostrorum assistentibus sibi suffragiis debellavit, et nonnullis captis, quosdam de civitate ipsa violenter ejecit (1). Ex quo totius provincie status in melius sine dubitatione dirigitur, et fidelium animi ad fidelitatem nostram fortius roborantur. Hec igitur letabunde nostre serenitatis xenia fidelitas vestra gaudenter accipiat, indubitanter expectans quod qui dedit nobis hactenus feliciter currere per summum spacium, in proximo bravium gratiose largietur.

[Februario ineunte.] Fridericus, Romanorum imperator, Florentinis gratulatur quod in gratiam suam redierint, mandans ut obediant filio suo, Friderico de Antiochia, quem eis in potestatem mittit quasi imaginarium personae suae.

(a) In impresso *Sacoiensibus*, male.

(1) 2 kalendas februarii (1248) Frederigus filius Frederici imperatoris intravit Florentiam, maxime parte Guelforum fugata et ipsorum turribus et palatiis funditus eversis. *Obituar. Senense*, ap. Ozanam, *Documents*, p. 195 et suiv.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. IX; coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202, et *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455.)

Speciali quadam inter tot et tanta negociorum genera, quibus pectori nostro continue materia cogitationis infunditur, sollicita meditatione pensamus qualiter sopitis quibuslibet inter vos preterite dissensionis erroribus, pax et justicia in vobis nova quodammodo plantatione succrescat; qualiter etiam voluntatis vestre tam prompta devotio, que quicquid sibi litigii sinistre dudum causa superstitionis adduxerat, judicio nostre provisionis exposuit et in libra Cesaree definitionis appendit, in gratie nostre gremio pocula favoris inveniat, et familiaris aspectus nostri singulari privilegio potiatur. Ecce igitur dilectum filium nostrum Fridericum de Antiochia, ad civitatis vestre regimen cujus inter omnes civitates Italie pervigil nos cura sollicitat, et gratie nostre sibi plenitudinem specialius acquisivit, diligenti consideratione prehabita, providimus destinandum. Ex quo manifestis profecto patet indiciis et probabilibus ostenditur argumentis quante vos imperialis autoritas dilectionis singularitate prospiciat, et quam sinceri quamque teneri specialitate favoris statum vestrum pacificum amplectamur, dum humanitatis nostre clementiam per evidentiora signa videntibus ostendi non posse videamus lucidius, quam si filium nostrum ad vos tanquam imaginarium nostre presentie destinemus. Fuit hec siquidem salubris et cauta provisio, ut dum os de ossibus et caro de carne nostra transmittitur, persona nostra per eum inter vos familiariter presentata, sic civitatis vestre regimini presit ut prosit, vos in bono statu protegat et tranquillo conservet, et justicie copiam, quam singulis propinari precepimus, petentibus subministret, et fidelis nobis ac devota Florentia tam grati rectoris, tam utilis refloreat novitate, quem non solum potestate, quam ceteris officialibus imperialis impartitur autoritas, volumus esse contentum; sed ut in facinorosos et segniter seu contumaciter se gerentes liberius animadvertere valeat, sibi concedimus vices nostras. Vos igitur pure fidei et syncere devotionis alumni, presentibus nostre serenitatis apicibus animati, quos irrequisitos libenter id facere pro certo confidimus, patris in filio presentiam figurantes, ipsum quasi familiaris

dilectionis eximium pignus, libenter et devote suscipite; et sibi, velut in quem transfundimns nostre plenitudinem potestatis, in omnibus tanquam persone nostre promptis affectibus et hilariter obedite, ut devotionis vestre constantiam liberalitatis auguste provisio, que servitia novit remunerare fidelium, dignis proinde commendationis laudibus prosequatur; pro firmo sciturí quod obedientie signa, que sibi devotio vestra monstraverit, equo favore gratie prosequemur, ac si persone nostre specialiter monstraretis. Et si forte, quod omnino non credimus, contra eum quisquam indevotionis calcaneum elevaret, transgressores hujusmodi acerbiori judicio prosequemur, quam si etiam in personam nostram hec alicujus vel aliquorum temeritas attentaret.

. . . . , februario, Fridericus, Romanorum imperator, praecipit ut Catanensis ecclesiae bona in indicem exactissime referantur eorumque descriptio publicis tabulis mandetur.

(Memorat. ap. Amico, *Catana illustrata*, t. II, p. 75.)

Datum. . . . ., anno dominice incarnationis M. CC. XLVII, mense februario, indictione VI.

[Circa februarium.] Litterae ad Fridericum imperatorem ejusdemque imperatoris responsa super liberatione vel excontro captivorum apud Parmam in carceribus inclusorum.

I

(Inedit. ex codicib. Bibl. univers. Leipzic., n° 1268, fol. 52 (61) recto, et Bibl. reg. Berolin., n° 188, fol. 48 verso. Quae ad rem nostram pertinent, supervacaneis omissis, tantummodo exhibenda censemus.)

Infandam sed plus nephandam tyrannidem quam perfidia seva Parmensium in nos exercuit hiis diebus, in arca nostri pectoris recondere nequeuntes quin ejus violentia silentium rumpat et reseret ostium labiorum, celsitudini vestre presenti programmate declaramus quod cum vir nobilis dominus marchio(a) Parmenses illos quos pridem ex campestri conflictu Martis equum judicium vestro carceri relegavit, ad ejusdem ereptionis (*sic in duobus*) salutem faceret coherceri, commune Parme seu consilio fatuo seu solo spiritu rabido seu concurrentibus hiis duobus, captivos omnes Parme repertos, tam eos qui quondam pro suorum redomptione fuerant distributi quam ceteros pauperes et egenos qui suis penatibus remanserant apud eos, more fecis invegete ac putretudinis in sentina, in quadam cavea sub pallatio suo constructa velut porcos inclusit, sperans eosdem suos inclitos quidem et strenuos viros aleviandos fore pro nobis tam vilibus et perpaucis, non pensato quod unus ad mille non sufficit nec formice magnis elephantibus comparantur. Sicque quorumdam suorum carnificum nos in manibus tradidit affligendos, qui cibo nobis potuque prohibitis cunctisque necessariis interdictis, tum tenebris et clausura, tum fame ac etiam siti. . . . . . ita nos crudeliter affecerunt quod extinctis ex toto quamplurimis, viventes sumus non modicum a formis hominum deformati. . . . . Redemptionem mittite servis vestris; reddite, reddite pro fidelibus infideles secundum eumdem numerum et equivalentiam personarum. Solebant enim Romani majores, etc.

In eumdem sensum, licet sub diversis verbis, adest altera de re eadem captivorum Parmensium ad imperatorem epistola in eisdem codicibus, Leipzicensi, fol. 60 (69) recto; Berolinensi, fol. 47 recto.

II

(Inedit. ex codicibus praelaudatis Leipzic., n° 1268, fol. 9 (13) recto, et Berolin., n° 188, fol. 48 recto, cum hac rubrica: *Illorum preces a domino imperatore minime admittuntur qui excontrum ab eodem domino imperatore petierant Parmensium captivorum.*)

(a) Forsitan *marchio Lancia.*

[Fridericus, etc.] Litteras vestras solita benignitate recepimus ab excellentia nostra suppliciter exigentes quatinus pro liberandis quibusdam ex concivibus vestris fidelibus nostris, qui tempore subite rebellionis Parmensium Parme capti sunt et carceri detinentur, excontrum competens de captivis eorum quos noster carcer includit, concedere benignius dignaremur. Nos autem qui fidem vestram continuatis experimur obsequiis fructuosam, supplicationes vestras admisissemus et merito, velut qui manibus tractari nocentium pati non possumus innocentes et carceris subire martyrium quibus retributionis augeri premia meruerunt. Restitit tamen voluntati nostre necessitas, que manifestum et comune commodum differre seu impedire quodammodo ex hujusmodi mutue liberationis initio videbatur. Cum enim ex captivis Parmensium quos ad indicium finalis victorie belli nobis primitie pretulerunt, civitatem eamdem sicut aliquibus opinamur indiciis, ad nostrum credamus dominium revocare, si excontra hujusmodi pro voto supplicantium fierent, per commodi particularis initium boni generalis utilitas, quod vos velle non credimus, tolleretur. Hiis itaque attentis, egre ferre non decet vestra fidelitas si supplicationes vestras ad presens in premissis non duximus admittendas. Ceterum si ex captivis aliis per excontrum hujusmodi devotio vestra petierit, quanto sine negociorum communium evidenti periculo sustinere poterimus, petitioni vestre nostra serenitas condescendet.

III

(Edit. ap. *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. LIII.)

[Fridericus, etc.] Fidem solitam et devotionem evidentem, quam ab experto in nostris servitiis te habuisse incessanter et habere cognovimus, merito commendantes, ad futura culmini nostro commendanda obsequia animare sic te volumus cum affectu, ut tam de preteritis gratis servitiis quam de futuris tue devotionis studium hilariter dignis retributionibus compensemus. Super liberatione vero filii tui, qui pro fide majestatis nostre servanda, cum quibusdam aliis nostris fidelibus captus detinetur in Parma, pro quo liberando culmini nostro humiliter supplicasti, scire

te volumus quod cum firmum propositum habeamus eundem filium tuum et alios fideles nostros per Parmenses proditores nostros detentos in proximo liberare, sic e vestigio pro ejusdem filii tui liberatione favorabiliter intendemus, sicut de reliquo alio, quem chariorem nobis existere reputamus.

Potestas, milites et populus Parmensis potestati, militibus et populo Mediolanensi nuntiant quomodo, Friderici imperatoris copiis devictis, eum ab obsidione urbis suae repulerint, precanturque ut ad suum auxilium sine mora accedant, cum in via quam Deus aperuit ulterius procedere velint. [20 februarii circiter.]

(Edit. ap. MATT. PARIS., *Hist. maj. Anglor.*, Additam., p. 107.)

Strenuis et prudentibus viris domino Bonefacio de Sal. . . . potestati, militibus et populo Mediolanensi, Philippus Vicedominus potestas, milites et populus Parmensis salutem cum gloria et honore. Laudes retribuimus Deo Patri Filioque suo Domino nostro Jesu Christo et Spiritui Sancto trino Deo et uni majestati et Virgini gloriose que non propter nostrorum exigentiam meritorum, sed propter suam clementissimam pietatem civitatem nostram protegit et defendit, regit, visitat et gubernat, sicut manifeste conspicimus in victoria triumphali quam die martis duodecimo februarii exeuntis (1) contulit nobis Deus sue genitricis interventu. Quamvis enim mille quingenti de nostris ivissent inter Colornum et Bersellum, et preterea due porte in integrum. . . . . et ille seviens draco qui per tantum temporis obsederat terram nostram, nos omnino crederet deglutire, jam extra sua mœnia cunctis militum et peditum suorum agminibus ordinatis, nos invocato Dei auxilio et Virginis gloriose, cernentes

(1) Octavo decimo die februarii, dum fuerit hic annus bissextilis.

quod potens est Deus deponere superbos et humiles exaltare, protinus exivimus contra ipsos populus et milites universi, nequaquam nostra vestigia retardantes quoad usque dimicantes junximus nos cum eis, precedente vexillo cum forma Virginis pretiose cujus regebamur semita et ducatu. Et quamvis duriter a principio restitissent, nos tamen invalescentes durius in eosdem confregimus, contrivimus et prostravimus ipsos omnes. Et descendens impius Fredericus per subterfugia tanquam latro, dimisit suos et spolia sua prorsus ex quibus tria millia cepimus et plures. Cepimus quoque carrochium Cremonensium. Cepimus etiam menia que fecerat et omnia castra sua cepimus et habemus omnia sua que habebat. Interfecimus quoque Thadeum judicem suum, cubicularios et camerarios omnes, nostros etiam banneratos; de suis militibus et populo interfecimus ultra mille quingentos, preter subversos equorum pedibus et ruina, quos pre multitudine describere non potuimus. Alios autem de suis fugavimus usquequaque. Tandem in civitatem regressi cum Dei laudibus et honore nostre disposuimus negotia civitatis, confidentes in illo qui est vera salus omnium atque virtus, quod contritis brachiis impiorum amodo nos et nostri pace perpetua potiemur. Et hec vobis ad gaudium intimamus, magnificentiam vestram deposcentes quatenus omnes universaliter in nostrum auxilium et succursum, mora sublata qualibet, cum carrochio vestro accedatis, quia cum Deus aperuerit nobis viam, procedere volumus per ipsam festinanter ut recuperemus continuo burgum Sancti Domnini et Bersellum et alias terras nostras, capientesque navigium Cremonense et inimicos nostros et vestros, deleamus eos de libro viventium. Tollite moras omnes, viri prudentissimi et constantes, quia post Deum et beatam Virginem triumphi nostri vos auctores et participes reputamus. Et sciatis quod combusta terra dicti et maledicti Frederici, habemus omnes quos de nostris et Placentinis in vinculis detinuerat. Valete, nunciate hec amicis nostris et vestris ut pateant omnibus Christi amicis. Valete.

Fridericus de Antiochia, imperii in Tuscia vicarius generalis, vigore concessionis et mandati imperatoris patris sui, Gonlatum filium Acapti de Cortona publicum tabellionem in imperio statuit. Florentiae, 21 februarii.

(Edit. in *Epistol. Franc. Bonainii*, ap. *Arch. stor. italian.*, append., n° 12, p. 466, ex regist. veter. coaetan. notar. Crescentii in arch. comm. Corton., f. 96 recto. — Coll. cum cod. S. Emmer. in Bibl. reg. Monac., E. LXII, lib. IV, 72, ubi vero desunt tabellionis nomen et notae chronologicae.)

Fridericus de Antiochia, domini imperatoris filius, sacri imperii in Tuscia et ab Amelia usque Cornetum et per totam maritimam vicarius generalis. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod a domino serenissimo patre nostro sacras recepimus litteras in hac forma : Fridericus Dei gratia, etc., dilecto filio suo Friderico de Antiochia, etc. Fidelium nostrorum jurisdictionis tue, etc. (Vide supra documentum, p. 432.) Unde nos confidentes de fide et devotione Gonlati filii Acapti de Cortona, fidelis imperii, recepto prius ab ipso fidelitatis et officii juramento, predicta imperiali auctoritate qua fungimur ipsum publicum tabellionem in imperio duximus statuendum, ut de cetero predictum officium ad honorem et fidelitatem imperatoris serenissimi patris nostri et suorum heredum fideliter debeat (*a*) ubique per imperium exercere, mandantes imperiali auctoritate qua fungimur quatenus nullus sit qui eumdem Gonlatum super ipso officio impediat de cetero vel molestet; quod qui facere presumpserit, indignationem imperialis culminis se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum exinde fieri et sigillo nostro pendenti jussimus communiri.

Datum Florentie, anno dominice incarnationis M. CC. XXXX. VII, XXI februarii, sexte indictionis.

(*a*) In cod. Monac., *liceat ei.*

Extant in eodem registro, fol. 97 recto-verso, duae aliae tabellionum institutiones ab eodem Friderico de Antiochia factae; quas, cum similis formulae sint, transcribere denuo supervacaneum duximus : una tempore praecedens, scilicet : Datum Cortone, III octobris, quinte indictionis (id est anno 1246); altera vero posterior : Datum Florentie, anno dominice incarnationis M. CC. XXXX. VIII, XIII augusti, sexte indictionis.

[Februario exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, regni officialibus scribit quomodo castra sua ante Parmam fuerint ab hostibus incensa, monetque ne falsis credant rumoribus neque litteris bulla aurea vel sigillo regni quae perdidit signatis fidem adhibeant.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. XLI; coll. cum cod. Paris., *fonds Notre-Dame*, 202, et tribus tum Mus. Britann., tum Bibl. Oxoniensis codicibus.)

Fridericus, etc. Etsi volatilis fame proprietas, que solet in prosperis vera loquacitatis argumenta minuere, et in adversitatis turbine sumptis viribus eundo fictilibus, preter veritatis judicia sue probationis fimbrias dilatare, nuper de nostris processibus diversis forsan discussa relatibus, vestris auditibus aliquid presentarit, ne tamen aliter quam rerum ordo se habeat, adversariorum nostrorum adulteris fulta mendaciis, sinistri casus quicquam vel enorme de nobis precurrens adduxerit; ecce nudam veritatis indaginem eorum que nobis noviter contigerunt tenore presentium vobis amicabiliter referimus. Pridem siquidem dum Parmensium nostrorum rebellium proterva temeritas, quam per instantis obsidionis excidium nostra serenitas ad extrema deduxerat, tenuis spiritus vegetata suffragio laboraret in ultimis, volens in fortune dubie manibus externis ponere causam suam que desperare interius necessario cogebatur, tractato cum aliquibus exulibus civitatis ipsius quodam fraudulente machina-

tionis involucro, cum resistentie sibi fiducia vel resistendi materia non subesset, temporis etiam habilitate captata quo partem gentis nostre ad fabricationem pontis cujusdam in Pado, per quem aque nobis servabatur dominium, miseramus; die martis XVIII presentis mensis februarii berruerios (*a*) quosdam, ut ad eorum persecutionem gentem nostram adverterent, callide premiserunt. Sed dum fideles nostros, quos virtutis interius animositas accenderat et in similibus expertos jam pluries fortune placiditas animarat, ad reprimendam hujusmodi rebellium pusillanimitatis audaciam, inermes et unanimes extra castrorum nostrorum limites casus tam subitus eduxisset, accidit quod prius quam ad defensionem commodam civitatis Victorie quam ibidem statio nostra firmaverat, fideles nostri regredi potuissent, et rebellium eorundem incauta presumptio, quam exulum, ut diximus, occulta proditio vitiabat (*b*), castra nostra cum rebus ibidem habitis ignis incendio concremarunt. Nos autem, quos eventus hujusmodi repentina propulsatione commovit, ut via nobis aliunde liberior ad offensionem eorundem rebellium preberetur, per illius gratiam qui continuato suffragio tuetur imperium, salubriter cum tota gente nostra eodem die martis Cremonam advenimus, ubi per triduum tam Cremonensium quam Papiensium aliorumque nostrorum fidelium robore concorditer adunato, statim castra nostra in obsidione Parmensium ex alia parte duximus repetenda. Ubi eorum proterviam multo arctius solito tenentes obsessam, in Dei virtute confidimus, et de fortune solite que solet gratius arridere dum provocat, prosperitate speramus quod cum nostra per id nostrorumque fidelium ardentius sint accensa precordia, de rebellibus ipsis in proximo vota nostra infallibiliter attingemus. Unum veruntamen notitiam vestram non lateat, quod sic nos dimittere fortuna non voluit sue felicitatis expertes, quin post eundem diem martis, quo se perversitatis casus immiscuit, proximo sequenti die dominico nos ex parte altera marte gratifico demulceret. Cum enim Henricus illustris rex Sardinie, sacri imperii in Italia generalis legatus, dilectus filius noster, Padi dominium, quod victoria nobis de hostibus prisca tribuerat, possideret,

(*a*) In impresso *Bernerios*, male. Ad fidem Oxoniensis codicis correximus.

(*b*) Ibi quaedam deesse videntur.

naves omnes Mantuanorum rebellium, quas in frivolum Parme subsidium congregarant, potentie nostre virtute suffultus potenter aggrediens, eos viriliter expugnavit, ita quod centum de navibus inter parvas et magnas incastellatas, et trecenti de dictis rebellibus, quos in navibus spes fallax incluserat, preter peremptos gladio et aqua submersos, quorum non est numerus, in captionis parata retia, que declinare fuga non potuit, miserabiliter inciderunt. Et sic eorum navali sublato presidio, integre Padi dominium obtinemus. Sane cum in castrorum nostrorum combustione quam diximus, camera nostra cum auree bulle typario et regni nostri sigillo perdita et amissa fuerit, propter quod adversariorum nostrorum per casum tam horridum effrenata superbia, que caussam nostram hactenus rebus semper veritate carentibus obfuscavit, per typarii copiam et sigilli, multa, sicut credimus, in honoris nostri dispendium falsa machinatione confinget, devotionem vestram requirimus, et vobis districte mandamus quatenus si predictorum bulle auree vel sigilli munite signaculis ad vos alique litere sub nostri nominis titulo pervenirent, fidem eis stabilem vestre mentis constantiam, cum fidei robore careant, adhibere cujusquam suggestio non seducat.

[Martio ineunte.] Fridericus, Romanorum imperator, notum facit principibus et universis fidelibus suis quomodo fuerit debellatus ante Parmam.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. V; nunc coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455, et *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Ne fama preambula sub incerto discurrens animum vestrum in contrario eventu relatione veritati contraria valeat perturbare, facti veritatem per ordinem presentium serie duximus declarandam. Cum enim post captum et destructum pontem per Mantuanos et Ferrarienses infideles nostros, per nostros apud Pergamum (*a*) cum multo labore ac studio fabricatum,

(*a*) Sic in omnibus; legendum vero *apud Bersellum.*

iidem Mantuani et Ferrarienses infideles nostri per alveum Padi cum multitudine navium discurrerent, et Parmensibus proditoribus nostris, quos, impedito eis per predictum pontem navali subsidio, jam fere adjectione non modica rerum necessariarum indigentia cohartarat, victualia et alia necessaria copiosius ministrarent; considerato quod nisi reparato et bene munito ponte, viam per Padum omnibus modis navibus clauderemus, nos in obsidione Parme moram inutiliter traheremus, pontem in quadam strictura Padi, captis prius super Padum per Ravennates et Mutinenses fideles nostros circiter centum hostium nostrorum navibus, una cum hominibus, armis, victualibus, et omnibus contentis in eis, non sine magnis laboribus et expensis fecimus fabricari. Ponte quoque ipso fossatis et propugnaculis ac strenuis defensionibus omnibusque necessariis sic munito, quod nullo poterat hostium ingenio vel viribus occupari, Parmenses videntes per completum pontem optimeque munitum, sibi navalis subsidii in quo defendebantur maxime spem ademptam, quadam die tanquam de vita desperati, in animorum rabiem incidentes, elegerunt vel per pugnam succumbere, vel favente eis prosperiori fortuna de nostris manibus liberari. Ad instantiam (*a*) quorundam Parmensium, qui nobiscum Victorie in specie fidelium proditorie morabantur, de Parma die. . . . . tam milites quam populares communiter exeuntes ad Victoriam, per insultum circa horam tertiam locum ipsum fuerunt aggressi, et antequam nobis ac fidelibus nostris hujusmodi proditionis ignaris daretur ad arma spacium redeundi, totum locum ipsum globi ignei undique occuparunt, quibusdam rebus et vectigalibus nostris datis in manibus hostium in direptionem et predam. In persona vero nostra, per gratiam Redemptoris nostri, cum multis fidelibus nostris salvi evasimus, quibusdam pauperibus et levibus personis, quas fuge presidium salvare non potuit, in captivitate deductis aut per manus hostium trucidatis . . . .

(Caetera desunt.)

(*a*) In codicibus *ad instructum*.

[Martio.] Fridericus, Romanorum imperator, Johanni Turdo de Messana scribit consolando eum de morte filii occisi in expugnatione Victoriae.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. IV, cap. IV, et ap. Martene et Durand, *Amplissim. collect.*, t. II, p. 1217, ubi perperam regi Conrado addicitur epistola; nunc coll. cum variis Bibl. Cesar. Paris. codicibus. In cod. Mediomont. bibl. ap. S. Th. Phillipps titulus ita exaratur : « *Fridericus duci Spoletano de morte filii sui in combustione Victorie.* »)

Lugubrem Petri filii tui casum, vulgaris fame fortasse velocitate precognitum, cujus doloris aculeus prius dominica pectora transiens quam paterna, fecit in nobis quantum licuit et decuit stationem, infesto tibi stylo describimus. Et licet ejusdem obitus nos in ejusdem obsequiorum subtractione turbaverit, et te, sicut firmiter credimus, in carnis decisione medullitus venabulo quodam inopinato percutiat; si modus tamen et qualitas mortis attenditur, consolationis remedium, quod nos jam exinde probabili ratione concepimus, locum grandem invenire firmiter opinamur in patre. Dum enim idem filius tuus camere nostre servitiis assiduus et obsequiosus insisteret, in combustione castrorum nostrorum Victorie, ubi eum forte potuerat a rebellium nostrorum manibus fuga subducere, devotionis firma constantia, que vix cadere consuevit in juvenem, gladii superante terrorem, cruenta maluit morte succumbere quam dimissis aule nostre servitiis, saluti proprie sibi per absentationis subsidium providere. Ex hac igitur quam diximus causa, precipua doloribus tuis consolationis unguenta porrigentes, tibi mandamus ut cum ejusdem filii tui defuncti vivat in nostri cordis scrinio, etiam carne deficiente, memoria, et turpe sit in prudente viro consolationis remedium prestare lassitudo (*sic*) modum fundendis lacrymis adponere studeas, et causam in nobis consolationis assumas, etc. (1).

---

(1) De eodem Turdo de Messana, si huic viro haec epistola revera missa fuerit, agitur in

---

In proximis kalendis martii imperator congregatis suis militibus . . . intravit Burgum Sancti Domnini et die IV mensis ejusdem castrum Medaxane cepit et combuxit, et locum de Bercedo guarnivit . . . Die veneris XII exeunte martio imperator collecta militia sua in locum ubi fuerat Victoria equitavit. Deinde versus Bercedum equitavit, devastando per illas partes . . . et dato comeato Papiensibus et Pergamensibus equitavit Cremonam. *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 217. [Martio.]

Innocentius papa Brixienses hortatur ut devicto ante Parmam Friderico non obdormiant, sed viriliter assurgant in defensionem [Martio.]

---

aliis imperatoris litteris quas inter *Petri de Vin. epistolas*, lib. V, cap. CXXXI, impressas quoque reperimus, et sequuntur : « Fridericus, etc., secreto Sicilie, etc. Fidelium nostrorum eterna memoria, nostro recondita pectore, quanquam natura suum officium exequente, per solutionem debiti carnis ab obsequiis devotionis nostre quiescat; ex fonte tamen nostre ac innate clementie liquidum favoris rivulum, quem pater omnium ex gratia meruit, humana et benigna compassione percipimus derivari misericorditer ad heredes. Sicque in perpetuum apparent vivere, dum in Domino mors eorum et merita in hominibus reponantur. Ut autem noveris fidem Johannis Turdi de Messana, fidelis nostri, in beneplacitis nostris ex opere clarnisse, cujus obitum nobis displicuisse reserare dignamur ex meritis que in eo vivente comprehendimus, dum ex fide memorialiter vivit in nobis; volumus et presentium tibi tenore mandamus quatenus de balio filie et haeredis Johannis praedicti te nullatenus intromittens, ipsum per Rsii (*sic*) fratrem ejus, fidelem nostrum, constitutione nostra super hoc edita non obstante, de speciali gracia nostra geri et procurari permittas; predictis fratri et haeredibus suis, fidelibus nostris, in eorum juribus, personis et rebus, ob defectum ejusdem Johannis, injuriam vel gravamen inferri aliquatenus non passurus; immo in omnibus, quibus honoris nostri zelus et fides prefatos defendi et manuteneri voluerit, eis studeas ob nostre reverentiam majestatis adesse. »

civitatis ipsius contra tyrannum extrema remedia molientem, cum ibi pendeat potissime relevatio status Italiae.

(Edid. Fred. Hahn, *Collect. monum. vet. et recent.*, t. I, bull. pontific., p. 160-162, n° 31.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, potestati, consilio et communi Brixiensi salutem et apostolicam benedictionem. Admirandum divine virtutis auxilium quo nuper caterva fidelium apud civitatem Parmensem de Friderico quondam imperatore magnifice triumphavit, Deo pro catholicis contra perfidos confligente, in sublime debet erigere corda vestra ut pro jocunditate vobis celitus influente prorumpatis humiliter in gratiarum uberes actiones. Videntur siquidem breviari miserante Domino dies mali quibus tranquillitas ecclesiastice et Italice libertatis per iniquam persecutoris rabiem lacessitur, et appropinquare desiderati diutius dies pacis ad quam vos quos pro devocione Ecclesie, defensione patrie ac protectione fidelium longa bellorum calamitas fatigavit, inter ceteros debetis ardentius anhelare. Ad ferendum igitur dilectis filiis civibus civitatis ipsius promptum ac fidele subsidium, excitare vos debet communis utilitas et privata, quia non solum omnium sed causa manifeste vertitur singulorum, cum erga vos aliosque fideles majorem dilectionem iidem cives ostendere nequiverunt quam quod pro liberatione communi animas suas cum summa requireret necessitas exponentes, ceterorum vitam de lupi faucibus curaverunt eximere cum periculo vite sue. Quam sordida turpitudinis macula et quam horrida inhumanitatis nota fedaret qui tantum per ipsos consolationis beneficium sunt adepti, si afflictiones eorum dissimulent, si angustias, si labores, si ad eorum succursum omnimode non assurgant, si ignave torpeant, si miserabiliter refrigescant, nemo nisi qui mentis inops fuerit non agnoscit. Cum itaque in memorato triumpho dominus Deus nobis porrexerit manum suam et juvantis nos divine potentie debeatis existere adjutores, tiranno, sicut qui agit in desperationis articulo, extrema remedia moliente, prudentius est et solertius insistendum ne ipsius casus reparetur in statum ad perniciem plurimorum. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur, attente per apo-

stolica vobis scripta firmiter injungentes quatenus considerantes prudenter nimis turpe esse cum res annorum multorum promota laboribus culmen attingit ab instanti, per inertiam relaxari, in defensione civitatis predicte de qua pendet potissimum relevatio status Italie, nullo velitis tempore deficere vel remitti, quinimo tanquam viri strenui majorem ex prosperis successibus animum induentes, adhuc laudabilius insistatis ad consequendum ibidem plenum de tyranno tropheum, ubi tota resurgit vobiscum fidelium universitas si hostis illic finaliter superetur, cum semel quidem allisisse non sufficit dum gestit pertinaciter in victores, quia victor incautus a victo sepe revincitur si militie cingulum solvit vel se resolvit in quietem priusquam cedat adversitas reluctantis. Porro ne parum sit vos hortari per litteras ad tam necessarium negotium consummandum, dilectum filium magistrum Martinum capellanum nostrum, virum litteratum et probum et nobis et fratribus nostris in pluribus approbatum, de quo plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad vos propter hoc duximus destinandum, per apostolica scripta mandantes quatenus super hiis que vobis ex parte nostra dixerit credentes eidem, ea curetis prompto affectu effectui celeri mancipare, ita quod exinde devocionem vestram dignis in Domino laudibus commendemus. Nos autem qui fidelibus Ecclesie usque ad finem adesse proponimus, sicut precedentia de sequentibus pollicentur, sic circa ea que ad eorum auxilium expedire noscuntur, intendimus opportune quod profectus apostolice sollicitudinis auctore Domino comprobabit, dummodo manus vestre in defensionem libertatis communis et proprie ac status provincie Lombardie nullatenus dissolvantur, sed confirmentur nunc potius, cum majori noscitur robore opus esse.

Fragmentum alterius epistolae Innocentii papae (forsitan ad Mantuanos) ut Parmensibus inedia consumptis celeriter provideatur. [Martio.]

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindob. dicto Philologus, n° 305, fol. 64 recto.)

[Innocentius, etc.] Nisi contra publicum hostem, etc. . . . .

. . . .

. . . .

Frederico quondam Romanorum imperatore civitatem ipsam (Parme) invadere et quibus potest viribus allidere satagente, zelatores catholice libertatis et reparationem status Italie cupientes in defensionem illius tanto attentius oportet intendere quanto non solum civitatis ipsius, sed et totius regionis pejora novissima fierent quam priora, si idem christiani nominis persecutor locum a quo se dolet exclusum cum multiplici spiritus furentis nequitia iterum optineret. Sane sicut accepimus, idem F. vires suas reparare disponens quas nuper robusta manus devotorum Ecclesie in digito Dei contrivit viriliter, super Padum collecto unde potuit navigio fluviali, aditus conatur obstruere per quos in victualibus et aliis commerciis advehendis illius navalis triumphi beneficio quo claruit caterva catholica, civitas prefata respirat, ut per inediam illorum constantiam superare fallaciter possit quibus [non] prevalet per virtutem. Cum igitur ridende presumptionis hujus propositum magnitudinem vestram deceat dedignari, ...

. . . . mandamus quatinus

. . . .

eidem civitati ac fidelibus pro ipsa certantibus potenter et celeriter succurratis. Ex hoc quidem meremini gratiam apud Deum, etc.

[Martio.] Potestas et commune Parmensium potestati et consilio Placentiae contra imperatorem qui iterum civitati obsidionem minatur, subsidium petunt; quod et ipsi Placentini repromittunt.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 8564 A, fol. 15 verso.)

Nobilibus viris et discretis potestati et consilio Placentie suis ut fratribus et amicis, potestas et consilium et commune civitatis Parmensis salu-

tem et quicquid potest servicii et honoris. Ex relatione veridica nuntiorum nuper certitudinis experimento collegimus quod imperator noster hostis et emulus intendit in futura veris temperie collectis viribus undique ad obsidionem nostre civitatis ingentem exercitum congregare, cumque. . . . . previsa jacula minus afferant lesionis, universitatem vestram ex federe quo tenemur requirimus et ortamur et ex dilectionis vinculo quo jungimur deprecamur quatenus sic armis et equis vos premunire velitis quod ad requisitionem nostram, cum expediens tempus fuerit, sine dilatione aliqua sub felicis fortune omine cum potenti brachio succurratis, ut vestris et aliorum amicorum nostrorum viribus circumflui contra hostiles insultus fortitudinis spiritum assumentes insistere viriliter valeamus.

Responsio quod libenter.

Significata litterarum vestrarum debito honore recipientes, ad eadem taliter respondemus quod faciente illo qui docet ad bellum vestros digitos et ad prelia manus vestras, taliter vobis, quod absit, dum tempus affuerit, succurremus cum ducentorum peditum et militum comictiva quod nedum ab hostili nequitia vos tueri poteritis, verum cum ipsis in campo martio dimicare.

Raynerius Sanctae Mariae in Cosmedino diaconus cardinalis fuse narrat quomodo Marcelinus Aretinus episcopus jubente Friderico imperatore a Saracenis ignominiose suspensus fuerit, violentamque necem Geracensis et Cefaludensis episcoporum memorat, in tyrannum ejusque sequaces acribus verbis invectus. [Martio.]

(Edider. MATT. PARIS, *Hist. maj. Anglor.*, ad ann. 1249, p. 510, 511, et partim RAYNALD., *Annal. eccles.* ad ann. 1248, § XX.)

Raynerius Sancte Marie in Cosmedino diaconus cardinalis, etc. Grande piaculum, nefanda presumptio, ferina crudelitas, inauditum scelus, exe-

crabile flagitium, horrendum spectaculum his diebus coram Deo, angelis et hominibus est perpetratum, super quo deberet celum pallescere, solis radius nube palliari, sydera obduci caligine et quasi claudi signaculo, terra tremere, mare intumescere, tinnire aures audientium, corda fidelium concuti et renes christianorum contremiscere ac ad ultionis penam omnium regum, principum et militum ac universorum fidelium qui christianitatis professione censentur, corda excitari. Ecce qualiter insanivit preco Zabuli, Sathane vicarius, prenuncius Antichristi et omnium crudelitatum artifex et minister, et grassatus est in christos Domini magnosque pontifices sancto chrismate delibutos. Siquidem recolende memorie dominus Marcellinus Aretinus episcopus cernens in sua civitate persecutionis ollam a facie aquilonis vehementer succensam contra se nimium ebullire, cessit currenti furori et apud Anconam Sedis Apostolice filiam devotissimam annis pluribus in penuria exulavit. Suscepto igitur tandem precepto apostolico plurimum laboravit ut Marchiones de faucibus virulenti draconis, de laqueis venantium dæmonum et tyrannica servitute erueret, in quo videbatur per Dei gratiam aliquantulum profecisse. Contigit autem Domino permittente ut in manus incideret hostium et duriter in carcere ac vinculis premeretur per tres menses et amplius a satellitibus Pharaonis. Denique vir sanguinum Fredericus qui tanquam draco sæviens ac leo rugiens circuit querens quem devoret, madidus sanguine innocentum et cruore sanctorum ebrius, hoc audito plurimum est letatus et ad extinguendum Dei presulem ferino animo aspiravit. Nimirum hic impius dux prophanus habens, sicut pater suus diabolus, contra Dei Ecclesiam iram magnam, sciens quod modicum tempus habet, protinus in furorem erumpens, ore rabido suspensionis et juguli contra christum Domini sententiam fulminavit apud Victoriam ab eo fundatam, sed titulis fidelium adscribendam. Hoc autem actum est non sine stupendo miraculo, tertio videlicet die ante suum et illius loci exterminium triumphale. Ipsa namque Victoria felici auspicio contra votum furentis qui ei nomen indidit, victoriosi trophei tripudium de seipsa parti cessurum Ecclesie suo vocabulo presignivit. Ceterum cum Averni cyclopes et Vulcani satellites hoc mandatum a suo principe recepissent, urgebant episcopum ut ipse dominum papam,

cardinales et alios prelatos Ecclesie tunc excommunicaret publice coram plebe et fidelitatem juraret perfido Frederico, impunitate sibi super hoc et multis divitiis repromissis. Ipse vero Domini spiritu roboratus fidenter asseruit quod ipsum Fredericum Sathane progenitum et alumnum frequenter excommunicaverat atque suos, et tunc etiam eamdem in ipsum anathematis sententiam iteravit. Cumque duceretur ad martyrium pontifex, se primum munivit tam lamentis penitentie quam omnibus ecclesiasticis sacramentis; verum cum se in abyssum demergi estimans a circumstantibus intellexit quod tractus per villam debebat suspendio interire, cantare cepit *Te Deum laudamus* et hymnum angelorum alta voce. Deinde ad patibulum trahi voluit velut Christus ad crucem, sed flentibus mulieribus et parvulis circa ipsum, non est permissus ex toto nudari. Porro Saraceni ligaverunt sacras manus et pedes, velaverunt oculos, caput vero juxta caudam animalis est positum ut alvi profluvium si erumperet sacram verticem inquinaret. Ceterum vero illud brutum animal, licet stimularetur calcaribus, moveri non poterat donec psalmum et orationem inceptam athleta Domini terminaret et ab ipso gradiendi ulterius data foret licentia. Sicque per castrum Sancti Plamiani (1) Saraceni traxerunt eum ad furcas ac si esset vir ignobilis et plebeius, seu omnium abjectorum peripsema, vel perfidus parricida seu sicarius aut plagearius, seu nocturnus depopulator agrorum. Sane Christo Domino et fratribus minoribus hinc inde assistentibus inter alia est confessus quod sensualitas murmurans suadebat ut martyrium quod ipse dum esset liber cupierat, refugeret si valeret. Sed ipse tam hec quam queque minima que occurrebant memorie, non cessabat publice confiteri, omnibus sibi nocentibus offensas ex corde dimittens et que inferebant sustinens patienter. Fuit autem suspensus in patibulo in prima dominica instantis quadragesime (2), pene hora eadem qua Redemptor noster crucem ascendit. Positis vero custodibus ac triduo pendens in furcis, Minores tandem furati sunt corpus ejus. Sed illud car-

(1) Legendum vero putamus *per pratum Flatiani*, scilicet de Flazano ante Parmam, ubi Fridericus durante obsidione multos alios captivos ad ultimum supplicium trahi jussit. Videsis Affo, *Stor. di Parma*, t. III, p. 212, qui ita hunc locum corrigendum esse censet.

(2) Non dubitandum est ex praecedentibus quin his verbis indicetur dies dominica vulgo

nifices de tumulo extrahentes ac trahentes per lutum iterum suspenderunt, non deponendum absque novi Pilati licentia speciali, ad majus christianitatis opprobrium, cleri contumeliam, perpetuam ignominiam sacerdotalis ordinis et honoris confusionem pontificalis(1). Sane martyris corpus prius penarum ludibrio tabefactum nunc miraculis illustratur, ut testantur fratres religiosi qui exinde advenerunt, firmiter asserentes quod jam elapso decennio (*a*) non foetebat. Idem vero asseritur a viris prudentibus de illustri viro domino Hugelino Remocii plurima laude digno, qui nuper equo impingente ruens in prelio captus et nudatus ab impiis fuit et crudeliter interfectus. Attendite, populi christiani, et videte si est dolor sicut dolor Ecclesie, imo vester. Quis enim audivit unquam tale aut quis vidit huic simile? Quis fidelis Christi famulus hec advertens potest lacrymas continere, gemitus compescere aut singultus? Numquid erunt usque adeo aliqui duri corde ut tante crudelitatis percussi malleo non doleant, non tristentur? Numquid non conterentur quorumque Christianorum corda lapidea et ad compassionis affectum adamantina pectora non scindentur? Ubi est zelus christiane fidei? Ubi flammeus amor Christi qui nunc est denuo in suo suspensus pontifice ac ministro? Quemadmodum dixit Petro: « vade Romam iterum crucifigi » et Saulo : « Saule, Saule quid me persequeris? » et in Evangelio de discipulis attestatur dicens : « Qui vos spernit me spernit et qui vos tangit tangit pupillam oculi mei. » Igitur hic scelestus ad sue damnationis cumulum et ad increpandam duritiam cordis nostri que ad tam horrenda facinora vix movetur, similia sepius iterare flagitia non expavit, autumans apud christianos eo quod sua sine talione abundavit iniquitas refriguisse caritatem, aruisse in omnes pietatis viscera, omnemque

(*a*) Sic, intelligendum vero *post decem dies.*

---

septuagesimae dicta, quae reipsa aliquoties *prima carnisprivii* dicebatur, quum hac die viri religiosi, praesertim ecclesiastici et monachi, carnium comestione abstinere inciperent. Vid. *Art de vérifier les dates*, gloss. ad verb. CARNIPRIVIUM. Hoc anno autem septuagesimae dominica ad diem 16 februarii incidebat et Paschae ad 19 aprilis.

(1) De supplicio Marcelini publice praedicavit archiepiscopus Maguntinus apud Herbipolim die 23 augusti, fideles ad crucem contra Fridericum assumendam exhortando. Vid. *Chron. Erphord.* ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 406.

zelum fidei defecisse. Nam circa biennium episcopum Geracensem de Calabria fecit in aquis ferventibus(a) prefocari. Hoc vero anno in Urbe apud Lateranum recolende memorie Cefaludensem episcopum de Sicilia jam annis quindecim per dictum impium a propria sede pulsum, per quemdam lictorem siculum gladio fecit necari; cujus veneranda canities ad senium jam procliva diu in camino paupertatis excocta et longevi exilii pruina contracta, per se ipsam ad exitum properabat. Sed gladiator predictus non ad hoc tantum missus fuerat, sed ut in aliquam de magnis columpnis manus extenderet si valeret cruentatas. Nec mirum si minus famosos prelatos perimit, cum olim sicarios et assisinos conduxerit ad necandum supremum Christi vicarium et aliquos fratres ejus et in quosdam principes jam pridie similia attentaverit. Heu qualiter obdormivit in principibus christianis timor Dei et omnino fere tepuit amor Salvatoris! Nempe dudum tempore gentilium si unus demon dans in terris idololatris responsa coli ab aliquo spernebatur, multis distractus suppliciis crudeliter necabatur; et modo fides contemnitur, invalescunt heretici et ab impio defenduntur : predicantur in hujus scelesti potentatu hereses, increscunt apostate, defenduntur hostes Domini, contemnuntur sacramenta et claves Ecclesie, conculcatur libertas ecclesiastica nec curatur. Sane cum dudum exercitus christianus qui capere Babyloniam intendebat, fuit ab aquis Nili excrescentibus interceptus, nonne soldani mansuetudine refectus est pabulo et incolumis est servatus remissusque ad propria sine damno, ubi erant bone memorie dominus Albanensis et Aconensis episcopi et quidam alii presules et prelati et clare memorie rex Hierusalem Johannes de Bresnes? Nonne inclyte recordationis dominus Johannes de Columna presbyter cardinalis qui cum imperatore Constantinopolitano ad Greciam recuperandam intraverat, captus a Theodoro Cumano reverenter tractatus est et dimissus? Ecce sevissimi hostis insania non contenta his malis, per Saracenos prophanari fecit ecclesias, subrui altaria, spargi reliquias et in locis sacris constuprari christianas virgines, viduas cum maritatis. Quin etiam de suo mandato fratres minores aliique viri religiosi qui ad dandum penitentias

(a) In impresso *vehementibus*.

et sepeliendum corpora occisorum inter christianas acies discurrebant, gladiis impiorum perimuntur. Insuper ut furor Domini contra malignum amplius incandescat, nuper apud Narniam Saraceni multis cernentibus ad caudam subjugalis traxerunt imaginem crucifixi et beate Marie et aliorum sanctorum. Deinde succisis crucifixi cruribus et brachiis, ipsum sibi et alias imagines in clypeos adaptabant ut in bello christiani eas appetere cogerentur jaculis et sagittis. Ut quid igitur crucesignati has insanias negligentes intendunt sulcare lacerto vel brachiis flumina vel maria transmeare ad expugnandos Saracenos vel Tartaros longe furentes, quorum crudelitas his inferior longe censetur? Exterminetur itaque prius talis spurcitia Saracenica cum suis ducibus et fautoribus ac deinde ad alia procedatur, cum causa intus habeatur que foris queritur, et jam sit paganorum persecutio inter viscera Ecclesie in claustro fidelium et in ambitu christianitatis introducta. Expedire videtur ut primum propellantur de Italie finibus tantorum scelerum patratores, ne serpens in sinu, mus in pera, ignis in gremio nutriantur, et ad ulteriora postmodum procedatur; quia non propter locum gentem elegit Dominus, sed potius a converso ut patet in beato Petro et aliis apostolis ad gentes Hierosolyma derelicta transeuntes. Considerate denique quia de celo prospicit Dominus et vidit filios hominum, si est intelligens, si est qui doleat necem ejus, si est qui requirat suorum injurias ministrorum. Recogitet igitur quilibet christianus quid in extremo examine Domino respondeat si tanta dissimulet facinora. Prosequimini igitur, filii, altissimi causam Dei ut in bonum causam vestram tueamini sponsam ejus potentie vestre dextera ut ad dexteram suam vos collocet justus judex in judicio, ad eternam gloriam introducendos.

Cremonae 16 martii.

Henricus, rex Sardiniae, imperii in Italia legatus, ad requisitionem ambasiatorum Papiensium, Alberico ecclesiae Sanctae Mariae de Burgo Sancti Domnini (1) vicario concedit ut cuidam

(1) Haec ecclesia ad monasterium *Theodotis* dictum apud Papiam pertinebat.

Parmensi nomine Cervo de redditibus suae ecclesiae subvenire non cogatur.

(Memorat. ex schedis Comii ap. Robolini, *Notiz. storiche di Pavia*, t. III.)

Datum Cremone, XVI martii, indictione VI.

Fridericus, Romanorum imperator, ad fideles suos de victoria habita contra Parmenses post expugnationem suorum castrorum et de nece Bernardi Rolandi Russi, proditoris sui. [Exeunte martio.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. XLII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, 202.)

Casualis vindicte seu potius victorie nostre plene principium, quod post sinistrum castrorum nostrorum combustionis eventum nobis divina potentia, solita nostris adesse suffragiis, de navali Mantuanorum rebellium depressione contulerat, precedentis ad vos littere nostre stylo commisimus, ut coram vobis totius rei seriem veritas descripta dissereret, quam fama diversis discussa relatibus potuerat variasse. Nuper autem quod pugnans pro nobis manus Altissimi titulis nostris undique victoriam grate prosecutionis adjecerit, fidelitati vestre tenore presentium reseramus. Pridem dum collectis undique viribus nostrorum fidelium, quorum celeri fulti presidio civitatis Parmensium proterviam per aggressiones continuas multo arctius solito victoriose perstrinximus, die quodam ad expugnationem duorum castrorum Parmensium, que rebellium incauta temeritas ad strate nobis aditum precludendum, post recessum nostrum de castris Victorie occuparat, potenter serenitas nostra processisset, accidit quod magnam partem Parmensis militie, in frivolum castrorum ipsorum subsidium destinatam, acies una nostrorum fidelium ab exercitu nostro divisa per bivium (a) potenter et viriliter aggrediens, eos in nostri

(a) In codice simpliciter *per vim*.

nominis virtute viriliter expugnavit. Ex quibus centum et ultra gladio victorie peremptis, sexaginta de melioribus casus ille sic subitus nostro carceri aggregavit. In cujus etiam cedis excidio, quod vobis nunciamus ad gaudium, illum famosum et antiquum proditorem nostrum Bernhardum Orlandi Russi, hujus pape sororium, totius partis adverse caput et caudam, imo totius factionis Italie patratorem, vindice mucrone noveritis cecidisse (1). Ex quo nobis fiducia jam firma promittitur quod nequitie capite sublato de medio, membris, que ipso preside palpitabant, spes quelibet resistentie de cetero decidatur (2).

Lugduni, 1° aprilis.

Innocentius papa ad querelam Conradi comitis de Wasseburg crucesignati, episcopis Bavariae mandat quod ducem Bavariae, uxorem et filios ejus aliosque comites et nobiles, Friderici quondam imperatoris fautores, qui castra et possessiones ejusdem comitis invaserunt, per sententias excommunicationis et interdicti coerceant.

(Edit. ap. Mone, *Anzieger*, ann. 1838, p. 348.)

Innocentius (*a*) episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus

(*a*) In impresso *Gregorius*, male.

(1) « Die jovis XIII exeunte martio, marchio Lancea cum militia imperatoris equitavit ultra flumen Tarii in partibus Colligii ceperuntque Bernardum Rolandi Rubei et alios qui versus Furnovum equitabant, ipsumque Bernardum milites imperatoris detruncaverunt in campo. » *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 216.

(2) Adest ap. Hahn, opere praelaudato, *Bull. pontif.*, n° 34, p. 165, altera Innocentii papae ad Bononienses epistola qua illos hortatur ad defensionem Parmae et ad remissionem quorumdam imperialium captivorum qui in excontro Parmensium relaxentur. Licet in hac epistola de Bernardo mentio non fiat, ad istam Parmensium cladem pertinere videtur ex ipsis quae sequuntur verbis : « De civium jactura Parmensium quam nuper intulit vis hostilis . . . ab afflictione populi sic attriti . . . ad resurgendum de presenti ruina quorum (captivorum) defectu in grave periculum civitas ipsa concidit, etc. »

Frisingensi, Pataviensi, Ratisponensi episcopis ac dilecto filio electo Augustensi et procuratori ecclesie Salzburgensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut dilectus filius nobilis vir Conradus comes de Wazeburc, crucesignatus Ecclesie Romane devotus, nobis exposuit conquerendo, nobilis vir [Otto] dux Bavarie et A. uxor ejus et filii ejus, Rapoto Palatinus, Bertholdus marchio de Hohenburc, Gebehardus de Hirschperg, Otto de Blejen et Albertus de Mosburg comites, Lucimannus de Lapide, Wernerus de Laber, Henricus de Villheam, Ludovicus de Hogenowe, Ongescalcus de Hagineberc et Hermannus frater ejus, Henricus de Lechisberc, Sigefridus de Fromiberc, Ulricus de Frimitsberc, Sigefridus de Fronohoven et Bertholdus de Schiltberc et quidam alii sequaces eorum vestrarum diocesium, fautores Friderici quondam imperatoris Dei Ecclesie inimici, castra, villas et possessiones suas hostiliter invadentes ea omnia occuparint et detineant occupata, propter quod sui voti executio impeditur, mandamus quatenus si est ita dictos ducem, uxorem et filios necnon comites ac alios ut eidem comiti castra, villas, possessiones, etc., restituant moneatis attentius. Quod si monitis non curaverint acquiescere, per excommunicationis in personas et in terras eorum interdicti sententias appellatione remota cogatis, etc.

Datum Lugduni, kalendis aprilis, anno pontificatus nostri V°.

Fridericus, Romanorum imperator, cuidam communi mandat quod faciat justam emendam militibus, qui equos et arma ac res alias in exercitu suo perdiderunt. [Aprili ineunte.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. V, cap. CXX.)

Fridericus, etc. Milites vestri, latores presentium, fideles nostri, qui dudum per vos ob nostre reverentiam majestatis ad nostra servitia destinati, in eisdem servitiis fideliter permanserunt, excellentie nostre humili-

ter supplicarunt ut cum ipsi [dum] pro nobis et communi vestro (1) in eisdem servitiis in partibus Cremonensium contra Parmenses et alios proditores nostros fideliter moram traherent nobiscum, de mandato nostri culminis speciali, plurima sint, ut asserunt, gravia damna passi, tam de equis eorum et rebus aliis amissis, quam de destructione domorum sumptibus propriis in Victoria factarum, ipsis fidelibus nostris damna passis prefata dignaretur nostra serenitas providere. Cumque eisdem fidelibus nostris, qui circa servitia nostra multipliciter laborarunt, obsequia ipsa damnosa esse non debeant, sed potius fructuosa, ipsorum supplicationibus benignius inclinati, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus, si vobis constiterit de premissis, (dum modo non repugnet civitatis vestre statutum), in justa et convenienti emenda equorum amissorum et damnorum ipsorum refectione debeatis eisdem fidelibus nostris resarcire ipsorum labores et onera, ne ob hoc juste cogantur culmini nostro querimoniam iterare, et ad futura obsequia nostra et communis ejusdem in posterum facienda torpeant in aliquo vel tepescant.

Senis, 11 aprilis. Albertus Ranerii de Monteaperto et Jacobus Ugerii confitentur se recepisse a Ricovero camerario comunis Senensis CLXIIII libras denariorum Senensium pro Tebaldo de Montecereone et Gottifredo Ranerii de Monteaperto, pro servitio quod fecerunt stando in exercitu imperatoris in obsidione Parmae.

(Inedit. ap. Arch. comm. Senensis, *Caleffo Vecchio*, fol. 292 recto, ex transumpto authentico 2 nonas octobris ejusdem anni redacto.)

Anno Domini millesimo CC. XL. VIII, indictione VI, die III idus aprilis. Ego Albertus domini Ranerii de Monteaperto confiteor in veritate tibi do-

(1) Forsitan agitur de Papia vel Pergamo, ad quas civitates earum milites circa hoc tempus remiserat imperator. Cf. supra, p. 603.

mino Ricovero camerario comunis Senensis recipienti pro eodem communi me recepisse et hahuisse a te solvente pro ipso communi integre LXXXII libras denariorum Senensium in una parte pro domino Thebaldo de Montecereone et alias LXXXII libras in alia parte pro Gottifredo fratre meo filio dicti domini Rainerii et ipsorum nomine : quos denarios ipsi recipere et habere dehebant a comuni Senensi pro eorum feudo sive soldo a proximis kalendis februarii retro, occasione servitii et pro servitio quod fecerunt pro dicto tempore stando in exercitu domini imperatoris in Lombardia in obsidione Parme pro comuni Senensi; et ideo ego dictus Albertus pro me ipso et ego Jacobus Ugerii pro eo presente et mandante et uterque in solidum nostrum principaliter et personaliter obligando solempni et legittima stipulatione interposita, promittimus tibi dicto camerario recipienti pro eodem comuni nos taliter facturos et curaturos quod predicti Gottifredus et Theobaldus habebunt ratam et firmam hanc solutionem et stahunt inde taciti et contenti, et quod ipsi vel alter eorum vel alius qui habeat jus vel causam ab eis vel aliquo de predictis denariis vel aliquo eorum vel eorum occasione nullam de cetero litem vel brigam vel controversiam facient vel movehunt comuni Senensi vel alii pro comuni, et si contra factum fuerit vel sic non observatum, dictum comune et te pro eo et successores tuos et bona indepnes exinde spondimus conservare sub pena dupli illius unde lis fieret, a nobis tibi recipienti pro comuni promissa et ea data (*sic*) ut dictum est observare; ohligantes in his nos et nostros heredes tibi et successoribus tuis et bona nostra pignori; renunciantes exceptioni non numerate et non recepte pecunie, beneficio nove constitutionis et privilegio fori et omni legum et juris auxilio. Et ego Orlandus notarius infrascriptus predictis volentibus et confitentibus predicta, precepi nomine sacramenti et guarentisie ut dictum contractum per singula observent et contra non veniant ullo modo et faciant observari.

Actum Senis in Biccherna coram dominis Therpolo Comitis, Orgese Mainetti, Tinaccio Guarnerii, Jacopo Signoruoli et Adota notario, testihus presentibus et rogatis. Ego Orlandus notarius filius quondam Attaviani predictis interfui et ea rogatus scripsi et publicavi.

Lugduni, 18 aprilis.

Innocentius papa archiepiscopis, episcopis caeterisque Germaniae praelatis scribit quod cum Fridericus post suam in concilio Lugduni depositionem, non solum ad purganda crimina venire neglexerit, sed etiam quamdam in clericos solemnia celebrare recusantes execrabilem sanctionem edixerit, ipse in eum die jovis sancti excommunicationis et anathematis sententiam innovavit.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1248, § III et seqq., e regest. libro V, litter. curial., n° 44.)

Innocentius, etc., archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per Alemanniam constitutis. Cum nos olim Fredericum quondam Romanorum imperatorem citaverimus, ut in concilio Lugdunensi personaliter vel per nuntios compareret responsurus nobis et aliis qui vellent aliquid proponere contra eum et satisfactionem idoneam prestiturus, tandem quia in eodem concilio multa inter cetera contra ipsum sic certa et evidentia quod in eis inficiationi prorsus locus esse non poterat, manifeste comperimus, ex quibus de vitio pravitatis heretice merito debebat haberi suspectus, maxime cum post excommunicationis sententiam a bone memorie J. episcopo Sabinensi et. . . tituli Sancte Sabine presbytero cardinali latam in ipsum, postquam etiam felicis recordationis Gregorius papa predecessor noster eum anathematis vinculo innodavit, ac post Ecclesie Romane cardinalium, prelatorum et clericorum ac aliorum etiam diversis temporibus ad Sedem Apostolicam venientium captionem, Ecclesie claves contempserit sibi faciens celebrari vel potius quantum in eo fuit profanari divina, constanter et patenter asserens se prefati predecessoris sententias non vereri, et insuper conjunctus amicitia detestabili Sarracenis, eorum ritus amplectens et aliquos ex ipsis in quotidianis ejus obsequiis secum tenens, nuncios soldani Babylonie postquam idem soldanus, cum quo dictus Fredericus prout ex ipsius soldani accepimus litteris a tempore patris ejusdem soldani familiaritatem

et dilectionem mutuam ac concordiam perfectam habuisse dignoscitur, Terre sancte ac ejus habitatoribus christianis per se ac suos damna gravissima et inestimabiles injurias irrogarat, fecerit per regnum Sicilie cum laudibus ad ejusdem soldani extollentiam honorifice suscipi et magnifice procurari, necnon aliorum infidelium perniciosis et horrendis obsequiis contra fideles abutens, illis qui damnabiliter vilipendentes Apostolicam Sedem ab unitate Ecclesie discesserunt, procuraverit amicitia et affinitate conjungi, ipsum in prefato concilio propter hec et alia plurima que in sententia tunc prolata contra eum a nobis plenius continentur, abjectum omnique honore ac dignitate tam imperii quam regnorum privatum a Domino denuntiavimus eum nihilominus sententiando privantes, excommunicationis solemniter in eumdem propter has et alias causas sententia promulgata, quam postmodum annuatim certis solemnitatibus more Romane Ecclesie duximus innovandam. Sed ipse tanquam in suis obfirmatus nequitiis nec adhuc de tam nefanda et damnabili suspicione satisfacere nec ad gremium matris Ecclesie redire curavit, licet Panormitanum archiepiscopum et episcopum Papiensem et quosdam alios ad sedem destinarit eamdem, qui venerabilibus fratribus Portuensi et Albanensi episcopis et dilecto filio nostro H. . . tituli Sancte Sabine presbytero cardinali quos eis concessimus auditores, instrumentum cujusdam tabellionis et litteras munitas bulla aurea presentarunt, in quibus continebatur quod cum idem Fredericus fuisset in premisso concilio habitus de heretica pravitate suspectus, ipse interrogatus et examinatus ab eis super articulis contentis in symbolo et aliis ad fidem catholicam pertinentibus dixit se illos firmiter credere ac juravit; in quibus etiam constituit examinatores ipsos procuratores suos ad jurandum in anima ejus quod eos credebat et ad purgationem etiam in presentia nostra in loco idoneo super suspicione hujusmodi offerendam. Qui hec eisdem retulerunt auditoribus viva voce quodque sic erant jurare parati, ex parte ipsius Frederici purgationem hujusmodi offerentes. Nos autem his intellectis talem examinationem et purgationem, cum nec ubi nec de quibus neque coram quibus debuit presumpta fuerit, cum iidem examinatores et eorum consanguinei sint de ipsius curia seu terris potestati vel verius tyrannidi sue subjectis, illuso-

riam prout erat et frivolam reputantes, ipsam de fratrum nostrorum et multorum prelatorum qui nobiscum tunc aderant consilio, decrevimus irritam et inanem, processum eorumdem examinatorum super iis presumptum penitus reprobando. Concessimus tamen, si venerit idem Fredericus personaliter infra tempus legitimum sine armis et cum modico comitatu, quod ipsum super purgatione quam de suspicione predicta se coram nobis velle prestare dicebat, si de jure et sicut de jure faciendum existeret, audiremus. Verumtamen non solum postmodum venire neglexit, sed quasi delectet eum malefacere, prioribus nequiora committens, quamdam execrabilem edidit sanctionem inter alia continentem ut quicumque clericus vel religiosus ad papale vel papalis legati mandatum publice forsan omiserit missarum seu alia celebrare solemnia et sacramenta fidelibus ecclesiastica propinare, de civitate vel loco cujus incola reperietur ejectus bonis suis patrimonialibus et ecclesiasticis, ut penam de tanta temeritate tulisse se doleat, spolietur : clericis mandato predicto parere nolentibus et in fide sua ferventibus ecclesiasticis applicandis, patrimonialibus autem proximis ab intestato venientibus scilicet assignandis (1). Unde quia merito contra eum qui penitere despiciens peccata peccatis accumulat et ortam contra se suspicionem dictis et factis innuit esse veram, est durius procedendum, nos prefatum Fredericum, sicut hactenus, sic in die jovis sancto proximo preterito (2), quinimo districtius pro eo quod suspectus vehementer de heresi et anathematizatus ad sinum prefate matris Ecclesie redire ac ea facere que a sic suspecto ac excommunicato fieri debent, omnino contempsit, excommunicavimus et anathematis vinculo duximus innodandum; denuntiantes nihilominus sibi presente generali et publica congregatione fidelium et per alios etiam ei nuntiari volentes quod si deinceps in hujusmodi contumacia duxerit persistendum, contra ipsum graviter quantumcumque secundum Deum expedierit procedemus. Pronuntiavimus preterea quod quicumque sibi post duos proximo futuros menses ab eodem die jovis computandos consilium aut auxilium prestiterit vel

(1) Cf. mandatum quod supra exhibuimus, p. 585.
(2) Scilicet 16 aprilis, cum Pascha hoc anno in die 19 aprilis incideret, ut supra monuimus.

favorem publicum vel occultum, illi eidem pene subjaceat tam in persona quam in rebus, cui talium fautores subjacent secundum canonicas et legitimas sanctiones. Mandamus quatenus predicta omnia et singula publicetis et publicari faciatis per loca in quibus videritis expedire.

Datum Lugduni, XIV kalendas maii, anno V.

Innocentius papa mandat ut bona omnium Januensium qui Friderico quondam imperatori auxilium vel favorem praestant, publicentur, ipsius communis Januae usibus applicanda, eisdem tam de Janua quam de aliis societatis Lombardiae civitatibus perpetuo forbannitis. Lugduni, 20 aprilis.

(Inedit. ex cod. Caffar. in Bibl. Brit. Musaei, n° 12031, fol. 168, recto-verso.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati, consilio et communi Janue salutem et apostolicam benedictionem. Cum diligenter attendimus et solicite meditamur quot et quales nobis paret insidias Fredericus quondam imperator, Ecclesie persecutor, quibusve ingeniis sive modo fallaciis et dolositatibus fideles Ecclesie trahere ad se velit, ut eos mordeat amarissime et impie tradat morti, expediens, imo propter instantis malitiam temporis necessarium arbitramur ut illorum temeritatis presumptio qui in ipsius vestrum sanguinem sitientis auxilium privatim vel publice se convertunt, digno castigetur verbere ac pena debita feriatur. Cum igitur circa statum vestrum et omnium aliorum Ecclesie devotorum in prospera dirigendum, sicut nos duxistis aliquando requirendos, hactenus intenderimus toto posse totoque ingenio insistamus, cum nihil amplius cupiamus ad presens quam quod negotio communi quod agitur profectus accedant prosperi et felices succedant eventus, ac id nequaquam valeat provenire sitque labor noster inutilis si contingat nos in contrarium laborare, volumus et per apostolica scripta vobis precipiendo mandamus quatenus submoto cujuslibet dilationis et difficultatis

dispendio, statuatis et irritetis (*sic*) deinceps a vobis refragabiliter (*sic*) observari ut illorum omnium qui inventi fuerint aliquid tractare vel etiam tractavisse in favorem Frederici predicti et detrimentum civitatis vestre vel societatis dispendium Lombardie, a tempore quo depositionis tulimus sententiam in eumdem, bona quelibet publicentur vestris communibus usibus applicanda, eis tam de vestra quam de omnibus aliis civitatibus societatis predicte perpetuo forbannitis; quorum filii et nepotes ad nulla penitus officia vel potestarias in vestra vel aliqua societatis ejusdem civitate de cetero assumantur. Illi vero qui tales in officiales sue civitatis presumpserint assumere vel etiam potestates, se noverint excommunicationis sententia innodatos et terras eorum supponendas ecclesiastico interdicto.

Datum Lugduni, VI kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

Lugduni, 27 aprilis.

Innocentius papa O. Sanctae Mariae in Via Lata diacono cardinali, Apostolicae Sedis legato, mandat ut filios et nepotes Friderici quondam imperatoris, marchiones, comites, barones, etc., ejusdem fautores, nominatim excommunicet, villas et castra eidem adhaerentia interdicto supponat, crucemque contra Ezelinum de Romano et caeteros Ecclesiae inimicos praedicet aut praedicari faciat.

(Edid. Höfler, *Kais. Friedr. II*, append., p. 378, n° 33, e regist. litter. Innoc. IV, in Bibl. Vallicell. Rom. J. 56.—Collat. cum cod. La Porte du Theil, in Bibliot. Cesar. Paris., t. XX.)

Innocentius, etc., O. sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, Apostolice Sedis legato, etc. Instantem persecutionem Ecclesie ac persecutoris tyrannidem diligentius attendentes, cogimur querendo remedia procurare contra illos qui persecutioni hujusmodi facto vel dicto, ope vel opere causam prestant. Cum igitur multi de diversis partibus Frederico quon-

dam imperatori adhereant immemores sue salutis, nos nolentes hec sub simulatione transire, ne quod absit assumant exemplum exinde convicini, mandamus quatenus Frederici filios et nepotes nominibus eorum expressis nec non marchiones, comites et barones, prelatos etiam et clericos cujuscumque fuerint dignitatis vel ordinis, et alios omnes qui eidem F. quovis modo favere presumant aut ad curiam ejus seu nepotum vel filiorum ejusdem vocati vel non vocati vadant vel mittant, excommunicationis mucrone percellas, ipsosque excommunicatos publice nunties et nuntiari facias per loca in quibus expedire videris, pulsatis campanis et candelis accensis singulis diebus dominicis et festivis. Civitates quoque, castra, villas et loca dicto F. adherentia nominatim Ecclesie interdicto supponens, prives ea et judices ac tabelliones eorum et prefatos omnes omni honore, quolibet officio, quavis dignitate et quibuslibet nisi duntaxat in casu a jure concesso ecclesiasticis sacramentis, baptismate parvulorum et penitentiis morientium solum exceptis, quibus nulli prorsus teneantur in judicio respondere. Interdicas etiam specialiter ut nullus ex fautoribus prefati Frederici in potestatem aut rectorem vel ad aliquid officium seu dignitatem eligi valeat vel assumi, excommunicationis in illos qui contra fecerint sententia promulgata; et quia Ezeliuus de Romano tanquam membrum diaboli et iniquitatis vasciculum, contra Ecclesiam ad prefati persecutoris obsequia damnabiliter se devovit, contra eumdem Ezelinum et fautores ejus simili modo ut predictum est procedere non postponas, contra quos omnes in terris tue legationis crucem predices et facias predicari; illam signum crucis adversus predictos assumentibus peccatorum suorum veniam, protectiones et privilegia concessurus que conceduntur crucesignatis transfretantibus in subsidium Terre sancte.

Datum Lugduni, V kalendas maii, anno quinto.

Guillelmus de Parisio et Bartholomeus de Turgusio, imperiales judices contractuum in Tarento, ad requisitionem Gregorii mo- Cremonae, 30 aprilis.

nachi Cassinensis in publicam formam redigi faciunt litteras Stephani Jaquinti de Baro, magistri camerarii terrae Ydrunti, quibus vigore mandati imperialis cujus tenor inseritur, et post inquisitionem factam, mandat Johanni judici de Cretio, procuratori curiae in Tarento, ut a procuratione ecclesiae Sancti Petri imperialis de Tarento ad mensam conventualem Cassinensem pertinentis de caetero desistat.

(Inedit. ex archivo monast. Cassin., *Cod. diplom.*, t. V, chart. S. Petr. imper.; pergamena vero parum correcte transcripta videtur et in quibusdam locis erosa est.)

Die dominico penultimo mensis augusti, sexte indictionis, nos Guillelmus de Parisio et Bartholomeus de Turgusio, imperiales judices contractuum in Tarento, presenti scripto fatemur quod frater Gregorius Casinensis monachus et prior ecclesie Sancti Petri de Tarento ostendit nobis litteras domni Stephani Jaquinti de Baro imperialis magistri camerarii terre Ydrunti, transmissas judici Johanni de judice Creti procuratori rerum curie in Tarento; quarum continentia talis est :

Prudenti viro Johanni judici de Cretio procuratori curie de Tarento amico suo, Stephicius (*sic*) Jaquintii de Baro, magister camerarius terre Ydrunti, salutem et amorem sincerum. Recepimus sacras imperiales litteras in hunc modum : — Fridericus, Dei gratia, etc., magistro camerario terre Ydrunti, etc. Venerabilis conventus monasterii Casinensis nostrorum fidelium transmissa culmini nostro petitio continebat quod cum ipsi semper habuerint et habere consueverint ex antiquo quasdam obedientias et domus pro utilitatibus conventus ejusdem divisas a proventibus et juribus spectantibus ad abbatem, in quibus abbates qui pro tempore ipsi monasterio prefuerunt nunquam habuerunt questionem cum eis, videlicet infirmarium, vestiarium, cellararium, sacristam, camerarium, hospitale et quasdam res alias ad usus ipsius conventus specialiter hactenus deputatas, et in obedientiis ipsis et rebus semper prefuerunt monachi conventus ejusdem pro voluntate sua, tu, mortuo Stephano quondam abbate ipsius monasterii, quo monasterio ipso vacante hujus bona pro parte curie nostre

procuras, prefatum conventum super predictas contra justitiam impetis et molestas. Supplicantibus igitur predictis fidelibus nostris super eas secundum justitiam provideri, nolentes eos de hiis juribus defraudari, fidelitati tue precipiendo mandamus quatinus prefatum conventum fideles nostros super predictis contra justitiam non impetas nec molestes, sed ipsos in eo statu esse permittas quo tempore quondam aliorum abbatum decedentium, cum prefatum monasterium vacabat, conventum prefatum . . . . quod justam non audiamus iterum in hac parte querelam. Datum Cremone, ultimo aprilis, sexte indictionis. — Ad cujus executionem sacri mandati de controversia intendentes probationem recipiendam super premissis a parte conventus predicti, per litteras nostras tenorem litterarum prescriptarum imperialium continentes. . . . . judici Nicolao de Patricio judici et notario Panormo notario actorum in bajulatione Tarenti commisimus, et ut de ipsa recepta faciant fieri publicum instrumentum. Quo instrumento facto et nobis per eosdem nostros commissarios presentato, communicato super probationis ipsius efficacia et aliis consilio sapientum, quia predicti conventus intentionem in totum fundatam invenimus, quum juxta sacri imperialis predicti mandati tenorem a molestatione et impetitione predictis desistere debeamus, prudentie vestre ex parte imperiali qua fungimur auctoritate mandamus quatenus a procuratione ecclesie Sancti Petri imperialis de Tarento vobis de nostro mandato commissa de cetero desistatis, conventum prefatum in eo non impetentes vel. . . . . molestantes, juxta tenorem sacrarum litterarum imperialium predictarum. Datum Tarenti, vigesimo junii, sexte indictionis.

Verum quum predicte autentice littere penes prefatum judicem Johannem remanserant, ad petitionem et cautelam predicti fratris Gregorii monachi Casinensis et conventus ejusdem monasterii securitatem, ipsas de verbo ad verbum fideliter transcribi et in publicam formam redigi fecimus per manus Panormi imperialis publici Tarenti notarii, et nostris subscriptionibus roborantes eidem fratri Gregorio easdem assignavimus, die, mense et indictione pretitulatis.

(Adest signum notarii.)

† Guillelmus de Parisio judex.
† Bartholomeus de Turgisio judex.
† Jaspidus filius judicis Alexandri.
† Ego Absalon notarius Rogerii filius.
† Ego Dominicus Griso Johannis filius.
† Johannes filius Simeonis de. . . . . . . milite.

Lugduni, 15 maii.

Innocentius papa abbati Augensi regratiatur quod ipse omissa priori circa negotium Ecclesiae negligentia, Hartmanno de Kiburg et aliis Germaniae comitibus viriliter contra Conradum Friderici quondam imperatoris filium adstiterit, eumque in gratiam Ecclesiae resumit.

(Edid. Raynald., *Annal. eccles.* ad ann. 1248, § XVI.)

Innocentius, etc., abbati Augensi Constantiensis diocesis, etc. Venerabilis fratris nostri Constantiensis episcopi et dilectorum filiorum nobilium virorum H. de Kyburch, L. de Fonbuit, G. de Signering et H. de Cruenvigen (1) comitum, Romane Ecclesie devotorum, per litteras nobis extitit intimatum quod si hactenus circa negotium Ecclesie visus fueris negligens et remissus, provenit ex industria, non contumacia vel defectu, ut ipsis opportunitate captata magis posses resistentes offendere quam offendi, opinione pro ipsorum assertione manifestius faciente quod cum nuper Conradus natus Friderici quondam imperatoris, aggregatis undique viribus, non attendens quod non in multitudine exercitus victoria belli, sed est de celo tantummodo fortitudo, cum ipsis comitibus congredi attentasset, astitisti eis viriliter et potenter cum decenti armatorum et honorabili comitiva, ita quod persecutor Ecclesie terga vertens, relictis rebus quam-

(1) Scilicet Hartmannus de Kiburg, Ludewicus de Froburg, Goltefridus de Sigmaringen et Hartmannus de Grüningen, ut nos monet Staelin, *Wirtemb. Gesch.*, t. II, p. 201.

plurimis, fere fuit manu valida captivatus, etc. (Subdit se episcopi et procerum illorum precibus permotum, ipsum in Ecclesie gratiam admittere, ac provocat ad expectationem quam ii de ipsius virtute suis litteris concitarunt sustinendam.)

Datum Lugduni, idibus maii, anno V°.

Innocentius papa patriarchae Jerosolymitano, magistro militiae Templi et omnibus per regnum Jerosolymitanum constitutis mandat quod Thomasium comitem Acerrarum, Friderici quondam imperatoris legatum, si fieri possit expellant, Pisanos vexilla ejusdem Friderici portantes compescant, neque praesens ipsius regni dominium immutari permittant. Lugduni. 25 maii.

(Inedit. ex collect. La Porte du Theil in Bibl. Cesar. Paris., anno V, epist. 53, 54 et 57, fol. 558; coll. cum indice epistol. Innoc. IV, *ibidem*, fol. 93.)

Innocentius, etc., patriarche Ierosolymitano Apostolice Sedis legato, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis prelatis, templariis et hospitalariis et fratribus domus Theutonicorum necnon baronibus universis devotis Ecclesie in transmarinis partibus constitutis, etc. Cum, sicut accepimus, Thomasius comes Acerrarum qui pro Friderico quondam imperatore in comitatu Tripolitano dicitur commorari, devotis Ecclesie noceat per modos et fraudes a domino suo solitos sicut potest, universitati vestre mandamus quatenus quod idem comes de partibus illis omnino recedat sollicite laboretis. Tu vero, frater patriarcha, loca ubi moratur et ad que ipsum pervenire contigerit, auctoritate nostra supponas ecclesiastico interdicto, contradictores, etc.

Datum Lugduni, VIII kalendas junii, anno V.

Innocentius, etc., patriarche Jerosolimitano Apostolice Sedis legato, etc. Cum, sicut accepimus, Pisani et plures alii in eorum navibus, cum ad Acco-

nensem applicant civitatem, vexilla Friderici quondam imperatoris extensa portare ipsaque in ecclesiis in solemnitatibus ponere presumant, in animarum suarum periculum et scandalum plurimorum, mandamus quatenus hoc omnino fieri prohibens predictos et alios quod de cetero ab hujusmodi presumptione omnino desistant monitione previa per censuras ecclesiasticas appellatione remota compescas, invocato ad id, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis.

Datum, *ut supra*.

Innocentius, etc., magistro et conventui militiae templi Jerosolymitani, etc. Cum, sicut accepimus, quidam de partibus vestris tam religiosi quam alii seditiose procurent qualiter regnum Jerosolymitanum possit ad manns Friderici quondam imperatoris et Conradi nati ejus inimicorum Ecclesie pervenire, universitatem vestram rogamus, mouemus et hortamur attente firmiter precipiendo mandantes quatenus persistentes in devotione Romane Ecclesie constantia inconcnssa, non immutetis nec quantum in vobis est ab aliquo permittatis ipsius regni dominium aliquatenus immutari. Alioquin tam vos quam alii privilegiati de partibus illis qui contra presumpserint, poterunt merito formidare quod omnibus privilegiis, libertatibus et immnnitatibus vobis et eis ab Apostolica Sede concessis in perpetuum privabuntur. Datum, *ut supra*.

In eumdem modum vicemagistro et conventui domus hospitalis Jerosolymitani.

Magistro et conventus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum.

Archiepiscopis, episcopis ac abbatibus, prioribus, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Jerosolymitanum constitutis.

Universis baronibus et militibus regni Jerosolymitani.

Consulibus et communitati Januensium in regno commorantibus.

Consulibus et communi Venetorum in regno commorantibus.

Consulibus et communi Pisanorum in regno commorantibus.

Populo civitatis Acconensis.

In castris in depopulatione Parmae, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis et acceptis servitiis communis Eugubii fidelium suorum, eis castrum Collis Pergulae cum omnibus pertinentiis ejus in perpetuum concedit.

(Edidit Reposati, *Della zecca di Gubbio e delle geste de' Conti e duchi d'Urbino*, t. I, p. 403, append., n° VI.)

Federicus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Benemeritis Cesarem providere fidelibus etsi gratie plenitudo suadeat, servitiorum quodammodo gratitudo compellit, ut dum grata fidelium remunerantur obsequia, fiant quasi per debitum gratiora. Per presens itaque scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem puram et devotionem sinceram quam commune Eugubii, fideles nostri, erga majestatis nostre personam et sacrum imperium habere noscuntur, considerantes quoque grata et accepta servitia que culmini nostro prestiterunt hactenus et presentis turbationis tempore prestare non cessant et facere poterunt in futurum, castrum Collis Pergule in districtu existens Eugubii quod nunc curia nostra tenet, cum hominibus, justitiis, rationibus, juribus, jurisdictionibus et omnibus pertinentiis suis eidem communi fidelibus nostris in fidelitate ac devotione nostra et imperii persistentibus in perpetuum, salva imperiali justitia, de gratia nostra duximus concedendum, quod a nobis et imperio immediate teneant et etiam recognoscant; presentis scripti auctoritate mandantes quatenus nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vicarius seu capitaneus, nullus potestas, nullum commune, nulla denique persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis concessionis nostre tenorem temere venire presumat; quod qui presumpserit, preter indignationem nostri culminis quam se noverit incursurum, centum libras auri purissimi pro pena componat,

medietate fisco nostro et medietate ipsarum reliqua passis injuriam applicanda. Ad hujus autem nostre concessionis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum per Johannem de Capua notarium et fidelem nostrum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum in castris in depopulatione Parme, per manus magistri Petri de Vinea, imperialis aule protonotarii et regni Sicilie logothete, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense madii, sexte indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus vicesimo octavo, regni Jerusalem vicesimo tertio, regni vero Sicilie quinquagesimo, feliciter. Amen.

[Maio vel junio.] Fridericus, Romanorum imperator, scribit comiti Casertano Ludovicum regem Francorum in transfretatione proxima per Siciliam transiturum vel etiam hiematurum, mandatque ut statim cum tribus vel quatuor viae sociis ad partes illas accedat, pro receptione dicti regis.

(Edid. Baluze, *Miscell.*, t. I, p. 470; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 8567, fol. 83 verso.)

Fredericus imperator, etc., comiti Casertano, etc. Cum, sicut firma nuper relatione comperimus et te in parte non credimus ignorare, L. illustris rex Francorum dilectus amicus noster ad partes ultramarinas, prout jam dudum stabili mente disposuit, transfretare magnifice sit paratus, quem per partes Sicilie transire velle constanter audivimus vel ibidem si casus inciderit yemare, nolentes ut insula ipsa nostri pars utique preclara dominii, tempestate presentium negotiorum et temporis imminente, rectoris seu presidis presentia careat qui personaliter nostre majestatis essentiam representans et regem ipsum loco nostri quo decuerit honore recipiat et

provinciam ipsam in omni tranquillitate gubernet, quanquam regnum nostrum in proximo, civitatis Parme depressa protervia vel ipsius urgentissime depopulatione peracta, repetere personaliter disponamus, te ad partes illas tanquam precipuum loco nostri vicarium ante faciem nostram salubri consideratione providimus premictendum; devotioni tue mandantes quatenus incontinenti receptis presentibus, ad comitivam tuam viris aliquibus fidelibus nostris de Terra Laboris et comitatu Molisii tribus vel quatuor deputatis, magnis et continuatis dietis ad partes ipsas, sicut unquam gratiam nostram diligis, celeriter studeas te transferre. Qualiter autem super receptione regis ejusdem et negotiis nostris illarum partium gerere te velimus, per latores presentium, nuntios tuos fideles nostros, quibus super hoc plenissime beneplacitum nostre majestatis expressimus et fidem plenariam adhibere te volumus, sufficienter poteris informari.

Innocentius papa Argentinensi episcopo qui oppidum de Gengenbach castraque de Malberg et Ortemberg, quae Fridericus quondam imperator ab ecclesia Bambergensi tenebat in feudum, suis sumptibus cepit, concedit ut eadem castra non possint alienari nisi prius ei de expensis suis fuerit plenarie satisfactum. Lugduni, 3 junii.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, t. I, n° CCCCLXII, e cod. Mss Bibl. Vatic., n° 7183; erronee vero Gregorio nono rem tribuit. Rectius tamen epistolam denuo exhibet *ibidem*, p. 399, e regist. epist. anno V, epist. 868.)

Innocentius (a) episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri. . . Argentinensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Ne inde possis incurrere damna unde meruisse dignosceris commodum et favorem, libenter apponimus remedium et cautelam. Cum igitur, sicut patet per opera, ex parte tua fuerit propositum coram nobis quod oppidum de Gen-

(a) In cod. *Gregorius*, male.

gembach et de Malberch(a) et de Steinberc(b) castra cum pertinentiis suis que Fridericus quondam imperator ab ecclesia Bambergensi tenebat in feudum, ceperis non sine magnis oneribus expensarum, nos indemnitati tue volentes paterna sollicitudine precavere, presentium tibi auctoritate concedimus ut ad eorum restitutionem minime tenearis neque predicta oppidum et castra per venerabilem fratrem nostrum Bambergensem episcopum vel successorem ipsins aut aliquem alium aliquo modo alienari valeant; quam alienationem si forte presumi contigerit, decernimus irritam et inanem, nisi primo tibi et adjutoribus tuis de damnis et expensis que hac ratione subiisse noscimini, fuerit plenarie satisfactum. Nulli ergo, etc.

Datum Lugduni, III nonas junii, anno pontificatus nostri V.

In castris in depopulatione Parmae, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Ortolfi Garstensis abbatis, capellani et fidelis sui, de verbo ad verbum inserit et confirmat scriptum Friderici quondam Austriae et Styriae ducis in anno 1235 octavo decimo die septembris indultum, quo sibi sententialiter advocatiam monasterii de Garsten attribuit, notificatque imperator eamdem advocatiam ad manus suas perpetuo retinere velle.

(Edit. ap. Kurz, *Beyträge zur Geschichte des Landes oesterreich ob der Enns*, t. II, p. 550, n° LXX, ex autographo unde sigillum pendebat.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Justis fidelium nostrorum petitionibus condescendere cogimur quas nisi favorabiliter audiremus, obaudire quod juste petitur per injuriam videremur. Eapropter per presens privilegium notum fieri volu-

(a) In cod. *Mulberc*, forsitan *Malberg*, castrum et oppidum Ortenoviae, nunc juris Badensis.

(b) Ita, sed in registro *Ortemberg*.

mus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Ortolfus venerabilis Gerstensis (a) abbas, cappellanus et fidelis noster, ad presentiam nostram accedens (1) quoddam scriptum patens per Fridericum quondam ducem Austrie et Styrie monasterio suo super advocatia ejusdem monasterii dudum indultum, culmini nostro exhibuit, supplicavitque attentius celsitudini nostre ut omnia que continerentur in eo confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus scripti tenor per omnia talis est :

Nos Fridericus Dei gratia dux Austrie et Styrie et dominus Carnyole notum facimus universis et nominatim significamus Ottoni advocato de Lengenbach, Liutoldo et Chunrado fratribus de Altenburch, Ottoni et Ortolpho de Greze et Gundakaro de Styra quod accepimus querimoniam Ulrici abbatis et fratrum de Gersten super injuriis et gravaminibus que sibi inferebant predicti et quidam alii minores qui se dicebant sue ecclesie advocatos. Nos igitur dicto abbati et fratribus diem prefiximus ante castrum Sitzenperge ad nostrum placitum generale, ubi predictus abbas presente Chunrado Frisingensi episcopo, comite Chunrado de Hardeke et multis ministerialibus nostris, per plura privilegia sufficienter ostendit quod in omnibus possessionibus ecclesie sue nullum preter nos habere debeat advocatum. Nos itaque eamdem advocatiam sicut justum fuit nostre adtraximus potestati, mandantes ut nullus eos in suis possessionibus occasione advocatie gravet de cetero aut molestet; quod quicumque contra jus et contra mandatum nostrum eandem ecclesiam de cetero infestaverit, illum sicut ratio exegerit puniemus ut pote nostri nostrique judicii contemptorem. Hujus rei testes sunt Chunradus episcopus Frisingensis, comes Chunradus de Hardeke, Heinricus de Prunne, Irnfridus de Himperge, Henricus de Sevelde, Hademarus de Sunnenberch, Wichardus de Arnsteyne, Heinricus de Hakanberch, Chunradus et Ulricus fratres de Himperge, Ulricus de Chirchlinge, Hugo et Otto Tursones, Rapoto et Had-

(a) Scilicet *de Garsten.*

(1) « Item Ortolfus abbas Gerstensis imperatorem apud Chremonam pro suis et ecclesiae negotiis visitat, honorifice recipitur et pro sua voluntate honorabilius dimissus, etc.... » *Chronic. Garstense*, ad ann. 1248, ap. RAUCH, *Scriptor.*, t. I, p. 36.

marus fratres de Schonenberch, Ditrycus de Volchinsdorf, Syboto de Hage, Liutoldus de Pourawe, Dyetricus Pmhase (*sic*), Wernhardus de Inne, Heinricus de Wasen, Meinhardus de Gastey, Duringus magister venatorum, Duringus Scheke, Marquardus Preuhaven, Rubertus de Anaso et alii multo plures. Datum ante castrum Sitzenperge, XIIII kalendas octobris, anno Domini M. CC. XXXV.

Nos igitur attendentes fidem puram et devocionem sinceram quas idem abbas et monachi sui conventus, fideles nostri, ad excellentiam nostram gerunt quodque pro salute et incolumitate nostra et pro salubri ac tranquillo statu imperii nostri eterno regi supplicent incessanter, considerantes quoque quod in negotio predicti abbatis nostrum pariter commodum procuretur, cum advocatia prescripti monasterii sui sit ad nos et imperium post prefati ducis obitum libere devoluta, suis supplicationibus benignius inclinati, predictum scriptum huic nostro privilegio de verbo ad verbum inscri jussimus, omnia que continentur in eo de imperialis preeminentie nostre gratia perpetuo confirmantes. Statuimus igitur et imperiali sancimus edicto quatenus nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, baro, ministerialis, nulla denique persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, prefatum abbatem et successores ejus in advocatia predicti monasterii sui quam ad manus nostras et imperii perpetuo retinere volumus, contra presentis confirmationis nostre tenorem temere impedire, molestare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum et in vindictam temeritatis sue centum libras auri purissimi compositurum, quarum medietas camere nostre, reliqua vero passis injuriam applicetur. Ad hujus igitur confirmationis nostre futuram memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Heinricus illustris rex Sardinie, Philippus venerabilis Pactensis episcopus, magister Gualterius venerabilis Capuanus electus (*a*), Manfredus marchio Lancea, Bertholdus marchio de Hohemburch, Berardus comes Laureti, Riccardus de Montenigro magister justiciarius,

(*a*) Cum id forte legi non potuerit in autographo, datur solummodo apud Kurz, *Cap......ctus*, quod facile ex ceteris suppletur.

Ansaldus de Mari sacri imperii et regni Sicilie ammiratus, et alii quam plures.

Signum domini nostri Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense junii, sexte indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno vicesimo octavo, regni Jerusalem vicesimo tercio, regni vero Sicilie quinquagesimo, feliciter. Amen.

Datum in castris in depopulatione Parme, per manus magistri Petri de Vinea imperialis aule prothonotarii et regni Sicilie logothete, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, Ottoni comiti palatino Reni, duci Bawariae, et haeredibus ejus masculis, pro fidelitate hactenus exhibita, in odium perfidiae Ottonis ducis Meraniae, proditoris sui, comitatus de Nuemburch et Scherdingen in feudum confert.

In castris in depopulatione Parmae, junio.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 305-306, num. DCCLXXXIV, ex origin. in arch. reg. dom. Bavariae; cujus sigillum periit, remanentibus filis sericis purpurei et flavi coloris. Versionem hujus documenti germanicam exhibuit AETTENKHOFER in der *K. Gesch. des haus. von Bayern*, p. 164, num. 7.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Tunc imperialis excellencie firmissimo robore firmatur imperium, tunc decus extollitur Cesaree majestatis, cum infidelibus pro perfidia penam digne retribuit, et pro fide fidelibus premia liberaliter elargitur. Amorque virtutis tunc crescit in bonis, et pene fragor in malis acuitur, cum injustorum divitiis ditantur et induuntur innocentes quo-

dammodo spoliis dampnatorum. Hac igitur consideratione permoniti, qui Romani frena imperii moderamur, attendentes quoque puram fidem et devotionem sinceram quam Otto comes palatinus Reni et dux Bawarie dilectus princeps noster ad excellentiam nostram gerit, necnon et grata valde ac fidelia servitia, que culmini nostro incessanter exhibet et exhibere poterit in antea gratiora, considerantes etiam manifestam perfidiam quam Otto dux Meranie proditor noster, adherendo rebellibus nostris, contra nos et imperium proditorie commisit, comitatus de Nuemburch et Scherdingen, quos idem dux Meranie a nobis et imperio tenuit, prefato Ottoni comiti Palatino Reni et duci Bawarie et heredibus suis masculis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, de gratia nostra duximus in perpetuum conferendos ut servire proinde nobis et imperio teneantur. Ad hujus autem concessionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum in castris in depopulatione Parmensi, per manus magistri Petri de Vinea imperialis aule prothonotarii et regni Sicilie logothete, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense junii, VI indictionis.

[Junio exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, significat comiti Novello prosperos rumores de exercitu suo et quomodo Mediolanenses et Placentinos ante Florensolam fugaverit.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. XLVIII. Coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202, cod. Mediomont. Phillipps., n° 8390, et cod. Guelferb. Bibl. Aug. XIII, 4.)

Fridericus, etc., comiti Novello, etc. Ut victoriosi exercitus nostri processus fidelitatem tuam non lateat veritas que frequenter, ut assolet, loquacitate referentium variatur, presens te veridica pagina doceat quod

dum in castris ante Parmam (a), in depopulatione nostrorum rebellinm tam potenter quam feliciter moraremur, de ipsius loci celeri occupatione securi, U. marchionis Palavicini fidelis nostri, qui constantiam nostram aliquo modo non falleret, accepimus literas continentes quod Mediolanenses nostri rebelles cum Placentinis eorum sequacibus pro succursu Parmensinm proditorum nostrorum, quorum desiderabilia noster vastabat ignis et gladius, potenter venerant Florensolam : immani se voce jactantes quod nobiscum ad congressum venire volebant, gladiorum nostrorum potentiam, quam in necem eorum sepins experti fuerant, per fastuosam quamdam superbiam prorsus obliti; cumque assistentibus nobis imperii viribus et cesareis animis, quod predicti rebelles nostri nos presumerent aggredi, serenitas nostra duceret indecorum, ut etiamsi belli casus inciderit, per eorundem ingressum attingeremus viriliter votum nostrum, de quo, autore Domino, qui nostrum tuetur imperium, infallibiliter sperabamns, altiori ducti consilio, defixis castris nostris, feliciter victricia signa nostra direximus contra ipsos, die lune XV presentis mensis junii ante Florensolam ubi ad perniciem ipsorum eos convenisse didicimus, figentes felicia castra nostra. Quod cum ipsis innotuit, signa nostra respicere non audentes, locum ipsum de nocte non sine timore maximo dimiserunt, sic in fugam conversi ut evanescere quam fugere potius viderentur. Hec interim ad gaudium tibi significare curavimus; tu vero illis nniversis fidelibus ipsarum partium studeas publicare.

Fridericus, Romanorum imperator, regratiatur cuidam communitati de oblata sibi pecunia, et vult quod in collecta generali eis imposita haec oblatio computetur. [Junio exeunte.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. LXII.)

Nuper ad audientiam nostram R. comitis Casertani, dilecti generi et

(a) In impresso *Faventiam*, male.

fidelis nostri, nunciatione pervenit quod vos zelo pure devotionis accensi, preter universitatis vestre gravamina, que pro nobis continue prompta mentis alacritate suscipitis, et preter labores innumeros, quos animorum clara semper affectione portatis, solite devotionis affectum, quem ad excellentiam nostram vos gerere sine cujuslibet verbo vel literis plene scimus, nuper fructiferis perficientes indiciis, pro restauratione camere nostre, quam pridem casus ille nobis (ut creditur) horridus repente surripuit, de bonis vestris quantitatem nobis placitam promptis affectibus obtulistis. De quo fidei vestre constantiam eo laudibus gratiosis extollimus, quo super his voluntatis vestre promptitudinem experimur. Volentes itaque vobis super hoc, quorum sumptus et onera passiva quodammodo participatione sentimus, gratiam facere specialem; ecce oblatam per vos pecuniam pro receptis habuimus, quam sic vobis cum gratiarum placida relatione remittimus, ut in nostris cessisse profectibus videatur; de quibus si quid jam voluntatis ardore suggerente solvistis in quantitate generalis collecte vobis nuper imposite, si minor vel equalis est oblatio, volumus computari. Quod si oblatio generalis forte collecte superet quantitatem, eam occasione oblationis hujusmodi nolumus solvere vos teneri. Vos igitur presentem munificentie nostre gratiam suscipientes hilariter, firmam spem fiduciamque concipite quod de rebellibus nostris quos habemus in manibus, votiva nobis proveniente victoria, nostris vestrisque sumptibus et sumptuosis laboribus finem laudabilem imponemus.

[Junio exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, fidelibus suis scribit quod cum ad plenam Parmensium destructionem pecunia sibi tantummodo deficiat, ad eos Philippum Pattensem episcopum mittit pro pecunia recolligenda et celeriter transmittenda.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. XLIV; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Etsi nobiscum hactenus, postquam a regno discessimus, eventu vario

fortuna certaverit, eatenus verumtamen nos superiores in area felicitas nostra constituit, ut jam non vinci posse, sed vincere procul dubio confidamus. Ter sena projecimus, velut qui multitudine pugnatorum partem adversam Parmensium civitatem laborantem in ultimis juvare volentem in tantum excessimus, ut inter vires nostras et suas, tanquam inter non participantia, comparatio nulla vel modica censeatur. Unum solnmmodo nobis ad festinam plenam victoriam deficit, quod ad sustentationem stipendiariorum nostrorum aliorumque fidelium, quos a remotis imperii finibus ad participium victorie nostre fortissimus fidei zelus imparatos et subditos evocavit, sufficientem pecuniam non habemus. Ad quam tum ex vestro subsidio, quod nunquam nobis hactenus defuit, o fideles, tum ex quibuscunque curie nostre proventibus colligendam et ad nos etiam cum summa festinantia destinandam, nec minus nt vos de nostrorum successuum prosperitate letificet, Philippum venerabilem Pattensem episcopum, dilectum fidelem nostrum, celeriter incursim duximus destinandum; ad cujus adventum preter mittentis imperium et affectum quem ad vos non dominicum, sed paternum habemus, misse persone vos qualitas moveat, quam velut obsequiis nostris perutilem a nostris aspectibus separamus inviti, nisi quod eo usque nos nostra necessitas perduxerit, ut corporis nostri partem, si fieri posset salubriter et natura permitteret, necessario misissemus. Ad offerendum itaque nobis in hac parte subsidium vestra devotio non moretur, quod totum et integrum e vicino vobis hilariter cum palma desiderate victorie reddere pollicemur.

Fridericus, Romanorum imperator, increpando scribit rationalibus seu officialibus suis de regno, super mittenda pecunia, et ut obediant Philippo Pactensi episcopo quem ad eos nuntium mittit. [Junio exeunte.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. V, cap. XXXIII.)

Discedentes dudum de regno nostro feliciter, presentes ibidem haberi credidimus; sed, prout ab experto cognoscimus, utinam presentes alicubi seu viventes et validi crederemur! Quin potius (quod dolentes et verecundi referimus), tanquam si vos et officiales alios salutis et vite nostre cautos solicitudo non redderet, necessaria victui nostro subducitis, ut nedum honorifice vincere, sed necessario vivere non possimus. Ad excitandam igitur vestram et aliorum nostrorum officialium tam perniciosam ipsius persone nostre desidiam, P. venerabilem Pactensem episcopum, fidelem nostrum, in regno providimus destinandum. Ad cujus adventum preter mittentis imperium, misse persone vos qualitas moveat, quam velut obsequiis curie nostre perutilem a nostris aspectibus separamus inviti, nisi quod eo usque nos necessitas ipsa perduxerit, quod corporis nostri partem (si fieri posset salubriter, et natura permitteret) necessario misissemus (*a*)..... quod totum et integrum e vicino vobis hilariter cum palma desiderate victorie [reddere] pollicemur. Quidquid denique dictus episcopus super his vobis ex parte nostra dixerit et mandaverit, indubitanter credere et efficaciter percomplere curetis.

[Circa junium.] Otto comes de Eberstein videns se non posse defendere terram Austriae ab insultibus hostium, cum quibusdam ministerialibus et civibus utriusque terrae ad imperatorem repedavit Veronam, sperans ab ipso suscipere nepotem suum filium dominae Margaretae reginae, nomine Fredericum, in principem terrae Austriae; sed cum sociis suis spe frustratus est (1) et in Austriam non est reversus. *Contin. Sancrucensis secunda*, ap. PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, t. XI, p. 642.

(*a*) Ibi quaedam ad sensum desunt, quae in praecedente epistola reperies.

(1) Ulterius enim transire comes non potuit, a Philippo Salzburgense archiepiscopo et a Lombardis impeditus, sicut nos Pernoldus et Chronicon Salisburgense monent.

In proximo mense julii imperator volens ad partes Montisferrati accedere, quia Petrus Becherius civitatem Vercellarum intraverat, acceptis multis obsidibus Laudae et Regii quos in Cremona habebat, duxit eos Papiam. Deinde cum ipsis apud Casale Sancti Evasii equitavit cepitque Pasilianum, Sanctum Salvatorem, Sanctum Georgium et alia loca quae idem marchio Montisferrati tenebat. *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. 217. [Julio.]

Fridericus, Romanorum imperator, Papiensibus mandat quod monasterio Sancti Salvatoris de Papia pecuniam quam ei debent pro locatione Besati et territorii ejusdem exsolvere curent, vel saltem ipsam in summa exactionis quam annuatim ab ipso monasterio requirunt, compensent. Papiae. 18 julii.

(Inedit. ex copia authentica de anno 1248, 5 calendas septembris, apud Papiam, quam nobiscum sua solita liberalitate communicavit F. Boehmerus.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, potestati, consilio et communi Papiensi, fidelibus suis, graciam suam et bonam voluntatem. Querelam venerabilis abbatis et conventus monasterii Sancti Salvatoris de Papia, nostrorum fidelium, recepimus continentem quod cum occasione fictus (1) pro loco Besati et territorio et aliis rebus ejusdem teneamini eis nomine dicti monasterii in certa pecunie quantitate, vos nedum eis ipsam pecuniam curatis exsolvere, sed alias super summa pecunie, quam omni anno pro nostre voluntatis

(1) Vel potius *ficti*, scilicet occasione firmae vel locationis, ex voce italica *fitto*.

arbitrio ab eis exactionis occasione requiritis, ipsos quam plurimum aggravantes, ipsam compensare in predicta quantitate debiti recusatis. Super quo cum sibi supplicaverint per nostram celsitudinem provideri, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatinus, si est ita, vel debitum predictum in quo predictis abbati et conventui, nostris fidelibus, tenemini nomine ficti exsolvatis eisdem, vel in summa ipsius pecunie quam ipsis annuatim exactionis nomine requiritis compensetis. Alioquin ecce quod Henrico de Rivello, sacri imperii a Papia superius vicario generali, fideli nostro, damus nostris litteris in mandatis ut vos ad id qua convenit cohercione compellat.

Datum Papie, decimo octavo julii, sexte indictionis.

Apud Casale Sancti Evasii, 24 julii.

Fridericus, Romanorum imperator, notum facit quod cum olim castrum Olibani ad ecclesiam Salernitanam pertinens per magistrum Theutonicorum Hermannum custodiri fecerit, malitia temporis adhuc perdurante per castellanos et servientes suos expensis praedictae ecclesiae custodiendum quoque ducit; eo tamen statuto ut statim ac concordia inter se et Romanam Ecclesiam reformata fuerit, castrum ipsum in potestatem archiepiscopi sine difficultate revertatur.

(Inedit. in archivo archiep. Salern., regest. I, fol. 716, ex originali unde pendebat sigillum cereum cum filis sericis rubri coloris. Copiae vero chartaceae et recentioris mendas evidentes correximus.)

Federicus, Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Notum fieri volumus per presentes qnod olim pro malitia temporis perurgentis castrum Olibani quod est sancte archiepiscopalis ecclesie Salernitane, fuit de mandato nostro et voluntate quondam venerabilis archiepiscopi ipsius ecclesie fidelis nostri per bone memorie fratrem Hermannum magistrum hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerusa-

lem pro parte et nomine venerabilis archiepiscopi memorati et ecclesie sue predicte sub fidelitate et honore nostro fideliter custoditum; et quia dicto magistro obeunte et malitia temporis adhuc perdurante, de beneplacito nostro processit ut castrum ipsum, donec inter nos et sanctam Romanam ecclesiam matrem nostram pax et concordia reformetur, pro parte et nomine dicte ecclesie Salernitane cujus est et archiepiscopi supradicti, cum expensis mediocribus ipsius ecclesie per castellanos et servientes in ipso de mandato nostro et consensu dicti archiepiscopi ponendos debeat custodiri, ad supplicationem prefati archiepiscopi quam propter sue fidei puritatem favore nostro et exauditione novimus esse dignam, et ad perpetuam cautelam sui et ecclesie sue predicte, statuimus ut propter hoc nulla prescriptio, nullum prejudicium, nulla actio vel exceptio contra ipsum et ecclesiam suam tam super proprietate dominii quam super possessione ipsius castri, vassallorum, reddituum, possessionum et omnium bonorum existentium in ipso tempore aliquo generetur. Immo volumus et jubemus ut statim quam inter predictam sanctam Romanam ecclesiam et nos pax et concordia fuerit auctore Domino reformata, castrum ipsum cum omnibus bonis suis ad manus et potestatem dicti archiepiscopi et ecclesie sue gratis et sine pretio vel conventione aliqua per nos vel per heredes nostros seu per quemcumque alium detentorem ipsius libere et sine difficultate aliqua revertatur, ad quam de jure noscitur pertinere. Unde ad memoriam futurorum et cautelam ecclesie supradicte presens scriptum fieri jussimus majestatis nostre sigillo solito sigillatum.

Datum apud Casale Sancti Evasii (*a*), anno Domini M. CC. XLVIII, XXIV julii, indictione VI[a].

Innocentius papa C. comiti de Friburg promissiones per Henricum Rasponem quondam ipsi factas, specialiter super restitutione castrorum Nuwenburg, Offenburg et Ortenberg, confirmat. Lugduni, 28 julii.

(*a*) In copia legitur, sed male, *Sancti Gervasii*.

(Edid. Schöpflin, *Hist. Zar. Bad.*, cod. diplom., t. IV, p. 214, e tabul. Bad. Duriac.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro C. comiti de Friburg salutem et apostolicam benedictionem. Fidei tue sinceritas exigit ut tuis petitionibus quantum cum Deo possimus favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos devotionis tue precibus inclinati, promissiones per claro memorie H. Romanorum regem provide tibi factas, sicut in ejusdem litteris perspeximus contineri, et specialiter super restitutione castrorum et oppidorum quorum nomina Nüwenburg, Offenburg et Ortenberg fore proponis, jure successionis hereditarie ad te pertinentium, cum ea de potestate inimicorum Ecclesie contingeret liberari, auctoritate apostolica confirmamus (1) et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lugduni, V kalendas augusti, pontificatus nostri anno sexto.

[Julio.] Ipso anno dominus Fridericus venit in Aste et nuntios mandavit ad illustrem regem Franciae, exponens se et terram et homines suos ad passagium suum contra paganos, sicut publice dicebatur, et ut ipse dominus rex cum domino papa sic faceret quod relevaretur a sententia excommunicationis et depositionis; ... sed nihil facere potuit. *Annal. Genuens.*, ap. Murator., *Scriptor.*, t. VI, p. 515.

---

(1) Confirmatum quoque fuit a Willelmo, Romanorum rege, apud Argentinam, IV idus maii, indictione IX (1251). *Cf. ibid.*, p. 220, nº CXXVI.

Innocentius papa regem Francorum monet se nullum ex parte Friderici tractatum pacis admissurum, nisi cum pleno honore Ecclesiae et sub ea conditione quod idem Fridericus vel aliquis de sua progenie nunquam de caetero ad imperii regimen assumatur. [Circa julium.]

(Inedit. ex cod. Bibl. reg. Berolin., n° 188, fol. 133 verso.)

Vigilat cor nostrum in hiis assidue per que honor Ecclesie producatur et christiano populo tranquillitas ac devotis sedis Apostolice possit optata prosperitas provenire. Propter hoc autem firmam et inconcussam te volumus habere fiduciam quod licet pacis eventus semper in desiderio nostro fuerit et existat, tamen quidquid hinc inde dicatur vel cogitetur aut presumatur ab homine, tractatum pacis ex parte F. quondam imperatoris nullatenus admittemus nisi cum pleno et evidentissimo honore Ecclesie ac illorum salute qui sibi adhesisse in hac parte noscuntur : inter quos te serenitatis regie intuitu et obtentu devotionis sincerissime quam circa Deum et ipsam geris Ecclesiam, unum de majoribus et potioribus reputamus. Ceterum pro constanti teneas quod qualiscumque pacis tractatus emergat, dictus F. aut aliquis de sua progenie nunquam de cetero ad imperii regimen assumetur.

Fridericus, Romanorum imperator, conventui Casaenovae promittit quod ab ipso collectas non nisi per marchionem Jacobum de Caretto colligi faciet. Apud Casale Sancti Evasii, augusto.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 207, n° 1143.)

Datum apud Casale Sancti Evasii, anno dominice incarnationis M.CC.XLVIII, mense augusto, indictione VI.

[Augusto.] Fridericus, Romanorum imperator, cuidam civitati Marchiae significat se cito iturum ad partes eorum, rebus Pedemontis ubi terram marchionis Montisferrati proditoris sui depopulatur, in proximo expeditis.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. LXXIII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Quanta sit fidei vestre constantia, quam erga nos et imperium prompta mentis alacritate protenditis, evidentibns operum experimentis agnoscimus, et crebra Richardi comitis Theatini fidelis nostri relatio patefecit. Ex quo synceritatis vestre zelum tanto fecundioribus titulis laudum extollimus, quanto presentium negociorum et temporum qualitate pensata, gratiora nunc nostrorum fidelium obsequia reputantes, devotionem vestram synceram in omnibus firmiorem pre aliis in fide nostri culminis experimur. Cum igitur in partibns Pedemontis, ubi terram marchionis Montisferrati, proditoris nostri (1), continue depopulationi subjicimus, ut singula nobis ad placitum grata successione respondeant, expeditis in proximo qnibusdam arduis et magnis sacri imperii negociis, pro quibus ibidem moram necessario bucusque protraximus, considerationis nostre intuitus dirigatur, partesque ipsas victoriose repetere firmiter disponamus; fidelitatem vestram, de qua plene confidimus, monemus attente mandantes quatenns de felici adventu nostro, quem vobis proximum pollicemur, firmam fiduciam obtinentes, sic interim in fide nostra vires et animos augeatis, qnod vobiscum placida visione presentes, devotionem vestram pro meritis prosequi valeamus affectibus, et ad statum vestrum dignis beneficiis ampliandum qnasi per debitum invitemur.

(1) Iste nobilis mense julio 1215 imperatori reconciliatus, ad partem adversam ineunte anno 1247 denuo declinaverat.

Fridericus, Romanorum imperator, regi Sardiniae filio suo narrat felices suos in partibus Montisferrati successus. [Augusto.]

(Edit. In *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. LI; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202, et *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455.)

Etsi provenientium nobis in partibus istis ad vota successuum jam frequens ad te celsitudinis nostre litera relativa pervenit, ut tue tamen expectationis affectus nova prospera status nostri continuata letificent, presentium tibi tenore describimus quod terris omnibus marchionis Montisferrati urgentissima depopulatione vastatis, castra que potentie nostre processibus videbantur obsistere, ferro flammeque subjicimus : et cuncta nobis, ut te breviter alloquamur, in partibus istis ad placitum desiderabili eventu successive responderunt. Hec quidem scire te volumus et presentis lectionis sapore percipere, ut non solum tibi materiam hujusmodi jocunditatis exhibeant, sed velut vera (*a*) presagia future leticie firmam fiduciam representent quod ea tuis auribus infra dies paucissimos offeremus, ex quibus manifeste perpendere poteris laboribus nostris in proximo finem laudabilem imponendum.

Innocentius papa quemdam principem monet ne falsis quae de pace inter se et Fridericum quondam imperatorem reformanda referri possent, fidem adhibeat, dum nuncii quos rex Francorum ex parte ejusdem Friderici audiit de proposito suo frustrati abierint, ipso rege iter peregrinationis suae persequente. [Augusto.]

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindobon. dicto *Philolog.*, n° 305, fol. 52 recto.)

(*a*) In codice *arra*.

[Innocentius, etc.] Ne per Fredericum quondam imperatorem vel ministros ipsius, prout est moris ipsorum, falsa pro veris de tractatu reformande pacis infra Ecclesiam et eumdem tibi et aliis meritis Ecclesie filiis valeant intimari, ex quibus corda fidelium a sedis Apostolice devotione torpescant, serenitatem tuam (*sic*) presentibus declaramus quod cum nuncii ejusdem F. ad carum in Christo filium nostrum regem Francorum illustrem obtenta licentia veniendi, ab ipso suppliciter implorarent ut ad hujusmodi concordiam ineundam interponeret partes suas, nos licet ad ipsius regis instantiam pateremur ut audire sibi de nostra permissione liceret quod nuntii memorati proponere gestiebant, quia tamen nullus concordie (*a*) prorsus tractatus admitteretur a nobis, per quem juxta tenorem sententie a nobis dudum Lugduni sacro approbante concilio promulgate, quam auctore Domino inviolabiliter executioni mandare proponimus, posset homini memorato vel C. nato suo imperium vel regnum aliquatinus remanere, prelibato rege fidei catholice et honoris ecclesiastici zelatore cum plenitudine gratie sedis Apostolice iter persequente peregrinationis arreptum (1), iidem nuntii suo casso proposito abierunt. Quare non solum de hiis serenitatem tuam reddi volumus certiorem, sed aliis circumposite regionis per te premissa fieri volumus manifesta, ut si secus quam super describitur referatur, sicut tandem latere non poterit et operis comprobabit effectus, mendacium ab universis et singulis reputetur.

[Augusto.] Fridericus, Romanorum imperator, nuntiat regi Anglorum quod non potuit obtinere pacem cum papa, licet rex Francorum partes suas apud eum interposuerit.

(*a*) Hanc vocem supplemus, quum in codice de facili legi non potuerit.

(1) Quomodo ab isto cum papa colloquio apud Lugdunum mense julio incassum celebrato Ludovicus IX moestus et usque ad iram provocatus recesserit, satis ample descripsit Matthaeus Paris., *Hist. maj. Anglor.*, ad ann. 1248, p. 501.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. I, cap. XVI; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455.)

Quantum et qualiter hactenus pro generali bono christiane fidei, Terre sancte precipue, ad cujus recuperationem universorum christianorum, sed precipue regum et principum vota suspirant, ad pacis universaliter expectate dulcedinem inter nos et istum et alios Ecclesie Romane pontifices procurandam, humilitatis nostre colla submisimus, serenitatem vestram scire jam credimus, nec mundus ignorat. Volumus siquidem pacem reverenter expetere, ne in mundum grassari dissidiis videamur; voluimus illum antiquum serpentem patientia nostra temperare, et rigorem quem nonnullos progenitores nostros divos Romanos augustos in similibus forsan novimus habuisse, moderari. Nuper ad requisitionem et preces illustris regis Francorum dilecti amici nostri, quem in Terre sancte subsidium personaliter et instanter accinctum percepimus, [et quem] desperatum quodammodo pacis negocium resumere delectabat, quanquam nos preteritorum experimento perterriti, de pacis dubitare negocio necessario cogeremur, dum quoties humilitatis ad pacem evidentia signa monstravimus, toties voluntatem partis adverse invenimus duriorem; de processu tamen regis ejusdem ad pacem reformandam qualem qualem fiduciam obtinentes, ... et. . . . . fideles nostros, solemnes excellentie nostre legatos, plena nostre voluntatis authoritate suffultos specialiter providimus destinandos, qui pro honore Ecclesie matris nostre ac felicibus christianitatis auspiciis, salvo honore semper imperii et regnorum, quibus authore Domino presidemus, voluntatem nostram ad pacem paratam exponerent, et manifesta presagia future satisfactionis offerrent, qne rex ipse sufficientia reputabat. Sed iste bonus pastor Ecclesie nullum ad jus et honorem imperii nec ad nos voluit habere respectum, sed totum sue subjicere potestati, pro Lombardorum negocio, qui pacis tractatui semper hactenus impedimenta pararant, et pacem quam debebat exquirere, turpiter profugavit oblatam. Ecce itaque quesivimus pacem, et non invenimus; vocavimus eam, et vocata non respondit. Restat igitur ut sic nostra et imperii nostri jura aliorumque regum et principum in causa nostra viriliter tueamur, quod nos

non oporteat amplius pacem imprudenter expetere, sed potins acceptare petitam.

Lugduni, 30 augusti.

Innocentius papa S. Sanctae Mariae trans Tiberim presbytero cardinali mandat quod in Urbe, Campania et Maritima crucem contra Fridericum publicari faciat totumque regnum Siciliae monitione praevia supponat interdicto, civitates, barones, praelatos, clericos universosque ejusdem regni eidem Friderico adhaerentes ab omni dignitate, honore, et etiam civili officio privatos denuntians.

(Edid. Höfler, *Kaiser Friedr. II*, append., n° 34, e cod. Bibl. Cesar. Paris., n° 4039, Litt. cur., n° 20.)

Innocentius, etc., S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbytero cardinali vicario nostro in Urbe, etc. Ab exordio vocationis que nos licet indignos ad apostolice dignitatis apicem sublimavit, mentis oculos ad contemplandas impacati orbis inquietudines dirigentes, super hiis inspirante Domino spiritum compunctionis attraximus, et infirmitatem nostram celestis virtutis constantia inducente, cogitavimus in Deo pacificare cum mundo pacis publice turbatorem, aut eo in sua duritia persistente, contra ipsum Deo auxiliante stare pro populo et obfirmare vultum adversus implacabilem pestilentie principem, letiferis aquilonis flatibus mala quibus mundus atteritur commoventem. Inhesit quidem inseparabiliter cordi nostro de christiano populo aut perniciosas discordiarum radices avellere aut harum genitricem maligni principatus Frederici quondam imperatoris extirpare tyrannidem, per quam videbatur universalis status mundi collabi, fides orthodoxa subverti et decus everti ecclesiastice libertatis. Verum postquam circa illum studii nostri non proficiente conatu, ejusdem inexorabilis pertinacia pravitatis quodlibet salutis aspernata consilium latam divinitns per nos sacro universali approbante concilio

sententiam juste dampnationis excepit, per quam idem F. abjectus a Deo ne ulterius regnet vel imperet declaratur, ad liberandum de ipsius faucibus regnum Sicilie quod est Romane Ecclesie speciale, cujus ipse dilatatus pinguedine ac viribus roboratus calcaneum erexit in Dominum, tanto attentius propositi nostri aspirat intentio quanto magis ejusdem regni conditio miseranda in quam illud redegit regnantis iniquitas, compassionis in nobis provocat pietatem. Non enim potest a piis animis absque gemitu cogitari regnum quod sub priscis regibus libertatis gloria, nobilitatis decore, sinceritatis fide, opulentia rerum et jocunda populi frequentia prepollebat, in tantam servitutis miseriam, ignobilitatis injuriam, lapsum fidei, exinanitionis angustiam et tam grave populorum excidium corruisse. Sed et Romana Ecclesia super hiis pre ceteris profundius ingemiscit que peculiares filios ejusdem regni, videlicet incolas quos ad ingenuam genuerat libertatem, videt a gremio materne communionis abstractos duro vinculo mancipari, ut non minus illos conterat impressio tyranni urgentis ad onera insueta quam olim filios Israël presserit inclementia Pharaonis. Propter quod contra eum quem innumera preter hec mala ab honoris sui culmine dejecerunt, quia in quo positus esset gradu eminentie factus insipiens non agnovit, ac fautores ipsius induendum est zeli pallium ad vindictam, et in oppressorum presidium quorum nos interpellant amara suspiria, potentius adsurgendum ut excutere grave jugum dominii et in libertatem resurgere valeant filiorum ac singulis proprii status prior conditio reformetur. Ad hoc autem invitanda sunt subsidia oportuna fidelium tuba verbi crucis vivifice altius solito intonante, et contra tyrannicam feritatem summi regis signa victricia explicanda in quibus conteri solent maligni superbarum exercitus potestatum. Quocirca monemus quod contra memoratum F. in Urbe, Campania atque Maritima publice predices et frequenter ac per viros idoneos predicari facias solempniter verbum crucis, illam eis qui contra eumdem F. in subsidium Ecclesie ad eliminandam de regno memorato perfidiam ab infecto capite in membra subjacentia defluentem et ibidem pristinum cultum fidei reparandum zelo fervido curaverint crucis insigniri caractere, auctoritate nostra concedens veniam peccatorum que proficiscentibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio est concessa,

ac denuntians solempniter nihilominus et faciens nuntiari eumdem F. ac omnes dantes ei consilium, auxilium vel favorem in personis vel rebus publicum vel occultum, excommunicationis a nobis vinculo innodatos, necnon et universum regnum Sicilie quamdiu eidem adheserit ecclesiastico suppositum interdicto. Prelatos quoque necnon et clericos omnes seculares vel cujuscumque religionis speciem pretendentes qui prelationes, dignitates, prebendas vel quelibet alia ecclesiastica beneficia per favorem ejusdem F. seu ministrorum ipsius recipere presumpserunt, quique illi orationes et laudes aliaque sibi post dejectionem ipsius divina prophanarunt officia, ne dixerimus celebrarunt, necnon et illos qui sumpta malignandi audacia in conservos religiosos viros facto, precepto, consilio vel defensione perturbatos exulare a propriis mansionibus compulerunt, eos etiam qui contra Ecclesiam vel Ecclesie adherentes proprie professionis obliti arma sumpserunt, denunties et facias nuntiari non solum excommunicationi subjectos, verum etiam privatos officiis ac dignitatibus et beneficiis perpetuo destitutos, inquirens nihilominus vel per famam de prelatis qui eidem F. damnabiliter adherentes ei prestant consilium vel favorem, ut contra ipsos ad perpetue depositionis sententiam procedatur. Sane volentes ejusdem regni populos prenuncio denuntiationis apostolice premoneri, ut cum salus eis desiderate liberationis advenerit que ipsis per Apostolice Sedis sollicitudinem destinatur, inexcusabiles si eam proterve respuerint aut commendabiles si eam prudenter susceperint habeantur, publice proponas et proponi facias quoties verbum crucis seminatum fuerit in auribus populorum, quod si que civitates vel oppida, comites vel barones, nobiles aut milites, cives sive municipes vel alie quecunque ipsius regni persone absque difficultate vel mora a sepefato F. suisque complicibus penitus recedentes se fidelibus in gremio matris Ecclesie per promptam fidelitatis obedientiam curaverint adunare, de consilio fratrum nostrorum ad illam tranquille libertatis dulcedinem nos eos adducturos promittimus qua fideles Ecclesie speciales in sinu ejus suaviter confoventur, jugi servilis et dominationis tyrannice inexperti, qui non exactoris virga ferrea sed levi paterne mansuetudinis gubernaculo diriguntur. Illi vero cujuscumque ordinis vel conditionis extiterint, quos maxime postquam exercitus Ecclesie introducen-

dus in regnum illuc Deo duce pervenerit, tam inconsulta vesania eidem F. tenuerit alligatos ut potius velint tanquam servi sub ipsius perire tyrannide quam ad libertatis gloriosa premia redeuntes in sinu libere matris cum filiis contineri; sciant ex nunc, ne in posterum habeant ex ignorantie allegatione presidium, se si fuerint civitates vel oppida privilegiis et honoribus civitatum et immunitatibus quibuscumque, si comites aut barones vel qualescunque alii militari honore decorati seu quilibet alii laici feudis, juribus ac ceteris temporalibus bonis suis, si autem clerici ecclesiasticis dignitatibus et beneficiis pro sue rebellionis ac perfidie pertinacia perpetuo spoliatos. Dignum est enim ut digna retributionis consequantur stipendia una cum sui autore periculi jam dampnato, qui eum Deo postposito suam constituunt portionem. Et ut plenius agnoscant suum ex pena peccatum, fame decore mulctati reddantur infamie perpetue indecori ut tanquam illegitimi a legitimis actibus alieni ad testimonium nullatenus admittantur et intestabiles facti libera testamentorum careant factione nec ad successiones accedant. Porro nemo sibi de benignitate Sedis Apostolice blandiatur quod tunc solum cum repugnare non poterunt, ad ipsius clementiam recurrentes restitutionis possent misericordiam invenire, sed quisquis obstinate rebellionis culpam admiserit certissime noverit quod per seram penitentiam restitutionis veniam non habebit, quia erga hos misericorditer rigebit justi disciplina vigoris ad terrorem similium in futurum, quibus crudeliter indulta clementia presumptionis pareret incentivum. Etenim si talium culpam contingeret beneficientia, quod absit, vel impunitate nutriri, bonorum virtus in improperio contemptus exprobrata deficeret et malorum latius quam bonorum in perniciem publicam laxarentur exempla. Si vero hominum aliquarum civitatum vel locorum regni prefati adhuc persecutori Ecclesie adherentium Dominus corda tetigerit ut jugum onerose tyrannidis et sceptrum insatiabilis exactoris a cervicibus propriis deponentes, consurgant cum Ecclesia stentque fideliter adversus iniquitatis filium cujus manus contra omnes est, propter quod fieri debent manus omnium contra eum, non solum eis statutam euntibus in Terre Sancte subsidium indulgentiam elargimur illamque plenitudinem perpetue libertatis qua florent Ecclesie filii inexperti servilis injurie, statuimus in

mercedem, verum etiam ipsis insuperabile protectionis et defensionis auxilium in nullo eis defuturum articulo pollicemur; cum dignum sit eos qui ad propositum omnibus bonum primi precurrerent et preduces aliorum, potioribus eternorum et temporalium premiis preveniri. Nec vereantur illi qui se subjecerint mandato matris Ecclesie in ejusdem F. vel filiorum ejus dominium se ullis temporibus reducendos, cum eorum libertatem eis ut dictum est impendendam a nobis defendere Deo juvante totis viribus intendamus. Licet enim dolus ejus tenebrosis fraudibus institutus, dum olim bonarum specierum ymagine tegeretur, puritatem Ecclesie ambulantis in luce sepe deluserit, sub mentito pacis osculo membris ejus morsum lesionis infigens, sic tamen jam innotuit detecta nocendi malignitas in versuto et supplantandi versutia in maligno quod de cetero eamdem Ecclesiam quam reddiderunt preteritorum casunm experimenta cautissimam, ulla penitentie fictio, ulla humilitatis simulatio fallere non valebit, ut ruina prostratus de culmine imperialis et regii principatus aliquo remedio ad pristinum solium reparetnr. Scimus quippe qnod in communem casum resurgeret quem justi judicii censura dejecit, nec posset statui absque destitutione multorum et in proprium moliretur exitium quisquis reparare temptaret omnium exitia molientem. Propter quod de cordibus fidelium omnis hesitatio titubationis abscedat quos idem F. de sue ad honorem perditum reconciliationis opinione suspendit, quia judicium Dei quod in reprobationem ipsius de celesti throno per os universalis Ecclesie prodiit, aliqua hnmane dispensationis miseratio non mutabit ut amplius exurgat vel resurgat ad imperatoriam seu regiam majestatem. Absit enim ut in populo christiano sceptrum regiminis ulterius maneat apud illum vel in vipeream ejus propaginem transferatur, quem adeo felicitatis sue tumor inflavit quod quasi oblitus ex hominibus se fuisse progenitum inhumaniter furit in homines, quos ferina rabie perimens ut oves escarum, in ipsum effertur humanitatis auctorem cujus imaginem in humana despicit et dissipat creatura; propter quod quicumque justitiam diligit, gaudere debet quod in hostem omnium est pro omnibus vindicatum et lavare manus in sanguine peccatoris. Ecce misimus tibi, fili misericordie, oleum quo demulceri ad obedientiam humiles et vinum severitatis quo compungi debeant contu-

maces. Infunde illa quamvis de longe [ex] officio illius sauciati regni vulneribus, quod predo usque ad nuditatem expolians dejecit in hac mundi area quasi quibusdam plagis superimpositis semivivum. Assume igitur verbum quo te dotavit gratie Dei donum et tubam tue vocis exalta si forte gens illa dilacerata miserabiliter et convulsa, exeunte in fines ejus sono tuo sermonum nostrorum bajulo in spem vel metum expergefacta consurgat, stansque prospiciat ad liberationis jocunditatem sibi a Domino venientem et ad susceptionem ejus promptum pandat amplexum.

Datum Lugduni, III kalendas septembris, anno VI.

Innocentius papa archiepiscopo Barensi castrum Bitricti ad proprietatem Barensis ecclesiae pertinens, quod Fridericus quondam imperator G. Francico contulerat, quum regnum Siciliae nunc rege careat, restituit et de novo concedit. Lugduni, 1° septembris.

(Edid. GARRUBA, *Serie crit. de' past. Baresi*, t. I, p. 240 e transumpto authent. ann. 1272, n° IX.—Ex bulla originali pendebat sigillum plumbeum filis sericis rubeis et citrinis.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Barensi salutem et apostolicam benedictionem. Etsi ecclesiarum omnium ex injuncto nobis apostolatus officio intendere profectibus teneamur, illarum tamen commoda que Romane noscuntur nullo medio (*a*), subjacere, tanto studiosius procurare nos convenit quanto ex hoc quod specialiter subsunt nobis, arctius curis ipsarum existimus obligati. Propter quod circa eas illius intentione sollicitudinis invigilare debemus ut non solum non patiamur quantum in nobis est earumdem jura diminui, verum etiam et ea conservemus integra et insuper prout honeste secundum Deum possumus, augeamus. Hinc est quod [cum] castrum

(*a*) In impresso *nullo modo*, male.

Bitricti situm in Barensi diocesi ad jus et proprietatem Barensis ecclesie pertinere dicatur et diu sicut intelleximus castro ipso fuerit eadem ecclesia per reges Sicilie qui fuerunt pro tempore destituta, nos ejusdem ecclesie indempnitati super hoc paterna volentes sollicitudine providere, tuis supplicationibus inclinati, prefatum castrum cum omnibus juribus, honoribus et pertinentiis suis, non obstante quod illud idem reges seu alii diutius tenuerunt et quod Fredericus quondam Romanorum imperator ipsum G. Francico contulit sicut fertur, ecclesie predicte cum regnum Sicilie rege nunc careat, plenarie restituimus, et ut ipsa ecclesia eo majori erga Sedem Apostolicam devotione crescat quo favorabiliorem illam sibi senserit in hac parte, dictum castrum ei de novo ex gratia concedimus speciali, tibi ut in ipsius castri possessionem, quam primo se tibi super hoc facultas obtulerit, libere ingredi valeas nihilominus indulgentes, dummodo ipsum castrum ad alium de jure non pertineat in devotione Ecclesie persistentem. Pretextu autem cujuscumque collationis de ipso castro a memorato Frederico facte, nolumus hanc nostram restitutionem et concessionem aliquatenus impediri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre restitutionis et concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lugduni, kalendis septembris, pontificatus nostri anno sexto.

Apud Casale, 3 septembris.

Fridericus, Romanorum imperator, potestati Papiensi mandat ut super recollectione tertiariae proventuum monasterii Sancti Salvatoris de Papia aliquem idoneum statuat, per quem domus ipsius monasterii quae reparatione indigent, reparentur.

(Inedit. ex copia authent. de anno 1248 in archivo Mediolan., quam nobiscum liberaliter communicavit J. F. Boehmerus.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, potestati Papiensi, fideli suo, graciam suam et bonam voluntatem. Cum vellimus quod terciaria proventuum monasterii Sancti Salvatoris de Papia, que pro curia nostra recipi actenus consuevit, et de qua eidem monasterio ob reverenciam Jesu Christi graciam fecimus specialem, pro refectione domorum ipsius monasterii colligatur; fidelitati tue precipiendo mandamus quatinus super recollectione ipsius terciarie aliquem virum de Papia statuas idoneum et fidelem, per quem etiam domus omnes ipsius monasterii, que reparacione indigent, statuas reparari. Super qua terciaria non permittas prefatum monasterium per executores curie nostre de cetero molestari, juxta immunitatem exinde per nostram excellentiam sibi factam.

Datum apud Casale, tercio septembris, VII indictionis.

Innocentius papa Hermanno marchioni de Baden ducatum Austriae qui per donationem G. ducissae Austriae uxoris ejus ipsi legitime devolutus dicitur, auctoritate apostolica confirmat. Lugduni, 14 septembris.

(Edid. Schoepflin, *Hist. Zar. Badens.*, cod. diplom., t. IV, p. 215, e cod. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds lat.*, n° 4039.)

Innocentius, etc., nobili viro Hermanno marchioni de Baden. . . . . Ducatum sive principatum Austrie cum omni honore, districtu et jure ipsius tibi donatum rite ac liberaliter inter vivos a nobili muliere G. ducissa Austrie uxore tue, ad quam idem ducatus per successionem hereditariam, secundum antiquam et approbatam ipsius terre consuetudinem nec non per summos pontifices, imperatores et reges Romanorum ut asseris confirmatam, dicitur legitime devolutus, auctoritate tibi apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. . . . nostre confirmationis, etc.

Datum Lugduni, XVIII kalendas octobris, anno VI.

[Circa septembrem.] Willelmus, rex Romanorum, Mediolanensibus scribit quod cum ipse nequiens ad eos ire propter obsidionem Aquensem, constituisset vicarium imperii electum Spirensem et iste vicarius sibi sit necessarius, disposuit alium substituere vicarium, scilicet R. de Suppino comitem Romaniolae, usque ad adventum suum.

(Edidit Fred. Hahn, *Vet. et recent. monum. collectio*, t. I, litter. princip. et viror. illustr., p. 255-257, n° 31.)

Wilhelmus, Dei gratia in regem Romanorum electus semper augustus, nobilibus et prudentibus viris potestati, consilio et universo populo Mediolanensi dilectis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Postquam summe considerationis dispositio ineffabilis que provide statuit ab eterno ut suo ducantur nodo regiminis universa, nos ad suum et universalis Ecclesie servitium evocavit, licet insufficientes forent nostre possibilitatis humeri pro culminis tanti sarcina subeunda, in ejus tamen cui placuit juventutem nostram extollere favore confisi, cura vigili in sollicitudine mentis assidua radios totalis nostre intentionis extendimus ad cuncta que Redemptoris gloriam, ipsius defensionem Ecclesie ac nostrorum fidelium salutem respiciant et quietem. Vos igitur qui per facti experientiam favorem nostrum inter alios fideles imperii et gratiam meruistis, amplecti nostre celsitudinis brachiis intendentes et vestri velut illorum quos in gremio regie serenitatis intendimus perpetuo conservare, gerere sollicitudinem volentes et curam, ut membra dispositione capitis conserventur, ad opprimendam illorum sevitiam per quos multa et varia diutius oppressionum genera subiistis et recompensandos labores vestros retributione munerum liberali, ad partes Italie regia vexilla victoriose dirigere duximus disponendum. Sed dum obsidio civitatis Aquensis nostrum retardaret adventum, dilectum principem nostrum electum Spirensem imperialis aule cancellarium ad easdem partes providimus destinandum. Cujus

presentiam utilem instanti promovendo negotio nobiscum retinentes ad tempus, ne aliqua medio tempore possint contingere vobis inferentia lesionem, nobilem virum R. de Suppino comitem Romaniole dilectum fidelem nostrum, de cujus experta probitate confidimus, cujus sinceritatem nullius suggestionis perversio, nullius conditionis impulsus nulliusque labes corruptionis contra devotionem Ecclesie ac fidelitatem nostram aliquibus potuit maculis denigrare, constituimus excellentie nostre vicarium in partibus Lombardie, eodem cancellario nostro nichilominus e vestigio properante; fidelitati vestre nostri culminis auctoritate mandantes ut ei tanquam nobis in omnibus que ad imperiale dominium pertinent intendatis. Nos enim firma et rata semper habebimus banna, statuta, sententias et precepta que sua circumspectio duxerit proferenda, et ex nunc ipsa ut in futurum validius observentur presentis scripti robore confirmamus. Sic itaque sibi in persona nostra velut uni ex carioribus nostris membris plenam obedientiam exhibere curetis sicque in persona nostra ei honorem debitum impendatis, ut cum in partibus illis presentiam nostram adesse contigerit, fractis repagulis que hucusque conceptum veniendi propositum retardarunt ac inimicis victoriose nostro imperio subjugatis, gradatim quemlibet velut suorum meritorum suffragia poposcerint, gratis beneficiis et dignis honoribus attollamus.

Datum in castris [in obsidione Aquis]. . . . . .

Circa kalendas octobris Petrus Becherius marchionem Lanciam cum militia Papiae in civitatem Vercellarum introduxit. Post haec imperator qui erat apud Casale, civitatem Vercellarum intravit. Ubi convenerunt comes Sabaudiae et comes Frandalae (Flandriae) et alii comites et marchiones illarum partium atque nuncii plurimorum regum et comitum occidentalium, qui omnes marchionem Montisferrati mandatis imperatoris parere fecerunt. *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. 218. Octobri.

Vercellis, 3 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, comitem Allemannum, fratres ejus et ipsorum consortes de comitatu Radicate investit cum omnibus pertinentiis, privilegiis et etiam mero et mixto imperio.

(Memorat. potius quam editum ap. *Beilage zum Archiv fur Kunde österr. Geschichtquell.*, *Notizenblatt*, 1852, n° 24, p. 370, ex confirmationibus Maximiliani II et Rodolphi II de annis 1574 et 1585, ubi etiam inseruntur confirmationes Caroli I Andegavensis dat. apud Neapolim 27 januarii 1280, Henrici VII dat. Mediolani 28 decembris 1310, et Sigismundi dat. apud Chur 31 augusti 1413.)

[Fridericus, Romanorum imperator, etc., comitem Allemannum, fratrem ejus ac alios comites Radicate consortes ipsorum investit de comitatu Radicate et omnibus pertinentiis et possessionibus hujus cum hominibus et privilegiis, inter quae memoratur jus] naturales et incestuosos filios legitimandi, notarios et tabelliones creandi, aurum et argentum cudendi et in formam pecunie redigendi, [simulque confirmat] eorum statuta, capitula et ordinamenta antiqua inter eos (comites) facta et de cetero fienda, [et infra] merum et mixtum imperium, jurisdictionem et gladii potestatem, sicut hactenus habuerunt ab antiquo. . . . . Ad hujus itaque concessionis et exemptionis memoriam et perpetuam firmitatem, presens privilegium per D. de Ariliano (?) notarium et fidelem scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Vercellis per manus magistri Petri de Vineis (*sic*) imperialis aule (*a*) prothonotarii et regni nostri Sicilie logothete (*b*), anno dominice incarnationis M. CC. XLIX (*sic*), indictione septima, tertia die novembris, imperante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno XXVIII, regni Hierusalem XXIII, regni Sicilie L, feliciter. Amen.

(*a*) In impresso *imperiali auctoritate*, male.
(*b*) Ibidem *locum tenentis*, male.

Fridericus, Romanorum imperator, revocat donationem quam Ottoni quondam duci Meraniae de regalibus in civitate Bisuntina fecerat. Vercellis, 7 novembris.

(Edit. ap. CLERC, *Essai sur l'hist. de la Franche-Comté*, t. I, p. 436, in nota, ex archiv. civit. Bisuntin. — Besançon, 1840.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, etc. (*sic*). Notum fieri volumus. . . . . . . quod nos omnem gratiam, donationem seu concessionem quam O. quondam duci Meranie in civitate Bisuntina de regalibus vel de quacumque alia re dudum de nostra gratia fecimus, licet eadem gratia nostra que personalis fuit, per mortem ipsius (1) et per manifestam proditionem quam in nos et sacrum imperium perpera temeritate commisit, penitus expiravit, duximus ex certa nostra scientia revocandam et eamdem civitatem et cives de predictis duxerimus (*sic*) absolutos, ita ut ex jure vel successione ducis Meranie memorati nihil de predictis exigi valeat in futurum.

Datum Verçellis, septimo novembris, septima indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, Amedeo comiti Sabaudiae et comiti Thomasio de Sabaudia fratri ejus potestatem concedit pacis inter se et summum pontificem tractandae, secundum formam ipsis a se datam. Vercellis, 8 novembris.

(1) Otto III 19 junii 1248 defunctus est, a suis occisus apud castrum de Niesten in episcopatu Bambergensi. Suam sororem natu majorem scilicet Beatricem comitis Orlamundi viduam haeredem testamento instituerat; Guillelmus tamen de Hollandia haereditatem ad alteram Ottonis sororem Elisabeth burgravii Nurembergensis uxorem transtulit, litteris datis in castris apud Ingelheim 24 februarii 1249. Cf. HORMAYR, *Werke*, t. III, p. 372-379.

(Memorat. ap. CIBRARIO, *Stor. della monarch. di Savoia*, t. II, p. 52, et not. ex *Archivio di Corte, trattati diversi*, mazzo 1.)

Datum Vercellis, VIII novembris, septima indictione.

Vercellis, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, comitem Thomasium de Sabaudia (1) vicarium imperii generalem a Papia superius constituit.

(Memorat. ap. WURSTEMBERGER, *Peter der zw. Graf von Savoyen*, etc., t. IV, *Urkunden*, p. 117, ex diplom. imper. in arch. reg. Taurin., fasc. I, n° 20.)

Datum Vercellis, anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, septime indictionis.

Vercellis, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomasio de Sabaudia et filiis ejus legitimis utriusque sexus in perpetuum in rectum feudum Canapitium (id est *il Canavese*) cum rationibus omnibus et pertinentiis concedit, sub fide homagii imperio faciendi.

(Edit. ap. *Histor. patr. monum., chart.*, t. I, p. 1396-1397, curante Petro Datta ex origin. in archiv. reg. Taurin., fasc. I, n° 10.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Romani principis dexteram non solum ampla munerum largi-

---

(1) Anno 1245 7 februarii et 1246 12 et 15 maii comes Thomasius adhuc parti Ecclesiae ferventer adhaerebat, sicut ex litteris Innocentii papae comperimus. Cf. CIBRARIO, *Stor. della monarch. di Savoia*, t. II, p. 49, not. 1, 2 et 3.

tione munificam, sed alta beneficiorum collatione magnificam decet et expedit inveniri, ut quemadmodum principes alios tum honore tum opibus excellit in bonis, sic ipsos consuetudine regia et quadam animositate precipua transcendat in donis. Eapropter per presens privilegium noverit tam presens etas quam successura posteritas quod nos attendentes devotionis et fidei pure zelum quem Thomasius de Sabaudia comes, dilectus consanguineus et fidelis noster, habet erga majestatis nostre personam, considerantes etiam grandia et accepta servitia quo tam predecessores ejus quam ipse divis augustis progenitoribus nostris [et nobis] fideliter prestitisse noscuntur [et] idem Thomasius fideliter exhibet in presenti et exhibere poterit in antea gratiora, Canapitium cum honoribus, hominibus, juribus, jurisdictionibus, pedagiis, plateaticis, molendinis, furnis, argentariis, angariis, perangariis, viis, plateis, coloniis (*sic*), regalibus, omnibus possessionibus, terris cultis et incultis, aquis, aquarum decursibus, silvis, pascuis, venationibus, piscationibus, rationibus omnibus et pertinentiis suis que de demanio in demanium et que de servitio in servitium, eidem Thomasio et filiis suis utriusque sexus ab eo legitime descendentibus in perpetuum in rectum feudum de speciali gratia et ex certa scientia duximus concedendum; ita tamen quod [tam] ipse quam heredes sui predicta omnia a nobis et successoribus nostris in imperio immediate teneant et etiam recognoscant ac de eis debita et consueta servitia facere teneantur. Statuimus et imperiali sancimus edicto quatinus nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vicarius aut capitaneus, nullus potestas vel comune, nullus prelatus, nulla denique alta persona vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictum Thomasium et heredes suos in fide et devotione nostra persistentes contra hujus concessionis nostre formam super terra ipsa de cetero temere impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit preter indignationem nostri culminis quam incurret, mille marcas argenti se pro pena compositurum agnoscat, medietate ipsarum fisco nostro et reliqua medietate passis injuriam applicanda. Ad hujus itaque concessionis et gratie nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per Nicolaum de Rocca notarium et fidelem nostrum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Manfredus marchio Lancea, Jacobus marchio de Carretto dilectus gener noster, Petrus de Calabria marescalie nostre magister, Petrus de Vinea aule nostre prothonotarius et regni Sicilie logotheta, Riccardus de Montenigro magne curie nostre magister justiciarius(*a*), magister Gualterius de Ocra venerabilis Capuanus electus, fideles nostri, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Ierusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense novembris, septime indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno vicesimo octavo, regni Jerusalem vicesimo tercio, regni vero Sicilie quinquagesimo, feliciter. Amen.

Datum Vercellis, anno, mense, indictione prescriptis.

Vercellis, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomasio de Sabaudia et filiis ejus legitimis utriusque sexus in perpetuum in rectum feudum Montem Calerium et Castrum Vetus cum rationibus omnibus et pertinentiis concedit, sub fide homagii imperio faciendi.

(Edit. ap. *Hist. patr. monum.*, *chart.*, t. I, p. 1397-1399, curante P. Datta ex origin. in arch. Taurin., fasc. I, n° 11; quod denuo transcribere supervacaneum duximus, cum privilegium ejusdem tenoris ac in praecedente documento sit, quibusdam tantum mutatis que sunt ita.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Fredericus secundus, etc. Romanorum principis dexteram, etc. . . . . . . in antea gratiora, Montem Calerium, pontem ipsius [cum] munitione et turre ejusdem et

(*a*) In impresso *Iuxtinianus*, sine dubio ex amanuensis oscitantia.

Castrum Vetus (1) cum honoribus. . . . . eidem Thomasio. . . . . duximus concedenda, ita tamen, etc. . . . . perpetuo valiturum presens privilegium per Nicolaum de Brundusio notarium et fidelem nostrum scribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Manfredus marchio Lancie, Jacobus marchio de Carretto dilectus gener noster, Petrus de Calabria marescalie nostre magister, Riccardus de Montenigro magne curie nostre magister justiciarius, magister Gualterius de Ocra venerabilis Capuanus electus, fideles nostri, et alii quam plures.

Signum domini nostri, etc. (*ut in altero*).

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense novembris, etc. (*ut in altero*).

Datum Vercellis, etc. (*ut in altero*).

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomasio de Sabaudia et filiis ejus legitimis utriusque sexus in perpetuum in rectum feudum civitatem Eporediam cum rationibus et pertinentiis ejus concedit, sub conditione fidelitatis et servitii imperio exhibendi. Vercellis, novembri.

(Memorat. ap. Wurstemberger, *Peter der zw. Graf von Savoyen*, etc., t. IV, *Urkunden*, p. 116, ex invent. diplom. imper. in arch. Taurin., fasc. I, nº 9.)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense novembris, septime indictionis, etc.

Datum Vercellis, etc.

(1) Scilicet *Moncalieri* et *Castelvecchio*.

Vercellis, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomasio de Sabaudia et filiis ejus legitimis utriusque sexus in rectum feudum confert civitatem Eporediam una cum territorio Canapitii, ejus pertinentiis et omni ratione ad se et imperium spectante in castrum de Lanzo.

(Memorat. ap. WURSTEMBERGER, *Peter der zw. Graf von Savoyen*, etc., t. IV, *Urkunden*, p. 116, ex invent. diplom. imper. in arch. Taurin., fasc. I, n° 12.)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense novembris, septima indictione, etc.

Datum Vercellis, etc.

Vercellis, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, sese obligat ad acquirendum infra duos annos castrum Lancei a dominis illius loci, tunc illud traditurus comiti Thomae de Sabaudia infra terminum in concessione illi facta stabilitum, una cum civitate Eporedia et regione Canapitii.

(Memorat. ap. WURSTEMBERGER, *Peter der zw. Graf von Savoyen*, t. IV, *Urkunden*, p. 117, ex invent. diplom. imper. in arch. Taurin., fasc. I, n° 15.)

Acte sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense novembris, septima indictione, etc.

Datum Vercellis, etc.

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomasio de Sabaudia et filiis ejus legitimis utriusque sexus in perpetuum in rectum feudum confert civitatem Taurinum, pontem et castellum juxta pontem noviter extructum castraque et loca Caboretti, Castriveteris, Montiscalerii et Collegni cum omnimoda jurisdictione aliisque juribus, sub conditione faciendae imperio fidelitatis. Vercellis, novembri.

(Memorat. ap. WURSTEMBERGER, *Peter der zw. Graf von Savoyen*, etc., t. IV, *Urkunden*, p. 116, 117, ex invent. diplom. imper. in arch. Taurin., fasc. I, n[is] 13 et 14. Duo enim instrumenta ejusdem tenoris redacta fuisse videntur.)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense novembris, septima indictione, etc.

Datum Vercellis, etc.

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomasio de Sabaudia hanc licentiam concedit quod aedificet vel aedificari procuret castra, turres et munitiones apud Taurinum, Montemcalerium, Caborettum, Colegnum, Eporediam, in terra Canapitii et etiam apud Lanzum, quando viderit expedire. Vercellis, novembri.

(Memorat. ap. WURSTEMBERGER, *Peter der zw. Graf von Savoyen*, etc., t. IV, *Urkunden*, p. 117, ex diplom. imper. in archivo Taurin., fasc. I, n° 16.)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense novembris, septima indictione, etc.

Datum Vercellis, etc.

Vercellis, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, promittit se procuraturum traditionem comiti Thomasio de Sabaudia faciendam castrorum et locorum Taurini, Montiscalerii, Caboretti, Collegni, Eporediae, Lancii et territorii Canapitii per Jacobum de Carretto suum generum, qui dicta castra, loca et territorium sibi commendata hactenus tenebat; sub conditione vero ut satisfaciat idem Thomasius obligationibus in donatione ipsi facta stipulatis, et quod procuret matrimonium inter Beatricem comitissam Salucii nepte ejus ex fratre et Manfredum filium imperatoris (1).

(Memorat. ap. Wurstemberger, *Peter der zw. Graf von Savoyen*, t. IV, *Urkunden*, p. 117, 118, ex diplom. imper. in archiv. Taurin., fasc. I, n° 17.)

Datum Vercellis, anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense novembris, septima indictione.

[Novembri.]

Formula investiturae castrorum et terrarum a Friderico, Romanorum imperatore, comiti Thomasio de Sabaudia concessae, sub certis conditionibus ibidem expressis.

(Memorat. ap. Wurstemberger, *Peter der zw. Graf von Savoyen*, t. IV, *Urkunden*, p. 118, ex Zibaldone Pingoniano, ubi confusissime conceptam epitomen monet. In nitidiorem sensum rem adduximus ad fidem L. Cibrarii, *Histor. della monarch. di Savoia*, t. II, p. 52. Litteras sine diei, anni nec loci notatione exaratas, sigillo tamen imperiali munitas esse ambo testantur.)

---

(1) Ad finem hoc negotium tunc perductum fuisse comperimus, testante *Chronico de rebus in Ital. gest.*, p. 218, ubi legitur : « Hiis temporibus matrimonium contractum fuit inter unum ex filiis imperatoris et unam neptem comitis Savoiae. »

Fridericus, Romanorum imperator declarat quod fecit investituram Thomae de Sabaudia de Taurino, Montecalerio, Iporegia, Canapicio, Castroveteri, Gavorretto, Collegno, Lanceo, cum fidelitatem praestiterit regi Conrado imperatoris filio, faciendo vivam guerram pro imperio contra omnes cum mille armatis; quas quidem terras posuerat imperator in manibus Jacobi de Carreto generi sui, ita quod pace facta inter papam et Cesarem, haec omnia restituere debeat. Si vero pax non fieret, infra triennium assignentur comiti Iporegia, Canapicium, castrum Lancei, et infra quinquennium teneatur dictus Jacobus reddere residuum. Interdum tamen dictarum terrarum proventus idem comes Thomasius percipiet; qui si ad undecim millia unciarum auri per annum non ascenderint, camera imperialis defectum supplere procurabit.

Fridericus, Romanorum imperator, Guigoni Dalphino Viennensi consanguineo et fideli suo de annuo feudo trecentarum unciarum auri percipiendarum de camera sua singulis annis in festo Resurrectionis Dominicae providet. Vercellis, novembri.

(Inedit. ap. collect. Fontanieu, in Bibl. Cesar. Paris., *Preuves de l'hist. de Dauphiné*, t. II, pars sec., fol. 381-382, caisse de Dauphiné.)

Fridericus, Dei gracia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes devotionis et fidei pure zelum quem Guigo Dalphinus Viennensis, dilectus consanguineus et fidelis noster, habet erga majestatis nostre personam; considerantes quoque grata servitia que idem culmini nostro fideliter exhibuit hactenus, exhibet in presenti et exhibere poterit in antea graciora, de annuo feudo trecentarum unciarum auri percipiendarum de camera nostra singulis annis in festo Resurrectionis Dominice sibi in fide et devotione nostra persistenti de gracia nostra duximus providendum. Ad cujus rei memoriam

et stabilem firmitatem, presens scriptum per Nicolaum de Rocca (a) notarium et fidelem nostrum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Vercellis per manus magistri Petri de Vinea imperialis aule protonotarii et regni Sicilie logothete, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense novembris, septime indictionis.

Collationné par nous escuyer, conseiller secrétaire du roy, maison, couronne de France, greffier en chef en la chambre des Comptes de Dauphiné. — Marjolet.

Vercellis, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, camerario Guigonis Dalphini Viennensis ob devotionem ejus et grata servitia de annuo feudo quindecim unciarum auri percipiendarum de camera sua singulis annis in festo Resurrectionis Dominicae providet.

(Inedit. ap. collect. Fontanieu, in Bibl. Cesar. Paris., *Preuves de l'hist. de Dauph.*, t. II, pars sec., fol. 385-6, caisse de Dauphiné.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per hoc presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes devotionis et fidei zelum quem camerarius Dalphini Viennensis dilecti consanguinei et fidelis nostri habet erga majestatis nostre personam; considerantes quoque grata servitia que idem camerarius culmini nostro fideliter exhibuit hactenus, exhibet in presenti et exhibere poterit in antea gratiora, de annuo feudo quindecim unciarum auri percipiendarum de camera nostra singulis annis in festo Resurrectionis Dominice sibi in fide et devotione nostra persistenti de gratia nostra duximus providendum.

(a) In codice *de Rota*, male.

Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum per Raonem de Capua notarium et fidelem nostrum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Vercellis per manus magistri Petri de Vinea imperialis aule protonotarii et regni Sicilie logothete, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo (*a*) octavo, mense novembris, septime indictionis.

Collationné par nous, etc., *ut supra*.

Fridericus de Antiochia, imperatoris filius et in Tuscia vicarius generalis, Mattheo notario de Sancto Quirico mandat quod inquisitionem quondam factam ad requisitionem abbatis de Monte Amiate super negotio mercati plebis de Amole, publicet et partibus assignet. Poggibonsi, 29 novembris.

(Inedit. ex origin. in archivo diplom. Florentiae, quod nobiscum communicavit P. J. Rosi.)

Cum de mandato domini Pandulfi de Fascianella, olim imperialis capitanei Thuscie generalis et nunc imperii proditoris, fecerim inquisitionem super facto mercati de Amolis et ipsam inquisitionem partibus eam volentibus non reddiderim publicatam, dominus Fridericus de Antiochia domini imperatoris filius, sacri imperii in Thuscia vicarius generalis, scripsit mihi Matheo notario de Sancto Quirico in hec verba :

Fridericus de Antiochia domini imperatoris filius, sacri imperii in Thuscia vicarius generalis, Matheo de Sancto Quirico notario domini imperatoris, fideli amico suo, salutem et amorem sincerum. Venerabilis abbas monasterii Sancti Salvatoris de Monteamiato fidelis imperii significavit excellentie nostre quod tu olim de mandato Pandulfi de Fascianella quon-

(*a*) In cod. *quinquagesimo*, vocabulo *octavo* deficiente, quod supplemus.

dam imperialis capitanei in Thuscia, et nunc imperii proditoris, recepisti attestationes super negotio mercati plebis de Amole et ipsas detinens non publicas easdem absque nostro mandato speciali, in sui et dicti monasterii prejudicium et jacturam. Super quo cum petierit sibi secundum justitiam provideri, mandamus tibi auctoritate imperiali qua fungimur quatenus, si vera sunt que proposita sunt in nostra curia per dictum abbatem, vocatis partibus coram te, ipsas attestationes debeas publicare et parti volenti copiam attestationum ipsarum debeas elargiri. Datum Podiibonizi, penultimo novembris, septima indictione.

Cujus mandatis ego Matheus notarius volens per omnia obbedire, predictam inquisitionem sub notato modo scribere procuravi. Cujus tenor talis est. [Sequitur tenor mandati Pandulfi de Fasanella cum inquisitionis forma et juratorum depositionibus; et inde :]

Ego Matheus notarius predictos homines jurare feci dicere veritatem super predictam inquisitionem, et eos diligenter examinavi et inquisivi et ipsorum dicta fideliter scripsi et dictam inquisitionem feci apud Arcidossum et plebem de Amole per homines suprascriptos de mandato supradicti capitanei diebus superius nominatis, in anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto(1), domino Friderico II imperante, indictione secunda, et de mandato domini Friderici de Antiochia domini imperatoris filii, sacri imperii in Tuscia vicarii generalis, dictam inquisitionem seu dicta dictorum testium aperui et publicavi sub anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, domino Friderico II imperante, die veneris quinta martii, septima indictione, in Sancto Quirico ante domum mei supradicti Mathei coram Pennato et Bernardino notario et Orlando domino Gualdrade de Sancto Quirico, testibus presentibus et vocatis, requisitis prius hominibus et comuni de Arcidosso juxta mandatum mihi factum a domino Friderico supradicto domini imperatoris filio, sacri imperii in Thuscia vicario generali.

---

(1) Vid. supra, p. 154, 155.

Fridericus, Romanorum imperator, Terdonensibus fidelibus suis licentiam concedit cudendi novam monetam sub suo nomine et sua imagine percusam, quae recipiatur ubilibet, sicut aliarum civitatum Liguriae moneta recipitur. Vercellis, decembri.

(Edit. ap. BOTTAZZI, *Antichità di Tortona*, p. 315. — Tortona, 1805, 4°.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Justis fidelium nostrorum petitionibus condescendere cogimur quas nisi favorabiliter audiremus, obaudire quod petitur per injuriam videremur. Per presens itaque privilegium notum fieri volumus universis nostris fidelibus tam presentibus quam futuris quod Terdonenses fideles nostri celsitudini nostre attentius supplicarunt ut cudendi monetam in civitate Terdonensi ad honorem nostri culminis, ut ipsa nova monete forma nostri memoriam nominis et nostre majestatis imaginem eis jugiter representet, concedere sibi licentiam dignaremur. Nos autem rectum zelum fidei et devotionis attendentes ipsorum, considerantes quoque grata et accepta servitia que iidem majestati nostre exhibuerunt hactenus et exhibere poterunt in antea gratiora, et ut frequens ipsius nove monete inspectio eos in fide et devotione nostra magis ac magis corroboret et accendat, licentiam eis concedimus postulatam; presentium tenore mandantes ut ipsa moneta sub nostri nominis et honoris inscriptione percusa et a falsitatis seu male corruptionis cujuslibet fraudibus aliena recipiatur et expendatur ubilibet, sicut recipitur aliarum moneta Ligurie civitatum. Presentis itaque privilegii auctoritate mandamus quatenus nullus sit qui monetam eamdem in forma predicta veraciter fabricatam recusare presumat. Quod qui presumpserit preter indignationem nostri culminis quam se noverit incursurum, mille marcas argenti pro pena se compositurum cognoscat, medietate nostre camere, reliqua passis injuriam applicanda.

Ad hujus autem nostre concessionis et inhibitionis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per Johannem de Capua notarium et fidelem nostrum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt M. marchio Lancea sacri imperii a Papia usque Astam capitaneus, B. de Hoenburg marchio dilectus consanguineus et familiaris, G. de Ocra venerabilis Capuanus electus, R. de Montenigro magne curie nostre magister justitiarius, P. de Calabria marescalle nostre magister (*a*), magister Petrus de Vinea imperialis aule protonotarius et regni Sicilie logotheta, dilecti fideles nostri (*b*), et alii quamplures.

Signum domini Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense decembris, septime indictionis, imperante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus vicesimo octavo, regni Jerusalem vicesimo tertio, regni vero Sicilie quinquagesimo. Amen.

Datum Vercellis per manum magistri Petri de Vinea aule imperialis prothonotarii et regni Sicilie logothete, anno, mense et indictione suprascriptis (*c*).

Vercellis, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, communi Lucanorum fidelibus suis provinciam Garfagnanam quam Henrico filio suo contulerat, in rectum feudum pro fidei recompensatione concedit cum omnibus rationibus et pertinentiis a se et successoribus suis in perpetuum tenendam.

(**Inedit. ex *Archivo di stato di Lucca*, coll. duob. copiis una chart. lib. LXV, n° 355, arm. VIII, alter. pergam. arm. VI, n° 26.**)

(*a*) In impresso hic additur *magister Volta*; quid inde suspicandum sit, nescimus.

(*b*) In impresso *locumtenentis dilecti fidelis nostri*, male.

(*c*) In impresso *locumtenentis, anno, mense, die et indictione ut supra.*

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Ad prosequenda munifice vota fidelium etsi tum plenitudine gratie, tum supreme potestatis auspiciis liberalitatis Cesaree dextera generali quadam regularitate sit stabilis, illis verumtamen gratiosa porrigitur quadam specialitate libentior (*a*) in quibus velut fide preclaris et operum actione promeritis servitia recepta remunerat et prestanda in posterum efficit promptiora. Eapropter per presens privilegium notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod, licet nos olim provinciam Garfagnanam cum juribus et pertinentiis ejus Henrico illustri regi Sardinie, sacri imperii in Italia generali legato, dilecto filio nostro, de mera donatione nostra duximus conferendam, attendentes tamen fidei pure zelum quem comune Luce fideles nostri erga majestatis nostre personam habere noscuntur, considerantes etiam grata servitia que culmini nostro exibuerunt hactenus, presentis turbationis tempore fideliter exibere non cessant et que exibere poterunt in antea gratiora, de voluntate regis ejusdem cui in aliis et majoribus providentia paterna volumus providere, de speciali gratia, ex certa conscientia nostra, provinciam ipsam cum castris, villis, hominibus, jurisdictionibus, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, justitiis, rationibus omnibus et pertinentiis suis, videlicet que de demanio in demanium et que de servitio in servitium, eidem comuni fidelibus nostris in fide et devotione nostra persistentibus in rectum feudum duximus concedendam; ita tamen quod provinciam ipsam a nobis et successoribus nostris in perpetuum nomine recti feudi de cetero teneant, sicut tenent alias terras eorum districtus et a nobis ac imperio nostro recognoscunt eis olim a divis augustis progenitoribus nostris concessas et a nobis postmodum confirmatas; debita quoque et consueta servitia proinde nobis et imperio facere teneantur. Statuimus igitur et imperiali sancimus edicto quod nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus vicarius, nulla potestas seu comune, nulla denique persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, dictum comune fideles nostros in fidei devotione

(*a*) Exordium fere simile exordio quod est in *Petri de Vin. epist.*, lib. VI, cap. XV.

nostre persistentes super premissis contra presentis privilegii nostri tenorem temere impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit preter indignationem nostri culminis quam incurret, tria milia marcharum argenti pro pena se compositurum agnoscat, medietate ipsarum fisco nostro et reliqua medietate passis injuriam applicanda. Ad hujus autem concessionis et gratie nostre memoriam ac [robur] perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Nicolai de Rocha notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Manfredus marchio Lancea dilectus affinis noster, Petrus de Calabria mariscalcus noster, magister Riccardus de Montenigro magne curie nostre magister justiciarius, magister Gualterius de Ocra venerabilis Capuanus electus, dilecti familiares et fideles nostri, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense decembris, septime indictionis, imperante domino nostro Federico Dei gratia Romanorum imperatore semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno vigesimo octavo, regni Ierusalem vigesimo tertio, regni vero Sicilie quinquagesimo.

Datum Vercellis, [anno], mense, indictione prescriptis, feliciter. Amen.

[Decembri.] Fridericus, Romanorum imperator, mandat Henrico regi filio suo ut non turbetur propter concessionem Lunesanae et Garfagnanae quam Pisanis et Lucanis ipse fecit, necessitate publica suadente.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. VI, cap. XIIII, coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202, et *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455.)

Fridericus, etc., Henrico filio suo, etc. Noticiam tuam nullatenus latere volumus quod exigente negociorum et temporum tempestate, que nostre liberalitatis ordinem in plerisque permutant, utilitate nihilominus quo

minus necessitate rigida suadente, provincias Lunesanam et Garfagnanam olim tibi paterna devotione collatas, nuper communibus Pisanorum et Lucanorum providimus concedendas. Ex quo, licet posses in patre quodammodo notam inhumanitatis objicere, quod de filii spoliis ditavit extraneos, et liberalitatis munifice gratiam, quam in te dudum infuderat, ablativa nunc vacuatione confundat; si tamen collationis hujusmodi qualitas et conferentis affectus diligenter attenditur, turbari te propterea debere non credimus, sed id ferre potius equanimiter arbitramur; cum in probabili debeas argumento presumere ut qui nostre munificentie dexteram ad fideles benemeritos libenter extendimus, tanto tibi libentius et liberius porrigamus, quanto nobis hoc ardentius et jus suggerit et natura, dum apud nos grandia, duplici ratione pro meritis, carnis nobis identitate participas, et labores nostros et onera studiosus et pervigil continua communicatione supportas. Volumus igitur ut provisionem hujusmodi, qua nec dum per actum gratificari te credimus, sed consulere potius per agendum, ratam habere debeas et absque dilatione qualibet acceptare, securus quod sic tibi in aliis majoribus paterna providentia providebit, quod et dictis te cessisse provinciis et nostris insudare servitiis merito delectabit.

Fridericus, Romanorum imperator, Bonifacium marchionem Montisferrati in gratiam suam recipit(1), eique concedit in feu- .... decembri.

---

(1) Ad pacem inter imperatorem et marchionem reformandam primum colloquium celebratum est, cui affuerunt Amedeus comes Sabaudiae, comes Thomasius frater ejus, Gualterius de Ocra, et marchio ipse Montisferrati cum Taurinensibus forbannitis. « Il parlamento fu tenuto sulle rive della Dora Baltea; non si sa meglio il luogo nè il tempo. Colà s'intesero diversi patti e fra gli altri che Bonifazio marchese di Monferrato ponesse nelle mani del conte di Savoia Chivasso, S. Raffaele, Lù e Vignale ..... Un nuovo congresso si tenne il 14 di marzo 1249 sulle rive della Stura presso Altessano, in cui Uberto di Monmegliano castellano d'Avigliana si presentò in nome d'Amedeo IV per ricevere le fortezze; e si prefisse nuovo termine a Bonifazio per consegnarle, a pena di veder risolti tutte le convenzioni che s'erano intese tra lui e l'imperadore. » Cibrario, *Stor. della monarch. di Savoia*, t. II, p. 54, ubi hoc regestum archivi cameralis citat : *Contrats entre la maison de Savoie et les princes étrangers*, fol. 32.

dum castrum Verruae, episcopo Vercellensi qui illud detinebat ablatum.

(Memorat. ap. CIBRARIO, *Stor. della monarch. di Savoia*, t. II, p. 54, ex Zibaldone Pingoniano Mss. in archivo Taurinensi.)

Datum. . . . . ., anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense decembris, septima indictione.

Vercellis, decembri. Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomasio de Sabaudia, imperii a Papia superius generali vicario, et haeredibus ejus pedagia, regalia et pascua omnia terrae quam habet in comitatu Sabaudiae et in partibus Pedemontis, concedit.

(Edit. ap. GUICHENON, *Hist. de Savoie*, preuves, p. 92, ex diplom. Imper., fascic. I, n° 18.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Benemeritis Cesarem providere fidelibus etsi gratie plenitudo suadeat, servitiorum quodammodo gratitudo compellit ut dum grata fidelium remunerantur obsequia, fiant quasi per debitum gratiora. Per presens itaque privilegium notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem puram et devotionem sinceram quam Thomas de Sabaudia comes, sacri imperii a Papia superius generalis vicarius, dilectus fidelis noster, erga majestatem nostram habet; considerantes etiam grata servitia que idem culmini nostro exhibuit hactenus et exhibere poterit in futurum, pedagia, regalia et pascua omnia terre sue quam habet in comitatu Sabaudie et pertinentiis ejus ac in partibus Pedemontium, sibi et heredibus suis in fide et devotione nostra persistentibus de nostra gratia duximus concedendum; ita videlicet ut tam ipse quam heredes sui predicta omnia a nobis et successoribus

nostris in imperio de cetero teneant et etiam recognoscant. Ad hujus autem concessionis et gratie nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens privilegium per Nicolaum de Rocca notarium et fidelem nostrum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Vercellis per manus magistri Petri de Vinea imperialis aule protonotarii et regni Sicilie logothete, anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense decembris, VII indictione, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno XXVIII, regni Jerusalem XXIII, regni vero Sicilie L, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomae de Sabaudia concedit ut recolligere possit propriis manibus omnes expensas sibi incumbentes ratione custodiae et tuitionis statuum suorum, simul et recuperationis terrarum obedientiam sibi debitam recusantium vel abnuentium. Vercellis, decembri.

(Memorat. ap. Wurstemberger, *Peter der zw. Graf. von Savoyen*, etc., t. IV, *Urkunden*, p. 118, ex diplom. imper., fascic. I, n° 19.)

Datum Vercellis, ... anno dominice incarnationis M.CC. XLVIII, mense decembris, VII indictione, etc.

Fridericus, Romanorum imperator, cuidam capitaneo (forsitan capitaneo Taurinensi) mandat ut juxta priorum tenorem litterarum quosdam captivos pro quibus comes Thomasius de Sabaudia sibi supplicavit, liberare non omittat. [Decembri vel circiter.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. V, cap. LV.)

Thomasius de Sabaudia comes, dilectus affinis et fidelis noster, suis literis nostre exposuit majestati, quod licet apud Thaurinum(a), ad ipsius supplicationem, tibi dederimus in mandatis ut quosdam captivos, quos ad se pertinere nunc asserit, deberes a carceris vinculo liberare, tu postmodum plures alios captivos, de quibus majestatis nostre mandatum simile recepisti, et pro quorum liberatione ipse comes nullatenus supplicavit, a carcere liberando, ipsos pro quibus nostre celsitudini supplicavit liberari, prout ipse descripsit, penitus omisisti. Ob quorum liberationem quia comes prefatus nuper serenitati nostre humiliter supplicavit, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus, si est ita, juxta formam prioris mandati nostri, eosdem captivos a nexibus carceris absolvere non omittas.

Lugduni, 8 decembris.

Innocentius papa acerrime contra Fridericum invectus miserabilem regni Siciliae statum fusius describit, et reformationi Ecclesiae quam reformatio regni ipsius subsequetur providet, universa statuta in praejudicium ecclesiasticae libertatis edita irrita decernendo, electiones liberas ab omni seculari potestate sanciendo, jubendoque demum ut nulla ecclesiastica persona foro temporali in quacumque causa respondere debeat.

(Edidit Gattola, *Ad Hist. abb. Casin. accessiones*, pars II, p. 717-718; quam quidem bullam fecit annotari Clemens papa quartus in anno 1267, pontificatus sui tertio, quinto decimo die octobris. Coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., n° 4039, n° 22; unde eam exhibuit Höfler, *Kaiser Friedr. II*, append., n° 35.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, ad observantiam et memoriam perpetuam. A diebus Frederici alumni nequitie quasi Antichristi prenuntii, Sicilie regnum vim patitur et ministri ejus predatione illud diripiunt violenta; nam ut vite sue cursum breviloqnio transcurramus et longam perversorum actuum ejus telam compendiosa verborum serie de-

(a) In cod. bibl. Guelferbit. nomen loci ita exaratur *Raacenum*, vel hujusmodi.

curtemus, postquam multas et periculosas Apostolice Sedis presidio evasit insidias cepitque libere in regno ipso pleni sibi habenas illi tribuente dominii principari, sic in superbie altitudinem est elatus et in sevitie acerbitatem obriguit quod de humilitatis substantia cujus in adversis se simulabat amicum et de benignitatis mansuetudine quam blando prius mentiebatur affectu, nihil omnino retinens et de virtute divina non tremuit humanamque parvipendit potentiam, et honorem Ecclesie ac libertatem hominum dicti regni tirannide furibunda depressit plurimum, olim mitis in nubilo, sed nimium severus post modum in sereno, verborum tunc dulcedine melleus, sed postea felleus amaritudine operum, ante quidem promissionis blandimento multimode liniens, sed postremo ut scorpio persecutionis aculeo dire ledens. De multiplicis etenim necessitatis angusto in quo draco iste latuerat ad affluentis opulentie amplitudinem famelicus et sitibundus exiliens, rabido cepit ore regnum laniare prefatum, carnem illius rerum suarum scilicet ubertatem consumens in cibum et sanguinem in potum exhauriens, hominum videlicet ejus vitam. Sic namque in bona et personas ipsius anxia exarsit ingluvie quod hec insatiabili rapacitate discerpens illud proh dolor! ferus plus fera qualibet fere penitus absorbuit in utrisque, nec sexum nec etatem neque ordinem pretermittens. O quam pestilenti colono hic ager commissus extitit tam fertilis et amenus, qui nunquam eum coluit, sed semper de ipso collegit; non adauxit cultura congrua fructus ejus, sed verius illos indebitis collectis exhausit; nusquam ad ipsum cultoris curam adhibuit, sed curiositatem assidui collectoris. O quam perverso rectori tantum ac tale creditum fuit regnum, qui suis tantummodo nephariis votis intentus impie ad illius prosiliit excidium ut suum ferinum animum inhumanitatis immanitate placaret, cunctos utique predans, gubernator dissipans, defensor offendens, dux devians, princeps precipitans et rex rodens. Heu itaque! quia gratiosum et pretiosum regnum cui specialiter Dominus in omnibus benedixerat, de alto glorie in imum miserie corruit, sub inimice adversitatis dominio variis tribulationibus contristatum quod olim ex amice prosperitatis arrisu affluentibus commodis letabatur. Heu! quia speciosum regnum tanta mutatum alteratione cernitur quod omnino a se ipso priore discrepare videtur, et vix illud qui hoc

in sua prima inspexerunt effigie recognoscunt: defecerunt enim ipsius optima, immo in contraria diverterunt. En quidem plenitudo deformis, ingenuitas degener, libertas ancilla, fecunditas sterilis, populositas deserta et fortitudo infirma, subripuit fletus risum ejus et gaudium suum desiit in lamentum. O quotiens dolorose suspirat et lachrymatur amare Apostolica Sedes quod regnum juris et proprietatis sue, carum quippe sibi, dura Pharaonice oppressionis mole prosternitur nec sinitur pia consolationis apostolice dextera relevari. Porro nec ecclesias nec personas ecclesiasticas earumque jura et bona in regno ipso draconis hujusmodi furor preteriit, sed in hec eo ferocius excanduit quo quidquid ecclesiastico discernitur nomine odio abhorruit graviori. Tanta enim impietate corpus ibi obtrectavit Ecclesie quod ipsum huc et illuc more ferali distrahens et discindens quasi ad nichilum hoc redegit; nam illud omni primum ornamento denudans et deinde incalescente sevitia factus Herode hic nequam herodior rabiosis demembrans morsibus, totam demum carnem voravit ipsius, corrosit etiam ossa et insuper medullam exsuxit, sue denique potestatis honore illud de facto destituit, non solum non permittens ibidem libere auctoritatem ecclesiasticam exerceri, sed et superbe ac irreverenter eam despiciens et conculcans, et tanquam ille cujus ambitioni totius orbis non sufficeret ambitus, hujusmodi auctoritatem in multis impudenter usurpans, reputando quasi modicum se habere si solis preesset temporalibus et sibi spiritualia non subessent, in provisionibus cathedralium et aliarum ecclesiarum vacantium, beneficiorum ipsarum collationibus, clericorum causis et aliis ad forum ecclesiasticum pertinentibus ipsa inibi abuti presumpsit. Ad prelatos quoque ac alios clericali presignitos militia manu crudelitatis indifferenter extenta, quamplurimos ex ipsis ignominiosa captione teneri et in atroces detrudi carceres ac tandem morti turpissime tradi fecit. Et ut de immensis ac innumeris injuriis et dispendiis ecclesiarum et cleri regni premissi tristem et infinitam materiam brevi oraculo finiamus, sic ibi jurisdictionis ecclesiastice plenitudo prorsus evacuata et libertatis integritas ex toto comminuta conspicitur quod non solum illic species non apparet Ecclesie neque decor, sed etiam de ipsius plene substantia nil subsistit. Unde respiciens Dominus tam gravem tamque diutinam sui afflictionem

populi et motus multa misericordia super eum, insultantis superbie extollentiam dejicere ac tiranni furentis ferire voluit feritatem. Quare in ipsum qui cum in honore esset noluit intelligere ut bene ageret, sed iniquitatem continue meditans pejora semper operatus extitit, dignum et justum exigentibus nichilominus quammultis aliis gravissimis suis culpis quas ad presens silentio relinquimus, est judicium jaculatum; sed certe nondum licet forsan tremuerit, a solita malignitate quievit, quin potius tanquam in profundum malorum demersus, desperans ulterius et contemnens in extremum precipitium committendo incessanter deteriora prioribus totus abit. Verum quia principalius ad nos spectat de prefati reparatione regni sollicite cogitare, cum quanto specialius ad Apostolicam Sedem pertinet ac sibi existit vicinius, tanto ipsius profectui et saluti affectuosius intendere teneamur, pensato attente quod nisi Ecclesia, cum sit mater, plena sua libertate et auctoritate in regno ipso gaudeat, ad optatam illud letitiam resurgere vix valebit, et si perfecte ipsa restauraretur ibidem, illius reformatio facilius et celerius subsequetur, providimus fore clero et ecclesiis ejusdem regni ut ad bonum et liberum statum adjutore Domino reducantur, cito et efficaciter succurrendum; presertim quia nostra interesse dinoscitur de regno ipso, cum sit speciale sedis ejusdem et rege nunc careat, memorato F. sententialiter illo privato, libere ordinare. Hinc est quod nos de fratrum nostrorum consilio deliberatione prehabita diligenti, constitutiones omnes seu statuta, ordinationes, dispositiones, jussiones et universa talia in derogationem vel prejudicium libertatis, immunitatis, auctoritatis et jurisdictionis ecclesiastice aut quorumcumque jurium ecclesiasticorum a predicto Frederico ante vel post depositionem ipsius edicta, necnon et quaslibet consuetudines contra hec in eodem regno ab ipso vel suis predecessoribus Sicilie regibus introductas irritas omnino et vacuas decernentes, singulis ipsius regni ecclesiis tam secularibus quam regularibus, cathedralibus et aliis necnon et domibus religiosis civitates, castra, villas, terras, predia, possessiones, homines, vassallos, affidatos et cetera bona et jura quibus eas idem Fredericus vel per inquisitiones aut concessiones seu venditiones vel concambia sive quocumque alio modo destituit, plenarie restituimus integre ab ipsis cum omnibus pertinentiis et juribus suis de cetero possidenda;

concedentes eisdem et prelatis ipsorum reparandi et reedificandi de novo civitates, terras, villas et castra sua de mandato ejusdem Frederici in parte vel iu toto diruta seu destructa et faciendi inhabitata rehabitari liberam potestatem. Post hec irrefragabili constitutione sancimus ut in cathedralibus, conventualibus et collegiatis ecclesiis dicti regni quando vacaverint electiones libere et canonice celebrentur nec eligendi licentia si rex in eodem regno fuerit ab ipso aliquatenus postuletur, contraria super hoc consuetudine cum profecto in enorme libertatis ecclesiastice dispendium redundaret non obstante, nec etiam post ipsas electiones regius requiratur asseusus; provisiones et concessiones seu collationes omnes de prelaturis, dignitatibus, personatibus, ecclesiis, prebendis et aliis beneficiis ecclesiasticis regni prefati per jam dictum Fredericum vel ejus mandato seu per suos officiales vacantibus vel non vacantibus ejusdem regni ecclesiis temere presumptas, et si quas in posterum ant per regiam aut quamcumque potestatem aliam secularem de ipsis presumi contigerit, inanes immo nullas penitus nuntiantes. Statuimus insuper ut regi seu aliis dominis secularibus ejusdem regni ecclesiarum ipsarum prelati qui regalia non tenent ab illis, nullum deinceps fidelitatis exhibeant juramentum. Antiqua quoque sanctorum patrum statuta sequentes perpetuo firmamus edicto ut nullus clericus sive quevis persona ecclesiastica regni prefati respondere in criminalibus vel civilibus questionibus, etiam si contra eam de lese majestatis agatur crimine, in seculari judicio teneatur, districtius prohibentes ne in illo si ad ipsum etiam tracta fuerit respondere presumat. Decernimus etiam ut nullus majori excommunicatione ligatus sive sit clericus sive laicus, admittatur in foro ecclesiastico vel seculari in eodem regno, priusquam absolutus fuerit, ad agendum. Hiis quoque irrevocabili decreto adjicimus ut archiepiscopis et episcopis ejusdem regni in suis civitatibus et diocesibus et prelatis aliis in locis in quibus jurisdictionem spiritualem obtinent, judicandi et puniendi secundum quod canones censent adulteria et alia crimina tam ecclesiasticarum quam secularium personarum et censuram propter hoc in ipsas ecclesiasticam exercendi, temporali jurisdictione dominis temporalibus nichilominus reservata, necnon cognoscendi de causis dotium et universis aliis que ad forum ecclesiasticum pertinent

et eas sententialiter decidendi plena et libera sit facultas. Nulli ergo omnino hominum liceat hec nostra perpetua statuta infringere vel eis ausu quolibet contraire. Si quis autem attemptare presumpserit, gravi pena se noverit percellendum.

Datum Lugduni, sexto (a) idus decembris, pontificatus nostri anno VI.

Innocentius papa cives Aquenses commendat quod ad devotionem Ecclesiae sint reversi, monetque se sententiam contra Fridericum et Conradum filium ejus in concilio Lugdunensi latam inviolabiliter observaturum. Lugduni, 8 decembris.

(Edit. ap. QUIX, *Cod. diplomat. Aquensis*, p. 119, n° 171, ex originali.)

Innocentius, etc., dilectis filiis civibus Aquensibus Leodiensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Etsi pro eo quod reversi estis ad devotionem Ecclesie (1), intendamus vos universos et singulos gratia prosequi et favore, pro eo tamen quod commendamini pre ceteris de virtute constantie ac fidei puritate, propensiori cura vos habere volumus inter devotos Sedis Apostolice speciales. Rogamus itaque universitatem vestram attentius et hortamur per apostolica vobis scripta mandantes quatinus in ipsius Sedis devotione persistatis sic viriliter et constanter quod ea que de vobis dicuntur, cognosci valeant evidentius per effectum, et nos qui sententiam latam in Lugdunensi concilio contra Fredericum quondam impe-

(a) In codice Paris. legitur *VII idus*, scilicet 7 decembris : quod forsan aptius.

---

(1) Willelmus de Hollandia civium Aquensium privilegia confirmaverat diplomate dato Aquisgrani, XV kalendas octobris (17 septembris) 1248 : cui testes affuerunt Petrus cardinalis Sancti Georgii, Guillelmus Sabinensis episcopus cardinalis, Conradus Coloniensis archiepiscopus, Monasteriensis episcopus, Leodiensis electus, Prumensis et Indensis abbates, cum multis magnatibus et principibus inferioris Allemaniae. Cf. QUIX, *loco supra cit.*, p. 117, n° 169.

ratorem et C. natum ejus faciemus inviolabiliter observari, ad vestra et terre vestre commoda et honores fortius astringamur.

Datum Lugduni, VI idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Lugduni. 9 decembris.

Innocentius papa archiepiscopo Maguntino et electo Spirensi mandat quod vicesimam ecclesiasticorum proventuum Terrae Sanctae subsidio deputatam per regnum Alemanniae colligant et nulli eam assignent sine sua licentia speciali.

(Inedit. ex regest. litt. curial. Innoc. IV, anno VI, n[is] 246, 276, in Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 4039.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, archiepiscopo Maguntinensi et electo Spirensi. Gerentes de vestre sinceritatis et devotionis constantia fiduciam in Domino pleniorem, mandamus quatenus vicesimam ecclesiasticorum proventuum Terre Sancte subsidio deputatam colligi per regnum Alemannie facientes, ipsam in tuto loco deponere procuretis, non assignaturi eam alicui sine nostra licentia speciali, non obstantibus aliquibus indulgentiis seu litteris ab Apostolica Sede obtentis vel etiam obtinendis, per quas hujusmodi collectio impediri valeat vel differri et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem. Contradictores, etc. Quod si non ambos, etc.

Datum Lugduni, V idus decembris, anno VI°.

Paulo infra eisdem Innocentius rescribit ut redemptiones votorum cruce signatorum et quecumque alia colligant et assignent regi Romanorum, ut facilius contra Fredericum negotium valeat prosequi.

Datum Lugduni, IV nonas januarii, anno VI°.

Innocentius papa Sanctae Mariae in Via lata diacono cardinali Apostolicae Sedis legato mandat quod dispensationem de tertio gradu consanguinitatis inter Ulricum natum ducis Carinthiae et Agnetem neptem patriarchae Aquilegensis tribuat, recepta prius ab utroque de assistendo Romanae Ecclesiae contra Fridericum et de perseverando immobiliter in Ecclesiae devotione idonea cautione. Lugduni, 23 decembris.

(Inedit. ex regesto epist. Innoc. IV, anno VI, in Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 4039.)

Datum Lugduni, X kalendas januarii, anno VI.

Fridericus, Romanorum imperator, concedit et confirmat Ver. seu B. de Vercellis quaedam bona ibi expressa quae Petrus Bicherius et alii milites statuti super distribuendis bonis Vercellensium proditorum, eidem danda providerant. [Anno exeunte]

(Inedit. ex cod. Bibl. Vatican., n° 5985, fol. 73 verso, cum hoc titulo : *Rex facit gratiam cuidam nobili de bonis proditorum*. Deest notatio loci et temporis.)

Fridericus, etc. Remuneratio subjectorum liberalitatem principis ostendit in perpetuum; illa vero dignioris laudis titulo elucescit qua digna pro meritis premia largiuntur et ditantur justi spoliis quodammodo dampnatorum. Per presens igitur scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Ver. de Vercellis fidelis noster majestati nostre humiliter supplicavit ut cum P. Bicherius (1) et

(1) In codice *B. Vicheus*, minus recte. Agitur de isto Bicherio de quo supra, p. 655. In eum acriter invehit Innocentius papa, in litteris ubi legimus : « Cum igitur Petrus dictus Bicherius

alii milites de Vercellis, fideles nostri, statuti super distribuendis bonis proditorum Vercellensium inter fideles nostros civitatis ejusdem, infrascripta bona videlicet domum unam que fuit R. sitam in contrada Sancti Juliani et domum S. sitam in *tali loco* et totum podere quod fuit G. de Raone et totum podere quod fuit M. cum juribus et pertinentiis eorum eidem Ver. fideli nostro providerint fore danda, ea sibi concedere de nostra gratia dignaremur. Nos autem attendentes et considerantes grata servitia et accepta que ipse B. (*sic*) nostre celsitudini prebuit hactenus et exhibere poterit in futurum, predicta bona prout inferius (*a*) sunt distinta, eidem B. et heredibus suis fidelibus nostris in fide et devotione nostra persistentibus de nostra gratia duximus concedenda; ita videlicet quod tam ipse quam heredes sui bona ipsa a nobis et successoribus nostris in imperio de cetero teneant ac etiam recognoscant, et tam ipse quam heredes sui debita et consueta servitia nobis et imperio facere teneantur. Statuimus igitur et imperiali saucimus edicto quatinus nullus marchio, comes vel baro, nullus legatus, vicarius, capitaneus, consul vel commune, nulla denique persona alta vel humilis, ecclesiastica vel etiam secularis, contra presentis scripti nostri tenorem ausu temerario venire presumat. Quod qui presumpserit, preter indignationem nostram quam se noverit incursurum, centum marchas argenti pro pena se compositurum agnoscat, medietate camere nostre et reliqua medietate passo injuriam applicanda. Ad hujus concessionis nostre memoriam et robur, presens scriptum perpetuo valiturum, etc. ¹. . . . .

[Anno exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, Vatacio Graecorum imperatori nuntiat quomodo sacerdotes Ecclesiae occidentalis non so-

(*a*) Sic, potius tamen legendum *superius*.

---

civis Vercellensis qui pro eo quod quasi de nichilo exaltatus fuit de bonis Ecclesie, deberet si recte saperet etiam vestigia labere clericorum, Frederico quondam imperatori impudenter adhereat et patenter, etc. Datum Lugduni, nonis januarii anno VI (5 januarii 1249). » *Cod. Bibl. Cesar. Paris.*, 4039.

lum in destructionem omnium principum, sed etiam in suae vitae naufragium conspirent, felicitati orientalium potestatum invidens quae tales adinventiones non verentur.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindobon. *Philologus* dicto, n° 305, fol. 128 verso, 129 recto, incorrecte tamen ut solet exarato. Mendas evidentiores correximus.)

Fridericus Battacio, etc. Si quantum votis nostris applauditis in vestrorum magnifica nuntiatione successuum industria vestra sentiret, profecto palparet nostrarum aurium sepius insinuatio vestra. . . . . ad extremas usque virtutis et potentie metas currentis fortune calcaribus intaxetis (*sic*) adhuc etiam grandiora magnalibus inculcantes, ut ad nos felicitatis vestre fecundius et vestre jocunditatis hilarius pagina noticie perveniret. Hujus expectationis et desiderii nostri causam non sola precordialis affectio quam ad personam vestram habemus inducit, sed generalis et purus magnificentie nostre zelus quo secularium omnium potestatum, quorumlibet regum et principum, incrementa diligimus et libenter audimus, adeo quod non solum ad eos quos nobis antiqua noticia vel dilectio specialis innuit, sed ad quoslibet nobiles generosa preditos dignitate, nobis etiam prorsus ignotos, votum hujusmodi propagemus et generaliter affectemus eosdem progenitorum suorum antiquis honoribus perfrui et votivis prosperitatibus exaltari. Nec facit hoc tantum Cesaree fortune fastigium, quod velut supreme felicitatis et proprie sortis contentum vite non invidet aliene, sed quedam occulta necessitas quam attenderent necessariam alii, sicut nos ipsi prospicimus et sentimus. Habemus enim omnes reges orbis et principes, presertim orthodoxe religionis et fidei zelatores, odium publicum et commune cum prelatis et cum Ecclesie nostre primatibus speciale dissidium, sed occultum. Illi quidem pestifere libertatis abusum ambiunt, isti per latentes insidias bonis nostris et titulis detrahentes a vice devocionis nostre beneficiis abutuntur, et dum in nostra dispendia per se forte quorumlibet nocumenta non prosunt, arma communia capiunt et occulte conjurant ut in ipsius vite nostre naufragium sacra sacrilegia misceantur, utque sediciones et calliditates ipso-

rum efficacius noceant, dominis et devotis nos (a) ab invicem separant, mutato dominio veterem dominum abjicit et novum assumit fidei nostre (b) . . . . ut alterum perimant, alteri blandiuntur; nec nos ista perspicimus, non vitamus. Hec autem tantum apud Occidentalem plagam et in Europa nostra potissime committuntur. O felix Asia, o felices orientalium potestates que subditorum arma non metunnt et adinventiones pontificum non verentur! Vobis igitur in acquisita jam gloria demanii de optenta victoria de Achivis, nobilitate communi dignum suadente tripudium, congaudemus et affectione precipua quam ad vos gerimus augente leticiam dignas magnificentie vestre grates offerimus quod figurative per litteras nuntiationis indiciis non contenti, corporalis aspectus vestri presentiam nobis hylariter obtulistis. De triumphalibus vero nostris ut imperialium apicum tenor vota vestra letificet, scire vos cupimus quod quanquam victorie nostre cursum huc usque tardaverit quorumdam furiosa rebellio et versuta calliditas aliquorum, faciente exercituum Domino qui per justitie gladios vias aperit regum, circa partes Ausonie commorantes gloriosum ceptorum finem deditione Ligurie jam [imminente] prestolamur.

[Anno exeunte.] Commune Novariae domino papae supplicat quod eis non auferat legatum Gregorium de Montelongo, qui in conventu societatis Lombardiae nuntiaverat se ad curiam Romanam recedere velle.

(Inedit. ex cod. Bibl. univers. Leipsic., n° 1268, fol. 126; cujus epistolae epitomen tantummodo exhibemus, hoc addito loco qui magis ad rem nostram pertinere videtur.)

. . . . Novarie civitas inter alias fide preclara, procurantibus quibusdam qui non impune transibunt, jam nuper erat in Friderici quondam

(a) Forsitan legendum *devotos a nobis et a devotis nos.*
(b) Locus certissime mutilus.

imperatoris manibus consignata, nisi quia predictus dominus legatus, cui ipse Christus tanquam. . . . . . secreta revelat, de ipsius Friderici faucibus nos extraxit (1), etc.

ANNO 1249. — INDICTIONE 7.

Fridericus, Romanorum imperator, communitati piscatorum de Papia licentiam concedit piscandi in fluminibus Ticini et Padi et in omnibus Lombardiae aquis, sub conditione praestationis piscium quando ipsum vel successores suos in imperio per districtum Papiae transire continget. Papiae, januario.

(Edidit Robolini, *Notizie stor. di Pavia*, t. IV, pars I, p. 452-454; inclus. in confirmatione Caroli IV tunc Romanorum regis, data Pisis, anno 1355, indict. VIII, 2 idus februarii.)

Federicus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Cecilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quatenus Nicola de Lombardo, Ferrarius de Boerno, Joannes Alana, Henricus de Beato, Jacobus Salamus, Remusius Salamus, Andrea Sicamilia, Gulielmus Deus, Petrus de Guidoto, Lafranchinus Passenus, Bertholottus de Spisia, Sigembaldus Vasalus, Ayraldus Vasalus, Petrus Vasalus, Jacobus Veronus, Alberthonus Vitha, Lafrancus Corbellanus, Vergognonus de la Vegia, Gualterius Scortica,

(1) De quo testimonium affert *Chronicon de reb. in Ital. gest.*, p. 218, his verbis : « Interea (scilicet dum imperator Vercellis moraretur) Gregorius de Montelongo legatus Ecclesiae cum Mediolanensibus et CC militibus Placentinis civitatem Novariae intravit. »

Petrus de Beneraldo, Vayamons Cavaternus, Petrus Salinus, Bonusjoannes Salamus, Oliverius Salamus, Albertus de Bexate, Henricus Bignotus, Bayferius magister qui dicitur Brugnolus, Ubertus Raspunus, Andreas de Alana, Bernardinus de Buliotto, Guido qui dicitur Remitus, Henricus Teutonicus, Guilratius Capellanus, Fusignanus Capellanus, Lafrancus Botus, Ubertus de Pro, Iacomellus Beatus, Martinus Gilius, Nicasius de Nicello, Lafrancus Petradolius, Bresanus piscator Fumarii, Rolandus Inrepolinus, Joannes Fetranus, Petrus de Ayraldo, Rolandus Cassanus, Raynaldus de Monteacuto, Petrus Merulus, Zenarius piscator, Petrus qui dicitur Botus, Jacobus de Gualterio, Henricus Buda, Tealdus de Cartesana, Joannes de Viventio, Brunellus Fornasarius, Jacobus Bixius, Jacobus Reguanus, Jacomus de Mangrariis, Jacobus Balbus, Canetus Montavinus, Vasalus de Garlasco, Brunellus de Ayraldo, Zaninus de Valtortello, Albertonus filius Petazoli, Bilbelonus de Tbealdo, Albertus Cucha, Ulinus Villanus et Petrus Aliata, piscatores(1), cives Papienses, fideles nostri, majestati nostre humiliter supplicarunt ut eis et heredibus ipsorum licentiam piscandi in flumine Ticini et Padi, in aliis etiam fluminibus et aquis omnibus Lombardie, sicut alii piscatores civitatis ejusdem piscari soliti sunt et piscantur, concedere de nostra gratia dignaremur. Nos autem attendentes fidem puram et devotionem sinceram eorum, fidelia etiam et satis grata servitia que iidem nobis et imperio exhibuerunt hactenus et in futurum poterunt exhibere, eis et heredibus ipsorum in fide nostra et imperii existentibus predictam postulatam piscandi in fluminibus et aquis predictis sine juris prejudicio de speciali majestatis nostre gratia licentiam duximus concedendam; ita tamen quod nobis et successoribus nostris in recognitionem presentis gratie nostre, in imperio quandoque nos vel successores nostros civitatem et districtum Papie transire contigerit, dare quantitatem piscium valentem libras decem papienses teneantur. Mandamus igitur et firmiter precipimus quatenus nullus sit qui predictos fideles nostros vel heredes ipsorum super piscatione in fluminibus et aquis predictis contra presentis conces-

(1) Quae quidem piscatorum universitas, sicut et aliae *corporationes*, *Paratico* nominabatur, ut in confirmatione Caroli quarti videre est.

sionis nostre tenorem impedire vel perturbare presumat, et qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam presens scriptum per Jacobum de Papia notarium fidelem nostrum scribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum Papie (1) per manus magistri Petri de Vinea (a) imperialis aule prothonotarii et regni Sicilie logothete, etc., anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense januarii, septima indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat privilegium Friderici quondam Austriae ducis, datum apud Tobel, quarto idus julii 1242, quo dux iste ecclesiae Sancti Petri ultra Judenburch donavit quoddam ovile suum in villa praefatae ecclesiae et quoddam novale Strimizellee dictum. Cremonae, Januario.

(Memorat. ap. von Meiller, *Babenberger regest.*, p. 172, n° 105, ex cod. tradit. Secov. in arch. Johann. ap. Grätz.)

Datum Cremone, anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense januario, [septime indictionis].

(a) In impresso legitur, sed male, *de Unica.*

---

(1) « All' appoggio di un rogito del notajo Giacomo Tomacio, l'imperadore nel giorno 12 di gennaro 1249 in Pavia nella chiesa di S. Pietro in Ciel aureo, alla presenza di Gottifredo Campeggi, di Carlo Borra (o Botta) e di Ricardo Parona investitò *per baculum quem propria tenebat manu* dell' arte o officio della notaria Martino Santepifanio, con autorità di far istromenti e rogiti per tutto il mondo in ogni parte. — Nel giorno 13 dello stesso mese Federico in Pavia comandò con sue lettere à Manfredo marchese Lancia, capitano da Pavia sino ad Asti, che sforzasse la città a restituire un certo prato all' abbate del monasterio di S. Pietro in Ciel aureo. » Bossi, *Istor. Pav.*, citat. ap. Robolini, *Notiz. stor. di Pav.*, t. IV, prima parte, p. 141.

Lugduni, 31 januarii.

Innocentius papa Willelmo, regi Romanorum, scribit quod uxori marchionis de Baden, quum iste nobilis crucem contra Fridericum et Conradum natum ejus assumere paratus sit, ducatum Austriae et omnia feoda quae fuerunt quondam ducis Friderici ejusdem dominae patrui, conferre velit.

(Edider. Schöpflin, *Histor. Zaringo Bad.*, cod. diplomat., tom. IV, p. 218, nº CXXV; — Baluze, *Miscell.*, tom. VII, p. 455, cum erronea nota *idus februarii;* — et Höfler, *Kais. Friedr. II*, append., nº 36, e regest. litter. Innoc. IV, in Bibl. Cesar. Paris., 4039, nº 336.)

Innocentius, etc., W. illustri regi Romanorum, etc. Etsi cunctos ex attributa tibi potestate a Domino fovere in sua justitia tenearis, sublimibus tamen nobilibusque personis per quas honori tuo magne utilitatis fructus posse provenire speratur, favorabiliorem te convenit exhibere, in hiis precipue que sibi a tuis predecessoribus sunt concessa. Cum igitur, sicut ex parte dilecti filii nobilis viri. . . . . . . marchionis de Baden fuit propositum coram nobis, a clare memorie Romanorum imperatoribus qui fuere pro tempore, ducibus Austrie ex speciali privilegio sit permissum ut si iidem duces absque liberis masculis morerentur, femine tam in ducatu quam feudis aliisque bonis omnibus possint jure succedere masculorum, idemque paratus sit contra F. quondam imperatorem, Conradum natum ipsius eorumque fautores signum crucis assumere, tibique sicut asserit totis viribus fideliter adherere, nos arbitrantes dignum existere ut ipsum propter hoc regalis munificentie gratia favorabiliter prosequaris, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente quod ducatum, feuda et alia bona que clare memorie dux Austrie habuisse dinoscitur, ipso adimplente quod offert, nobili mulieri uxori sue, nepti ejusdem ducis, cui ea ut dicitur debet tam propinquitate sanguinis quam dicti privilegii ratione succedere, liberaliter conferre ac ipsam de predictis investire procures, ita ut prefatus

nobilis tuis beneplacitis obligetur nosque proinde tue sinceritatis zelum merito commendemus.

Datum Lugduni, II kalendas februarii, anno VI.

Innocentius papa mandat episcopo Ratisponensi ut ducem Bavariae contra juramentum suum Friderico imperatori assidue adhaerentem et ejus in Austria vices gerentem, excommunicatum denuntiet et in ipsum verbum crucis praedicet et faciat publicari, donec Ecclesiae plenariam satisfactionem dederit. Lugduni, 6 februarii.

(Edid. HÖFLER, *Biblioth. des liter. Vereins in Stuttgart*, t. XVI, p. 177. Integrius nunc exhibemus ex regist. epist. Innoc. IV, anno VI, in Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, 4039, n° 341.)

Innocentius, etc., episcopo Ratisponensi, etc. Cum tibi dicamur nostris dedisse litteris in mandatis ut. . . . . ducem Bavarie, nisi a te monitus infra festum Assumptionis beate Marie proxime preteritum rediret ad ecclesiasticam unitatem, gratiis et indulgentiis sibi a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro concessis auctoritate nostra privares, licet idem dux post monitionem tuam quod contra Ecclesiam in nullo processerat proprio juramento firmarit ac se promiserit per juramentum hujusmodi processurum nullatenus contra eam; ipse tamen sicut accepimus, juramenti religione contempta, prioribus pejora committens et Frederici quondam imperatoris persecutoris Ecclesie in partibus Austrie gerens vicem, ipsi Ecclesie ac eam adjuvantibus plurimum adversatur. Ideoque fidelitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatenus, si est ita, eumdem ducem auctoritate nostra privatum esse denuntians gratiis et indulgentiis supradictis, in ipsum et in sua perversitate adherentes eidem excommunicationis et in terram ejus interdicti sententias non differas promulgare, easque tamdiu singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per

civitatem et diocesim tuam solempniter publices et facias publicari, donec vexatione intellectum suo auditui tribuente ad unitatem ecclesiasticam revertatur et contra predictum F. tanquam adversarium fidei et libertatis ecclesiastice subversorem recipiens signum crucis, ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis ac clericis earumdem civitatis et diocesis injuste ablata restituat et de dampnis et injuriis irrogatis satisfactionem competentem exhibeat, ut tenetur. Ad hec volumus et tibi auctoritate presentium districte injungimus ut contra ipsum ducem tanquam adversus Ecclesie adversarium manifestum in dictis civitate ac diocesi verbum crucis predices et facias predicari, cum illis qui crucis assumpto signaculo processerint contra eum in hujusmodi nequitia persistentem, suorum peccatorum veniam concedendo que transeuntibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio est concessa.

Datum Lugduni, VIII idus februarii, anno VI°.

In castris apud Ingelheim, 19 februarii.

Willelmus, Romanorum rex, Innocentio papae juramentum praestat quod omnes possessiones et jura Romanae Ecclesiae pro posse manutenebit eique erit adjutor ad regnum Siciliae retinendum et defendendum.

(Edit. ap. Pertz, *Monum. Germ. histor.*, t. IV, p. 365.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Willelmus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, tibi domino meo sanctissimo et patri carissimo Innocentio pape IV tuisque successoribus et Ecclesie Romane, presentibus subscriptis principibus imperii et nobilibus, spondeo, polliceor, promitto et juro quod omnes possessiones, honores et jura Romane Ecclesie pro posse meo bona fide protegam et servabo. Possessiones autem quas Ecclesia Romana recuperavit liberas et quietas sibi dimittam et ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo; quas autem nondum recuperavit, adjutor ero ad recuperandum, et recuperatarum secundum posse

meum ero sine fraude defensor, et quecumque ad manus meas devenient sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra que est a Radicofano usque Ceperanum, exarchatus Ravenne, Pentapolis, Marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitisse Mathildis, comitatus Bretenorii, cum adjacentibus terris expressis in multis privilegiis imperatorum a tempore Ludovici. Has omnes pro posse meo restituam et quiete dimittam cum omni jurisdictione, districtu et honore. Verumtamen cum ad recipiendam coronam imperii vel pro necessitatibus Ecclesie ab Apostolica Sede vocatus accessero, de mandato summi pontificis accipiam procurationem ab eis. Adjutor etiam ero ad rètinendum et defendendum Ecclesie Romane regnum Sicilie. Tibi etiam domino meo Innocentio pape et successoribus tuis omnem obedientiam et honorificentiam exhibebo, quam devoti et catholici imperatores et reges consueverunt Sedi Apostolice exhibere. Et si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei sicut necessitas postulaverit in expensis. Omnia vero predicta tam sacramento quam scripto firmabo, cum imperii fuero coronam adeptus.

Principes autem imperii et nobiles quibus presentibus juravi, sunt hi : Sigefridus archiepiscopus Moguntinus Germanie archicancellarius; Henricus electus Spirensis, regalis aule cancellarius; Albertus comes de Dillingen; Ulricus comes de Wirtemberg; Conradus comes Sylvester; Gerardus comes de Dietz; Emicho comes de Liningen; Anselmus mareschalcus de Justingen; Wernerus de Bolandia dapifer et Wernerus filius ejus pincerna; Ulricus de Minzenberg camerarius; Conradus de Smidevelt; Fridericus de Randenberg; Godefridus de Bingen; Sigefridus de Rumkel; Crafto de Bochberg; Willelmus advocatus Aquensis; Wiricus de Duna, et alii plures.

Datum in castris apud Engelheim, anno Domini 1247 (*sic*), XI kalendas martii, indictione VII, regni nostri anno I.

Imperator, dimissa civitate Vercellarum in custodia Petri Becherii et Jacobi de Carreto atque marchionis Lanciae, equitavit Cre- [Februario.]

monam, ubi capi fecit Petrum de Vinea ejus proditorem. Quod quidem cum intellexissent populares Cremonae, voluerunt Petrum per vim destruere; tamen nocte silenti imperator cum militum cohorte misit ipsum apud Burgum Sancti Domnini in vinculis. *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 218.

Cremonae, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, pactum confirmat quo homines de Casali Sancti Evasii et homines de Paciliano in unam universitatem et in unum domicilium rediguntur, jubetque ne capitanei sui qui apud Casale pro tempore fuerint ullam inter cives utriusque communis distinctionem adhibeant.

(Edid. Benven. de S. Georgio, ap. Murator., *Scriptor. rer. Ital.*, t. XXIII, p. 386.)

Federicus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum nostrum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod commune et homines de Casali Sancti Evasii fideles nostri majestati nostre humiliter supplicaruut ut cum homines de Paciliano juxta pacta et conventiones habita inter eos, translatis domiciliis ipsorum in Casale, ipsos in municipes et cohabitatores receperint, pacta et conventiones predicta rata habere et homines dicti loci in unam universitatem et corpus unum redigere de nostra gratia dignaremur. Nos vero supplicationes eorum in hac parte benignius admittentes, pacta et conventiones inter eos habita ut est dictum rata habemus, et presentium auctoritate statuimus ut amodo in antea homines dicti castri de Paciliano habitatores sint Casalis predicti et in hominibus unum hinc inde corpus et eadem universitas censeatur, ita videlicet quod capitanei quos per tempora per curiam nostram creari contigerit in Casale prefecturi, tam homines Casalis quam homines Paciliani

ad subeunda publica munera pro nostris servitiis et communis ipsius simul et sine aliqua distinctione compellant, nullaque inter eos conditionis sectio vel diversitas habeatur. Statuimus igitur et imperiali sancimus edicto quatenus nullus dux, nullus marchio, comes vel vicecomes, nullus legatus, vicarius seu capitaneus, potestas, consul vel commune, nulla denique persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra presentis scripti nostri tenorem ausu temerario venire presumat; quod qui presumpserit preter indignationem nostram quam se noverit incursurum, centum marcas argenti pro pena se compositurum agnoscat, medietatem quarum camere nostre et reliquam medietatem passis injuriam applicandam. Ad hujus autem concessionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum per Jacobum de Podiobonicii notarium et fidelem nostrum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Cremone, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense februarii, septime indictionis, imperante domino nostro Federico invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno vigesimo nono, regni Hierusalem vigesimo quarto, regni vero Sicilie quinquagesimo primo, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, postquam ad suum dominium terram Corilionis quam Oddoni de Camerana quondam concesserat, revocaverit, Bonifacio de Camerana filio ejusdem Oddonis in recompensationem confert casale et castrum Militelli in valle Neti cum districtu ejus, sub conditione servitii militaris juribusque regalibus sibi reservatis. Cremonae, 30 februarii.

(Inedit. ex codice Biblioth. Panormit., signato H, n° 4 Q, cui titulus : *Raccolta di vari dipl. apparten. alla Sicilia.* — Cujus copiam nobiscum liberaliter communicavit cl. vir Mich. Amari.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hyeru-

salem et Sicilie rex. Etsi cunctorum fidelium nostrorum tenemur servitia compensare et donata attendere, multo fortius angimur illis nostram munificentiam ostendere quo illibata fides parentum fideliter in eis elucescit. Hinc est quod cum nos ob grata servitia opportune ab egregio milite Oddone de Camerana accepta, qui pro nobis serviendo patrium solum dereliquit et insimul cum non paucis hominibus de Lombardia ad nostrum Sicilie regnum transfretaverunt (*sic*), locum qui dicitur de Scupello in dicto regno et valle Mazarie situm cum toto ejus territorio, ut homines ipsi de Lombardia venientes et successores eorum illuc habitarent juxta distributionem per eumdem Oddonem faciendam, concesseramus; inde vero quia locus ille non erat sufficiens neque aptus dictis hominibus ad habitandum, ad iteratam supplicationem ejusdem Oddonis in escambium dicti loci Scupelli eidem Oddoni et hominibus predictis terram Corilioni in eadem valle sitam et positam cum toto territorio, situ et districtu suo, cum nemoribus, pascuis, aquis, terris sub aquis et sine aquis, terris aratoriis, casalinis, prediis urbanis et rusticis, ecclesia sive capella et aliis quibuscumque juribus, rationibus, justiciis, et pertinentiis suis concessimus, prout in privilegio ejus concessionis diffusius continetur(1). Cumque terra ipsa Corilioni supra modum [sit] dives, populata et munita ac apta hostilibus insultibus ad resistendum opportune, decrevimus ad nostrum regium demanium revocandam, prout effectualiter revocavimus. Qua de re nobilis miles Bonifacius de Camerana filius dicti nobilis Oddonis humiliter celsitudini nostre supplicare fecit ut sibi de alio consimili loco de innata nobis clementia providere dignaremur. Nos vero serio considerantes grata et accepta servitia ac illibatam fidem per dictum nobilem Oddonem prestita ac intolerabiles labores et damna per eumdem nobilem Bonifacium nobis in serviendo passa, queque ilariter et fideliter ad presens confert et in antea dante Domino prestare speramus gratiora (*a*), eidem nobili militi Bonifacio de Camerana suisque successoribus de suo corpore

(*a*) In codice *graviora*, male.

(1) Cf. supra, t. V, p. 128 et seqq., privilegium datum mense novembri 1237.

legitime descendentibus in perpetuum casale et castrum Militelli in eodem nostro regno Sicilie positum et in valle Neti, que ob decessum illorum de Leontino absque liberis ad manus nostre curie legitime devenerunt, cum omnibus juribus et pertinentiis suis universis, cum toto territorio et districtu, arboribus sylvestribus et domesticis, sylvis, pratis, nemoribus, aquis, aquarum saltibus, hominibus, vassallis, habitatoribus, edificiis, capella sive ecclesia, honoribus et dignitatibus quibuscumque, que videlicet de demanio nostro in demanium et que de servitio in servitium, de liberalitate mera et gratia speciali in excambium dicte terre Corilioni gratiose duximus concedenda, prout vigore presentis concedimus et donamus; ita tamen quod dictus nobilis et heredes sui pro casali et castro predictis nobis et successoribus nostris in dicto regno in capite militari servitio servire teneantur, ana (*a*) videlicet unciarum viginti pro quolibet equo armato, juxta usum et consuetudinem dicti nostri regni, quodque sint incole ejusdem nostri regni et vivant jure Francorum, videlicet quod major natu minoribus fratribus et consororibus suis et masculus feminis preferatur; retentis tamen et expresse reservatis eidem curie nostre que a presente donatione et concessione omnino excludimus, juribus lignaminum necnon mineriis, salinis, solatiis, forestis et defensis antiquis, tanquam ad regiam dignitatem pertinentibus, que nostre curie reservamus. Animalia insuper et equitature aratiarum, marescallarum et massariarum nostrarum libere sumere valeant pascua in tenimentis et pertinentiis casalis et castri predictorum. Ad hujus autem nostre concessionis et donationis testimonium et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri fecimus nostroque sigillo roborari.

Datum Cremone, XX° mensis februarii, VII indictionis, anno M. CC. XXX[X]VIII, imperii nostri anno XXX°, regni Hyerusalem XXIII, Sicilie vero LXIX (*b*).

(*a*) In codice *una*.

(*b*) Isti numeri ita corrigendi sunt : *imperii nostri anno XXVIII, regni Hierusalem XXIII, Sicilie vero L.*

. . . . februario.

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomasio de Sabaudia et haeredibus ejus legitimis utriusque sexus confert in feudum castrum Montuxolum, sub conditione homagii Romanorum imperatori faciendi.

(Memorat. ap. Wurstemberger, *Peter der zw. Graf von Savoyen*, t. IV, *Urkunden*, p. 119, ex diplom. Imper. in archivo Taurin., fasc. I, n° 21.)

Datum. . . . . ., anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, mense februario, septime indictionis, etc.

[Cremonae, februario.]

Fridericus, Romanorum imperator, mandat Aretinis fidelibus suis ut parent se armis et equis, cum expeditis jam negociis Lombardiae, intendat ire in Tusciam ad extremam confusionem suorum rebellium.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. LXXXII, coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Ut vestre devotionis integritas, quam nostre prosperitatis avidam fore confidimus, firmam de felicis adventus nostri vicinitate fiduciam et plenam de nostrorum grata dispositione processuum causam jucunditatis assumat, ad noticiam vestram presentium tenore perducimus, quod negociis superiorum partium Lombardie, in quibus nos hactenus necessaria et utilis causa detinuit, salubriter ordinatis ad votum, jam Cremonam advenimus, ubi jam Ezelinum de Romano dilectum fidelem nostrum, cum nepte sua Heinrico regi Sardinie, dilecto filio nostro, matrimoniali commercio copulanda, necnon ambasiatores civitatum a Papia inferius, quos

celeriter ad nostram presentiam venire mandavimus, pro regionis hujusmodi negociis disponendis utiliter, de die in diem continue expectantes, ad partes Thuscie, continuatis dietis, constanter intendimus dirigere gressus nostros. Volentes igitur ut status ipsarum partium, quas, velut charum et nobile membrum imperii, quadam affectione precipua serenitas nostra videre desiderat, in felici adventu nostro, quem vobis in proximo pollicemur, tam viriliter quam provide reformetur, ut incauta nostrorum corda rebellium, de quibus finalis et desiderata victoria nostre potentie gladio reservatur, sicut in absentia nostra gloriati sunt hactenus, sic ex vicinitate nostre potentie terreantur : fidelitatem vestram, quam semper invenimus ad beneplacita nostra paratam, hortamur attentius et mandamus quatenus ad requisitionem Friderici de Antiochia, sacri imperii in Thuscia vicarii generalis, dilecti filii nostri, sic in equorum et armorum apparatu continuo persistatis, ut in adventu nostro, civitatis vestre subsidio magnifice nostris viribus aggregato, ad confusionem nostrorum rebellium intendere valeatis.

Fridericus, Romanorum imperator, mandat secretius comiti Casertano genero suo ut de turbationibus Siciliae fideliter inquirat, sibi rescripturus post inquisitionem quam aequo animo fieri jubet; et detractionibus curialium contra ipsum fidem non adhibens, injungit ut in fratres Praedicatores et Minores sibi contrarios etiam per igneum supplicium saeviat. [Martio.]

(Edider. Martene et Durand, *Ampliss. coll.*, t. II, col. 1191-1192, n° LXXVII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455, pars I.)

Fredericus, etc., comiti Casertano, etc. Constanter hactenus tenuit nostra credulitas ut officiales nostri quos ad exequenda (a) nostra consilia loco-

(a) In impresso *exercenda*.

rum diversitas expetebat (a), ex area regni nostri cautela pervigili scandala legerent, excuterent paleas, et zizania que Romanus pontifex in instanti nostri (b) profectus emulus et hostis inseruit (1), funditus extirparent; sed quia neglectus eorum infidus, nobis frequenter absentibus, spinas et tribulos quodammodo germinavit, eam amodo haberi diligentiam volumus in nostris beneplacitis et cautelam, per quam cultores desides et spernentes depereant et vitulamina spuria que plantarium nostrum inutiliter occupant, falce sevioris judicii precidantur. Specialiter autem donec oportuna nostri presentia se regno nostro retribuat, ut judicemus in justitia pauperes et pro mansuetis nostris fidelibus cervicosos quoslibet arguamus, Siciliam crebris adversionibus claudicantem quamque sicut comperimus undequaque influunt et inficiunt factiones, sic, nostram precurrente sollicitudine faciem, atterere pro facinoris qualitate disponimus ut non cogamur iterum nostri serenitatem otii nebulis procellosi turbinis commovere. Prius itaque tua sagacitas indagine tacita perscrutetur qui sint ipsi vel fuerint, cujus potentie sive fame aut[oritate] venerint singuli, singulorumque eorum adinventiones et studia que nos tangunt (c) procures reducere mox in actis, non ex unius assertione labii, sed multorum, illorum duntaxat confinium quos fides amplificat et provectio similis adornat, precavens in futurum ne ex alicujus odii corruptela nobis importes quicquid fictitium, ne quod absit, lilium vertamus in lolium et meritum in tormentum. Meminisse siquidem diebus hiis poteris per alia documenta prave suggestionis et scandali multiformis, Petri (2) videlicet, Symonis (3)

(a) In codice *expectabat.*

(b) In codice *indistanter anni hujus,* minus recte.

(c) In codice *verum.*

(1) Ad epistolam Innocentii quarti, sive potius constitutionem, datam 8 decembris 1248, qua regni Siciliae administrationem omnino subverterat (Vid. supra p. 676 et seqq.), se referre videtur imperator, eidemque per crudelissima edicta quasi respondet.

(2) Quis iste fuerit non bene liquet, nisi forsitan alludatur ad Petrum de Capoccio cardinalem, de quo infra.

(3) Hic agi arbitramur de fratre Simone de Montesarculo a papa in regnum immisso, cujus sub anno 1248 Salimbene mentionem his verbis inseruit : « Papa Innocentius misit fratrem Simonem de Montesarculo ordinis fratrum Praedicatorum in Apuliam ut regnum Apuliae et

et alterius proditoris qui ut haberet loculos vel impleret, equitatis virgam vertebat in colubrum, ut ad illud imperium impelleret assueta delusione periculum, quo simul cum militia Pharaonis Ægyptiorum more curruum abiremus equoris in profundum. Quapropter fidelitati tue modis omnibus inhibemus ut mandati hujus non fias in populo publicus delator, sed ad quoscumque imperia nostra direxeris, expeditis gressibus et affectibus prosequaris. Neque enim de te lesa conscientia credere possumus ut quem in sanguinem nostrum admisimus, in regno nostro per eum scandalum subeamus, cum plures de curialibus aliud de te sentire suadeant, qui velata facie nec nostri nec tui commoda queritant, sed ruinam. Minores preterea fratres et Predicatores regni Sicilie, quorum aliqui contra nos serpunt verbis et actibus more cancri, seu quoslibet alios sub religionis velamine lucis angelos mentientes, si a capitulorum forma quam tibi dirigimus interclusam aliquo modo compereris detorsisse, non sicut hactenus repellere debeas vel includas, sed more binarum vulpium annexarum submissis torturis igneis, in bona sequacium puniri facias, absque vite remedio in personis.

Fridericus, Romanorum imperator, mandat capitaneo regni Siciliae ut procedat contra religiosos portantes litteras papales in regnum per incendii poenam, fidelesque suos qui eosdem non expectato judicio occiderent impunes esse jubet. [Martio.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. I, cap. XIX; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455.)

Pungitive nos tangit interius res nova quam scribimus, dum inquietare

Siciliae eriperet de dominio Frederici quondam imperatoris depositi. Multos adtraxit ad partem Ecclesiae. Tandem imperator fecit eum capi et decem octo martyria intulit sibi, qui omnia sustinuit patienter, nec aliud potuerunt carnifices extorquere ab eo nisi laudem divinam. Multa miracula fecit Deus per eum. »

nos ibi conatur adversarii nostri rigor, ubi quietis et pacis solatia studiosius procuramus. Nuper enim ad audientiam nostram non sine cordis perturbatione pervenit, quod iste Romane Sedis antistes, cui non satis est in Italie partibus impetiisse nos hacteuus nisi in regni nostri pomerio, in quo velut in oculorum nostrorum pupilla pertingimur, spinas interserat, et nostrorum corda fidelium, que fidelitas nativa consolidat, a nostra devotione subvertat, nuper in regnum per fratres Predicatores et Minores ac religiosos alios literas suas improvide dirigit, et occultas occasiones innectit quibus excommunicationis et interdicti sententiam, quam injuste dudum contra nostram excellentiam fulminavit, a fidelibus nostris regnicolis, quos velut in petrea devotione firmatos, verbis hujusmodi frivolis leviter flecti posse non credimus, faciat observari: excommunicationi nihilominus et interdicto subjiciens quicunque more solito nobis reverenter obediunt et nostris jussionibus obsequuntur (*a*). Quanquam igitur super his non videamus expediens scripta nostra dirigere, seu nostrorum fidelium animos excitare, quia tamen de regni nostri statu pacifico inter ceteras considerationes nostras precipue nos cura perangit, velut qui in ejus quiete quiescimus et in ipsius, quod absit, intemperie turbaremur, voluntatem nostram, quam de hujusmodi temeritatis ultione concepimus, tenore presentium denotamus : videlicet quod personas quaslibet, que literas presentare cuilibet vel ab aliquo recipere presentatas, aut hujusmodi forte parere mandatis seu qualitercunque favere presumerent, ut pœna docente percipiant quantum eorum excessus nostra majestas abhorreat, cujuscunque fuerint conditionis, etatis aut sexus, incendii volumus passione mulctari. Ad horum etiam insolentias subtilius inquirendas, adjicimus ut quicunque de fidelibus nostris regnicolis, devotionis integritate clarentes, publicos predictorum excessuum patratores in ipso crimine flagranti reperient, et ardens fidei sue fervor tantam moram minime patiatur quod ad regionum justitiarios valeant habere recursum, ipsos impunes esse volumus si de transgressoribus ipsis sumpserint ultionem, ac ob sue fidei meritum faciem nostre serenitatis hilarem et a nobis retribu-

(*a*) In codice *obsecundant*.

tionis condigne merita prestolentur. Fidelitati tue igitur districte precipimus quatenus prescriptam beneplaciti nostri formam per jurisdictionem tuam prudenter et sollicite publices, et exequaris efficaciter publicatam.

Fridericus, Romanorum imperator, quibusdam fidelibus suis (verisimiliter de Alemannia) nuntiat se negotiis Lombardiae feliciter dispositis, partes Tusciae providisse repetendas, abinde ad Teutoniae partes gressus suos directurus. [Martio ineunte.]

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindeb. *Philologus* dicto, n° 305, fol. 126 verso, cujus textum crassioribus mendis expurgavimus.)

Fredericus, etc. Ut vestre devotionis auditum, [sicut] fore confidimus, plana de processuum nostrorum eventibus certitudo gratificet et de proximo potentie nostre suffragio firmam vobis fiduciam representet, ad notitiam vestram (a) veridico stilo perducimus quod in Ligurie partibus, in quibus velut in rerum pelago navigando feliciter moram nobis mixta necessitati commoditas persuasit, negotiis nostris ad placitum salubriter ordinatis, tum per affinitatum vincula jam contracta cum comite Sabaudie de filia sua Menfredo (1) et cum Ezelino de Romano de nepte sua H. regi Sardinie (2) dilectis filiis nostris matrimoniali federe copulatis, tum etiam per multorum provisiones et sacramenta nobilium ac civitatum regionis ejusdem quamplurium, ita quod partium ipsarum negotia presentiam nostram ulterius non requirunt, [dum a] prefato filio nostro H. ac aliis

(a) In cod. *et justitiam nostram*, male.

---

(1) Vid. supra, p. 664, not. 1.

(2) Res usque nunc historiae scriptoribus, et ipsi etiam Vercio incognita. Adelasiam autem quam anno 1238 desponsaverat Entius ab eo repudiatam fuisse arbitramur, non vero vita functam, quum in epistola Alexandri IV, dat. 2 id. augusti anno 1255, adhuc vocetur Turrium et Galluri regina. *Regest.* ann. I, epist. 585 et 586.

officialibus nostris fieri debeat viva guerra generaliter etiam et privatim (a) contra eos qui nimie famis instantia, nimiis angustiis coartati, et ex quibus usque ad CLXX de melioribus in castro Airole (1) quod Sardinie rex viriliter expugnavit, carcer noster includit, evadere non poterunt quin inviti vel voluntarii ad nostra beneplacita reducantur; partes Thuscie que potentie nostre presentiam viriliter expetunt, consulte providimus repetendas; ut inde nostrarum robore virium de militibus Italie celitus renovato ad defensionem regionum ipsarum et de nostrorum detrimento rebellium nostris exercitibus ibidem victoriose collectis, et Frederico filio nostro in Thuscie et H. prefato rege Sardinie in Lombardie partibus ad nostra dirigenda negotia deputatis, nostris erariis etiam que labores et sumptus Ligures hactenus et viarum discrimina refici non sinebant, per habilem succursum pecunie de regni nostri pinguedine celeriter transmittendum, prout negotiorum nostrorum qualitas exiget, restauratis, ad partes Theutonie quibus jam diutius presentiam nostram promisimus gressus nostros feliciter dirigamus. Vos igitur sic circa nostra servitia studiosi vigilare (b) curetis ut in adventu nostro felici presentes de vestra industria videamus ad oculum quod absentes de vobis firmiter opinamur ad mentem.

[Apud Pontem Tremulum, martio.]

Fridericus, Romanorum imperator, significat cuidam nobili prosperum adventum suum ad partes Pontremuli, abinde in regnum processurus.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. V, cap. CIII.

(a) In codice *qualiter etiam et quantum*; ad sensum intelligibilem locum reducimus.
(b) In codice *violare*, male.

---

(1) In codice legitur *Areb* cum abreviationis signo. Evidenter tamen legendum *Ayrolo*, de quo *Chronic. de rebus in Ital. gest.*, p. 218, sub his verbis : « Interea rex Encius cepit castrum Airole in quo aliqui ex bannitis Regii intraverant, et ex hominibus captis in dicto castro CXII suspendere fecit. »

Ad exhilarationem animorum tui et aliorum nostrorum fidelium, quibus hactenus absentia nostra sollicitudinis materiam suggerebat, presentes felicis nostri reditus nuncios ad te duximus dirigendos; fidelitatem tuam scire et gaudere volentes quod negociis Italicis salubriter pro voto dispositis, die XI° presentis mensis martii apud Pontem Tremulum cum victorioso exercitu nostro feliciter venimus, abinde in regnum duce Domino felicibus auspiciis processuri.

In proximo mense martii imperator dimisso rege Encio in Lombardia, cum sua militia ad partes Pontremuli ad civitatem Pisis (*sic*) accessit, duxitque secum Petrum de Vinea cui oculos de capite erui fecit in Sancto Miniato ubi suam vitam finivit; quod castrum tunc [imperator] habuit. *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 218, 219. [Martio.]

Fridericus, Romanorum imperator, universis principibus scribit quomodo papa sibi vitam auferre molitus fuerit potione venenata per medicum porrecta, eosque hortatur ut sacerdotibus temere sibi dominium spirituale et seculare vendicantibus firmiter resistant, quum ipse velit sacrosanctam Ecclesiam per digniores rectores in melius reformare. [Martio.]

(Edid. Höfler, *Kaiser Friedr. II*, document., p. 421, n° 57, ex cod. Bibl. Cesar. Vindob. *Philol.*, 305, fol. 154; coll. cum cod. Bibl. Leipsic., n° 1268, fol. 59.)

Audite gentes degentes per secula ingentem nequiciam a seculis inauditam. Aperite oculos et videte qualiter hiis diebus novissimis quibus mundum ex hiis que accidunt fore non ambigimus in extremis, rerum

ordo vertitur, vulgaris opinio fallitur et pastorum officium prophanatur vel execratur (*sic*), dum inde procedit fraus et nephas, inde iniquitas detestanda, inde perniciosum exemplum unde salus omnium animarum et corporum sperabatur. Libentius utique (scit Deus) que nostra serenitas loqnitur tacuissemus, nisi quod tam atrox hujus sermonis materia que nequivit non esse notoria, si profundo nostro in pectore meditamur, sub sigillo silentii non debuit contineri. Nuper enim, quod in turbacione asserimus et in assertione turbamur, iste sacerdos scilicet magnus presul, pacificus fidei nostre rector, non contentus molimentis innumeris et seditionibus inhonestis quibus, ut mundus agnoscit, preter ordinis sui regulam, ymo etiam contra Deum in diversis partibus verbis et opere publice nos infestat, temptavit (proh pudor) occultis insidiis perdere vitam nostram et eum. . . . . medico nostro qui Parme pridem in carcere tenebatur per legatum suum qui ad tractatum hujusmodi medius intervenit, fuit inhumaniter et nepharie machinatus quod post ejus ad nos regressum nostro venenum haustui propinaret sub specie potionis. Cumque postmodum idem medicus pro quodam nobili cive Parme quem in redemptione ipsius de carcere nostro laxavimus, solutus vinculis ad nostram presentiam rediisset, ac multis armatus suggestionibus et pollutus pollicitis vellet efficere quod spoponderat et jurarat, parans nobis letiferam non letificam medicinam, dextera Domini fecit virtutem, et fieri potuit quod a nobis transiit calix ille quin ejus amaritudinem biberemus (1). Hec profecto singula tam per eum qui patenter in facinore deprehensus ea non potuit diffiteri, quam etiam per litteras interceptas continentes expressam hujus commercii mentionem nobis, et multis magnatibus in curia nostra presentibus liquide constiterunt. Ecce quomodo nos amabat iste karissimus pater noster, ecce zelus laudabilis et diligentia pastoralis! Ecce honesta opera principis sacerdotum! O quantus exhuberat iu nostris vis-

(1) Quasi participem hujus sceleris Petrum de Vinea tunc captum et mox ultimo supplicio damnatum fuisse eo libentius crediderim, quod rem ita narret Matthaeus Parisiensis, coaetaneus scriptor. Cf. *Hist. maj. Anglor.*, p. 511, et sententiam in eumdem Petrum prolatam, quae infra.

ceribus ex hujusmodi dolo dolor! O quanta turbatio, dum veneficium ab illis astruitur a quibus beneficium deberetur! Ex hiis quidem miramur non modicum nec immerito noster animus ducitur in stuporem, cum juxta conscientiam nostram nunquam tantum demeruerimus apud eum quod in tam turpi nece nostra consentire debuerit, nedum abjecto religionis pudore in eam taliter conspirare. Ha Deus! quomodo ascendere potuit in cor ejus cogitatio tam nephanda? Ha Deus! quam eidem injuriam fecimus ut ad tantam crudelitatem suum animum inclinaret? Nulla verumtamen eum ad illud causa facilius potuit commovere quam turpis amor et intemperans ambitio dominii singularis, et quia parem ferre non potest et impatiens est consortis. Quid postea? Quod tanto fervore desiderat, necesse est ut quoquo crimine possit querat; ad quod cum nobis viventibus pervenire sine obstaculo non confidat, ideo mortuos nos diligeret plus quam vivos. Merito propterea vos requirimus et ceteros orthodoxos ut tam grande scelus ad vestrum animum revocetis, attendentes excessum et superbiam prelatorum qui ditione spiritualium non contenti, per fas et nephas sibi secularium querunt dominium vendicare ac principes alios quam pusillos cum majoribus exheredare temere moliuntur. Quod manifeste potest noticia comprehendi, dum ille omnium mortalium homo (nam quo ipsum digno suis nomine meritis poterimus appellare), qui fore deberet ceteris virtutum speculum et exemplar, obmissis de quibus ad presens non agitur, dispensat illicite super illicitis contra legem, multipharie multisque modis depeculatur ecclesias et populum christianum distrahit et destruit que sunt Domino consecrata, subtrahendo decimas et personas a servitio Jhesu Christi, [et] deludit subsidium Terre Sancte dum in nostram convertit hec omnia lesionem, ut videtis ad oculum, animam suam ponens quod de libro vite nos deleat et ipse liberius dominetur. Resistite igitur eorum cupiditatibus effrenatis, resistite ne in sua malitia glorientur; assistite nobis in forti brachio et forti animo contra eos, ut ipsorum omnino supercilium deprimentes sacrosanctam Ecclesiam matrem nostram dignioribus fulciendo rectoribus, prout ad nostrum spectat officium et affectibus sinceris intendimus, ad honorem divinum in melius reformemus.

[Martio.] Fridericus, Romanorum imperator, mandat capitaneo regni quod procedat ad vindictam Petri de Vinea proditoris, qui mortis haustum sibi studuit propinare et in regnum mittitur ultimum supplicium subiturus.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. V, cap. II; coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455, et *fonds Notre-Dame*, n° 202, praecipuevero cum cod. 8630, fol. 12 verso, *anc. fonds latin*, ubi rubrica ita exaratur : *Ut procedatur ad vindictam Petri de Vineis*.)

Ne divino instinctu precognita ars ausu precipiti furiosa de suo irrationabiliter facinoroso triumphet autore, Petrum (*a*) lese majestatis nostre in crimine deprehensum, post multa variaque tormenta, ut unius pœna sit timoris incussio plurimorum, pœnam subire decrevimus capitalem. Sane quod nostri regnicole, precognitis undique stipendiis meritorum, majoritatem persone in meditationis trutina cum criminis enormitate suspendant, magnifica beneficia sibi a nostra majestate collata necnon ipsius enormitatis excessus ad noticiam perferri volumus singulorum. Porro hic est qui de terra fertilitatis (*b*) eductus, caducarum rerum opulentia ad votum et ultra extitit fecundatus. Quare immoderate lasciviens animo, qui plerumque consuevit rebus luxuriare secundis, ministerii occasione latentis sedulus, de preconcepto transgressionis fomite, mortis haustum ei studuit propinare, a quo multorum salus et incolumitas procuratur, volens cum homicidio, immo potius cum homicidiis omnium illorum quorum vita dependet a nostra, lese crimen majestatis committere. Unde salubris provisionis consilio, nequitie passus metiendo cum passibus pietatis, quod proditorum deleret genimina et factionum fluvium desiccaret, edixit cum consilio procerum divino programmate imperialis excellentie

(*a*) In Impresso *C. reum*.

(*b*) Scilicet de Capua in Campania felice. In cod. vero 202 legitur *sterilitatis*.

magnitudo ut idem. . . . . terras singulas regni nostri cum improperiis peragat et tormentis, ultimum postremo supplicium subiturus. Instar enim pietatis est in hujusmodi sceleris correctione fuisse crudelem. Quare nec diei Dei reverentia retardet crudelitatis, quin imo pietatis officium, nec festis diebus reus lese crimine majestatis a principe adversus quem talia molitus est, veniam digne poterit expectare. Nam si festa dies non cessat perdere furem, quanto minus desistet pœnam infligere hujusmodi proditori? Exequaris igitur tanquam nostri judex propositi [sententiam], ut effectu operis clareat quantum habes odii adversus tam immensi sceleris patratorem. Nec te moveat quod ad effectum non duxerit quod intendit, quoniam non debet vindictam effugere, quem tam diri conscia facti mens habet attonitum et surdo verbere cedit : has enim pœnas patitur peccandi sola voluntas, nam facti crimen habet in se scelus qui cogitat illud (a), etiamsi cursum facinus non attigerit peroptatum.

Innocentius papa episcopo Tusculano Apostolicae Sedis legato mandat quod, cum Melisendis nata Amalrici regis et Yolandae quondam reginae Jerusalem, tanquam proximiori consanguinitatis linea Conrado regni Jerosolymitani haeredi conjuncta, dominium et bajulatum ipsius regni requirat, inquisita veritate et si absque scandalo fieri possit, id exequi non omittat. Lugduni, 24 martii.

(Edit. ap. HÖFLER, *Biblioth. des liter. Vereins in Stuttgart*, t. XVI, p. 185, ex registro epist. Innoc. IV, anno VI, coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., n° 4039.)

Innocentius, etc., episcopo Tusculano Apostolice Sedis legato, etc. Ex parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Melisent relicte quondam B. principis Antiochiensis, nate clare memorie A. regis et Y. regine Jeroso-

(a) Sub hoc loco et quasi ad litteram expressos tam bene notos Juvenalis versus quisquis animadverterit. Cf. *Satir.* XIII, vers. 193, 194, 208, 209.

limitanorum, fuit nobis humiliter supplicatum ut cum ipsa C. nato Frederici quondam imperatoris, regni Jerosolimitani heredi, inter ceteros ejus consanguineos quos in partibus illis habet, proximiori consanguinitatis linea sicut asserit sit conjuncta, et tam de jure quam de antiqua consuetudine regni ejusdem is qui proximior est heredi, eo absente, dominium et bajulatum ipsius regni debeat obtinere, induci eam per te in possessionem dictorum dominii et bajulatus inductamque defendi, amoto quolibet detentore illicito, faceremus; mandamus quatenus inquisita super hoc et cognita diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, id si de plano et absque scandalo fieri possit, auctoritate nostra sicut justum fuerit, exequi non omittas, etc.

[Datum Lugduni], IX kalendas aprilis, anno VI.

[Martio vel aprili.] Fridericus, Romanorum imperator, regi Franciae conqueritur de processu papae et de fratribus Praedicatoribus et Minoribus contra se in regno agentibus, simulque denuntiat, uberiore tempore succedente, illi se victualia in partibus transmarinis missurum.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. I, cap. XVIII, coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455.)

Satis nos pungit interius res nova quam scribimus, immo nostra medullitus interiora perturbat, dum ibi noviter inquietamur amarius ubi quietis dulcedinem studiosius procuramus; inde crudeliter cedimur et impetimur impudenter, unde pacis deberet hodie prodire charitativa religio, et beatitudinis zelus a fidei nostre cultoribus expectari. Iste siquidem summus pontifex, pastor Ecclesie, qui quantum nos dudum gravibus injuriis provocarit, affectionis vestre notitiam scire confidimus, nec mundus ignorat, sagittas acutas emittit de pharetra, dum satis sibi fore non estimans in Italie partibus continuis jaculis impetisse nos hactenus, nisi nunc in pecu-

liaris nostri regni pomerio, quod materna nobis decrevit hereditas, spinas interserat et nostrorum corda fidelium, que fidelitas nativa consolidat, a nostra devotione subvertat, pro Lombardorum negocio cujus occasione pacis tractatui semper impedimenta paraverat, et in quo toties voluntatem ejus invenimus duriorem, quoties voluntatis ad pacem signa monstravimus promptiora(1). Nuper autem in regnum ipsum per fratres predicatores et minores, quos ad honorem divini nominis benigno semper favore proteximus, quos semper curavimus ampliare, quorum etiam insolentias hactenus, licet inviti tulerimus, tamen aliquando sub patientie velo studuimns preterire, literas improvide dirigit et occultas suggestiones innectit : quibus excommunicationis et interdicti sententias, contra nos dudum improvide fulminatas, a fidelibus nostris regnicolis sub interminatione divini judicii faciat observari. Aliud etiam quod reputamus amarius, sue mentis amaritudinem contra nos protervius eructuat, dum translato quasi vivifice crucis mysterio de partibus transmarinis in regnnm, tanquam iterum in Apnlia crucifixus sit Christus, fideles christicolas de quorum festino subsidio, si Christi fidem evangelizaret in terris, nt credimus, Terre sancte necessitati debuerat providisse, nunc parentes armat in filios, et ad regni christianissimi spolia crucesignat. Sed hec profecto que diximus, non magis ex odio quo nos specialiter et injuste persequitur quam ex innato, si dici liceat, sibi livore nequitie processisse pensamus, ut qui dilectionis pure constantiam, qua vos affectuose amplectimnr, directe non poterat spiritu detractionis impetere, calumniosus saltem inficeret per obliquum. Dum enim, ante cœptum vestre peregrinationis aggressum, pro desperato quodammodo pacis negocio, quod vos tunc temporis resumere delectabat, ad requisitionem vestram, solennes ad vos excellentie nostre legatos apud Lngdunnm nostra serenitas destinasset, quanquam nos forsitan preteritorum experimento perterriti, de pacis dubitare negocio cogeremur; idem sanctissimus pater noster conceptum noluit vobis citra mare presentibus virus evomere, sed tempus vestre captavit absentie, ut tam inconsultus quam subitus motus ejus vobis infamie notam impingeret, et factionis hu-

(1) Cf. supra epistolam regi Angliae directam, p. 646.

jusmodi vos quasi participes denotaret, ut que vobiscum nondum celebrato colloquio tentare distulerat, post vestram cum eo collationem habitam, presumpta sic temere, non sine vestre conniventie vel consensus involucro, quod omnino non credimus, manifeste daret intelligi preformata. Ex his sane causis nos merito movemur super juribus nostris injuste sic impeti. Movemur quod nunc videmus illos in arma consurgere, qui predicare tantum debent verbum Dei. Movemur in gremio proprio nutrivisse serpentes : quos quanto familiarius hucusque tractavimus, tanto nunc hostes pestiferos gravius invenimus. Movemur profundius, et Terre Sancte necessitatibus precipue condolemus, que cum ad sui recuperationem, nobis dudum firmo proposito arma et scutum viriliter adsumentibus, et potenter Gallicarum virium recepto subsidio, universale Christianorum subsidium expectaret, papali suffragio frustrata jam remanet, et necessario vobis in partibus ultramarinis morantibus (1), a quibus modico freto distat Apulia, ipsam rerum victualium opulentiam subtrahere oportet. Cum enim anno proxime preterito, de charistia victualium regni nostri quam accidens temporale conduxerat, prout dilectionem vestram latere non credimus, vestris et vestrorum usibus amicabiliter faceremus provideri, ac essemus in antea tanto fecundius providere parati, quanto nunc ibidem tempora fecundiora succedunt, que possit aut debeat vobis in antea regni fertilitas opulentie signa successive protendere, si regnum oporteat ex patris nostri persecutione quam diximus plusquam civilia bella tractare, regalis industria videat et discutiat diligenter. Non tamen in totum propterea sic vobis credatis nostra subsidia velle subtrahere, quin vobis, in quantum negotiorum et temporum qualitas patitur, tum ex publico bono fidei christiane, quam tota mentis adfectione zelamur, tum etiam ex amicitie fœdere, quod ad nos progenitores vestros et nos vobiscum habuisse suaviter rememoramus illesum, tanquam illi quem chariorem habemus, pre aliis liberalitatis nostre suffragia promptis adfectibus offeramus. Causam itaque nostram in libra vestre considerationis appendite : et cum vestra res agatur in proximis, que fides hujusmodi danda sit

(1) Tunc enim rex Franciae in insula Cypro adhuc morabatur.

angelis, quod ex ipsorum actibus colligatur exemplum, si sub patientie pallio iidem nostre benignitatis ingrati cauda nos feriant, si religionis, quam solo figurant habitu, pudore postposito, ab ea deviantes pietate quam predicant, negociis bellicis temporaliter se immiscent? Super his honori vestro, sicut convenit, providete; attendat nihilominus vestre serenitatis affectio, si sunt hec arma pontificum, si Petri subambulus quod debet in gentibus oleum pietatis infundat, si Christi vicarius Christi vices adimpleat, dum illis dispendiis incaute se implicat, ex quibus homicidia sanguinolenta proveniunt, et animarum multiplicia detrimenta nascuntur. Nos enim qui pondus incudis hactenus patienter et devote subivimus, nolentes ulterius per patientiam nostram ledi, de cetero pati nequivimus quin causam nostram defendendo viriliter mallei consequenter officium adsumamus.

Bertholdus patriarcha Aquilegensis et Mainardus comes Goriciae in arbitros et amicabiles compositores compromittunt de omnibus damnis utrinque datis post diem treugae indictae inter eosdem patriarcham et comitem per nuntium Guecili de Prata et Ecelini de Romano. 1° aprilis.

(Edid. Chmel, *Fontes rer. Austr.*, diplomataria, pars I, p. 14, ex arch. Cesar. Vindobon.)

In nomine Domini Dei nostri Jesu Christi, anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo quadragesimo nono, indictione septima, die jovis primo aprilis, in campanea Menzani ultra aquam, presentibus domino Olrico episcopo Trigestino, domino Henrico archidiacono Paduensi, magistro Bertholdo canonico Aquilegiensi, domino Buzacavino de Padua, domino Johanne de Diana juris doctoribus, Antonio scriba domini comitis de Goricia et aliis, dominus Bertholdus Dei gratia sancte sedis Aquilegie

patriarcha pro se et suis successoribus et ecclesia Aquilegiensi ex parte una et dominus Mainardus comes Goricie pro se et suis heredibus ex altera compromiserunt in dominos Olricum de Rifenberch electum per dictum dominum comitem et Johannem de Cucania electum per dictum dominum patriarcham et dominum Ottonem Marchionem prepositum Utinensem, electum communiter per dictum dominum patriarcham et dictum dominum comitem, sicut in arbitros et arbitratores et amicabiles compositores, de omnibus dampnis datis post diem treugue indicte inter ipsum dominum patriarcham et suos ex una parte et dictum dominum comitem et suos ex altera post prelium Goricie per Juonum nuntium domini Guecili de Prata sacri imperii vicarii generalis in Marchia et a flumine Olei usque per totum episcopatum Tridentinum et domini Ecelini de Romano, et de omnibus aliis causis et questionibus habitis inter dictum dominum patriarcham et dictum dominum comitem, et specialiter, etc. [Sequitur forma compromissi quae minus rem nostram attingit.]

Ego Bonjohannes de Omnibus Sanctis de Padua domini Friderici imperatoris notarius interfui et rogatus scripsi.

Lugduni, 7 aprilis.

Innocentius papa episcopis, abbatibus omnibusque personis ecclesiasticis per Anconitanam marchiam et ducatum Spoletanum constitutis notificat se pro regno Siciliae reformando et a tyrannide Friderici liberando, officium legationis Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali commisisse cum rectoria Anconitanae marchiae et ducatus Spoletani.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 4039, Litter. curial., ann. VI, n° 27.)

Innocentius, etc., episcopis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbiteris et aliis Ecclesiarum prelatis necnon ceteris personis ecclesiasticis tam religiosis quam secularibus, exemptis et non exemptis, per Anco-

nitanam marchiam et ducatum Spoletanum constitutis, etc. Incumbente nobis multitudine negotiorum innumera profundarum nimirum cogitationum varietate distrahimur, et quo magis nos omnibus impositum nobis apostolatus officium constituit debitores, eo attentius circa emergentia undique agenda nos convenit vigilare. Unde quia nostram simul in diversis locis nequivimus presentiam exhibere, ad illa in quibus non assumus personaliter, ne in eis vigilantia nostra desit, personas idoneas pensata discrete qualitate agendorum destinamus, per eas ibidem apostolice servitutis debitum exolventes. Verum quia in negociorum executione majorum sollicitudo major exigitur, pro arduioribus cum nobis incumbunt personas eligimus potiores, aliquos ad ea gerenda de nostro latere transmittendo. Sane inter alia desiderabilia cordis nostri salubrem et prosperum regni Sicilie statum specialiter affectantes, attento animo et mente vigili affectavimus hactenus ut de multiplicis tribulationis angustiis quibus incessanter affligitur, ad optate posset prosperitatis solatia divina favente virtute reduci, et dolendam ejusdem regni ruinam una cum suis habitatoribus imperii Frederici feritate depressis sine intermissione deflentes, continue diligentie studium adhibemus, opem et operam indesinenter quas possumus impendendo ut tam miserabili casu resurgere ipsiusque incole pregravati dire onere servitutis votive libertatis solamine valeant relevari. Ut igitur fervens noster affectus circa prefati liberationem regni perduci possit feliciter ac facile ad effectum, dilectum filium nostrum Petrum Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, virum utique scientia preditum, morum honestate decorum, in consiliis circumspectum et in multis et arduis pluries jam probatum, illuc de fratrum nostrorum consilio destinamus, plene sibi legationis officio ut evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, necnon libera facultate faciendi omnia in regno ipso tam in spiritualibus quam temporalibus que honori Dei et Ecclesie ac bono statui ejusdem regni viderit expedire, concessis. Ceterum quoniam ad festinam et utilem expeditionem negotii ejusdem regni suffragium militie ac aliorum fidelium marchie Anconitane et ducatus Spoletani est quamplurimum oportunum, sibi ejusdem marchie et ducatus ipsius plenariam rectoriam ac insuper plene in eisdem legationis officium duximus

committenda; ideoque universitati vestre districte precipiendo mandamus quatenus ipsum immo potius nos in eo devote recipientes et honorifice pertractantes, eidem tanquam apostolico legato humiliter intendatis, ipsius monita et precepta et quecumque vobis ex parte nostra injunxerit firmiter adimplendo; alioquin sententiam, quam idem tulerit in rebelles, etc.

Datum Lugduni, VII idus aprilis, anno VI°.

Fere in eumdem modum scriptum est baronibus, nobilibus, potestatibus et civitatibus marchiae Anconitanae et ducatus Spoletani;

Baronibus, potestatibus, rectoribus, etc., per Campaniam et Maritimam constitutis;

Universis fidelibus Ecclesiae per Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis;

Abbati monasterii Farfensis;

Episcopo Ostiensi, cardinalibus Sanctae Mariae Transtiberim et Sancti Angeli, necnon et senatori Romano (1).

Lugduni, 9 aprilis.

Innocentius papa Petro cardinali Sancti Georgii ad Velum Aureum potestatem dat promittendi praelatis et principibus secularibus quod nunquam ipse vel fratres sui pacem cum Frederico reformabunt, ita quod Fredericus vel aliquis filiorum ejus rex aut imperator existat.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 4039, litter. curial., n° 40.)

---

(1) Quasdam alias Innocentii papae epistolas hic tantummodo memoramus, scilicet : ad eumdem Sancti Georgii cardinalem ut in omnibus terris suae legationi commissis copias colligat ad regnum Siciliae invadendum. Lugduni, V idus aprilis (9 aprilis).

Ad eumdem ut pro expensis hujus belli decem millia marcarum argenti super castra et terras urbis Romae, et decem millia uncias auri super castra Patrimonii sancti Petri mutuari possit. Lugduni, VII idus aprilis (7 aprilis).

Innocentius, etc. Cum te pro instanti negotio in Italiam destinemus, discretioni tue promittendi firmiter ex parte nostra omnibus prelatis ecclesiarum et principibus secularibus ceterisque tue legationis laicis quod nos et fratres nostri eos in hujusmodi negotio nullatenus deseremus, nec cum F. quondam imperatore pacem aliquatenus confirmabimus (a), ita quod ipse vel aliquis filiorum ejus rex aut imperator existat, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Datum Lugduni, V idus aprilis, anno VI°.

Innocentius papa Petro cardinali Sancti Georgii facultatem concedit dispensandi cum religiosis vel secularibus qui dato vel recepto aliquo pro beneficiis, simoniacam pravitatem commiserunt. Lugduni, 17 aprilis.

(Edid. de Cherrier, *Hist. de la lutte des papes et des empereurs*, etc., t. II, p. 460, ex cod. Paris., n° 4039, litt. curiales, n° 57, fol. 73 verso.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, P. tituli Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, Apostolice Sedis legato. Cum te ad partes Italie pro bono earum statu et Ecclesie negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio destinemus, discretioni tue presentium auctoritate concedimus ut cum quibuslibet religiosis vel secularibus personis tue legationis, cujuscumque sint ordinis, que dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis, commiserunt simoniacam pravitatem, possis dispensare, sicut videris expedire, non obstante constitutione contraria generali.

Datum Lugduni, XV kalendas maii, anno VI°.

(a) Alias *reformabimus*.

Ad eumdem ut fratres ordinis Theutonicorum et alios religiosos Ecclesiae rebelles bonis suis exspoliet. Lugduni, XIII kalendas maii (19 aprilis).

Ad electum Turritanum quod legationis officium adversus Fridericum exercere valeat in Sardinia et Corsica. Lugduni, IV idus junii (10 junii).

Apud Fuciclum 16 aprilis.

Fridericus, Romanorum imperator, Guillelmo Turrioni magistro camerario Terrae Laboris mandat quod conventui Cassinensi domum unam apud Sanctum Germanum quam Taffurus de Capua quondam violenter occupaverat, faciat resignari, ad opus dicti monasterii sicut alia ejus bona procurandam. Quod quidem Johannes Russus de Isernia judex, re prius per ordinarium judicium caute discussa, sententialiter exsequitur.

(Inedit. in arch. monast. Cassin. ex Regest. Thomae decani Mss., sub anno 1279 exarato, fol. 34, n° 51.)

In nomine Christi amen. Anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo quadragesimo nono, die sabbati quintodecimo madii, septime indictionis, imperante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno vicesimo nono, presenti scripto declaro ego notarius Johannes de Isernia me recepisse a prudenti viro judice Guillelmo Turrione imperiali magistro camerario terre Laboris et comitatus Molisii, quasdam licteras sigillo ejusdem domini magistri camerarii sigillatas, quarum tenor per omnia talis erat : — Prudenti viro notario Johanni Russo de Isernia amico suo judex Guillelmus Turrionis imperialis magister camerarius terre Laboris et comitatus Molisii salutem et amorem sincerum. Ab imperiali excellentia sacras recepimus licteras in hac forma : Fredericus Dei gratia, etc., magistro camerario terre Laboris et comitatus Molisii, etc. Pro parte decani et conventus monasterii Casinensis nostrorum fidelium fuit nuper expositum coram nobis quod cum olim Taffurus de Capua, dum in Rocca Janule castellanie officium exercebat, domum unam sitam in Sancto Germano et res alias ad conventum ipsum rationabiliter pertinentes violenter et contra justitiam ac monachis ipsis invitis et contradicentibus occupasset, et nunc eodem Taffuro de mandato celsitudinis

nostre capto et bonis ejus omnibus infiscatis, domus et alie res predicte ad manus curie nostre cum bonis aliis ejusdem Taffuri pervenerunt, sicut dicunt, eas ipsis restitui tam juste quam misericorditer mandaremus, maxime cum alia bona conventus ejusdem nos ad opus curie nostre velut bona fiscalia seu ad opus dicti monasterii dudum mandaverimus procurari. Nos itaque fiscum nostrum cum aliena jactura locupletari nolentes, supplicationibus predictorum fidelium benignius inclinati, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si tibi constiterit de predictis, domum et res alias ad conventum ipsum de jure spectantes quas per memoratum Taffurum taliter fuisse compereris occupatas, eisdem fidelibus nostris vel eorum nuntio sine difficultate qualibet facias resignari, per ipsos sicut alia bona conventus ejusdem de cetero ad opus dicti monasterii procuranda. Data apud Fuchiclum, sextodecimo aprilis, septime indictionis. Ad cujus executionem mandati cum nos [non] possimus personaliter interesse, tibi comictimus vices nostras, ex imperiali parte qua fungimur auctoritate mandantes quatenus attenta forma prescripti imperialis mandati, si tibi constiterit de contentis in ipso, domum et res alias ad conventum ipsum de jure spectantes quas per memoratum Taffurum taliter fuisse reppereris occupatas, eisdem monachis vel eorum nuntio sine difficultate qualibet faciatis resignari, per ipsos sicut alia bona dicti monasteri de cetero procuranda. De assignatione vero eisdem monachis si de jure inveneritis facienda, faciatis fieri publicum instrumentum ad nos pro parte curie deferendum. Datum Neapoli, quarto madii, septime indictionis.

Cupiens igitur predictum mandatum exequi reverenter, apud Sanctum Germanum me personaliter contuli et habito cum deliberatione consilio de premissis prudentum virorum domini imperatoris fidelium, forma licterarum ejusdem mandati diligenter attenta, cum per verba ipsarum litterarum videretur quod deberet ordinario judicio in negotio ipso potius quam per inquisitionem procedi, cum consilio predictorum domini imperatoris fidelium in causa ipsa providi fore ordinario judicio procedendum, ut melius et cautius pro parte imperialis curie dictum negotium tractaretur. Ordinato itaque judicio et assumpto mihi in assessorem pru-

dente viro magistro Petro de Ota judice Sancti Germani, assumpto etiam in notarium magistro Garaido publico notario civitatis Isernie, domini imperatoris fidelibus, ac statuto in causa ipsa procuratore pro parte imperialis curie discreto et fideli viro magistro Gregorio advocato Sancti Germani, qui jura curie tueretur tam fideliter quam prudenter, frater Landulfus monachus Casinensis, procurator syndicus vel actor decani et conventus monasterii Casinensis constitutus contra predictum procuratorem curie, per libellum proposuit in hunc modum : Proponit frater Landulfus monasterii Casinensis procurator syndicus vel actor decani et conventus monasterii Casinensis quod constitit, procuratorio nomine pro parte eorumdem contra magistrum Gregorium de Sancto Germano procuratorem imperialem curie super hoc statutum quod similiter constitit pro parte ipsius curie, dicens quod cum predicti tenerent et possiderent res inferius designatas ad ipsum conventum jure dominii vel quasi spectantes, Taffurus de Capua dum in Rocca Janule castellanie officium exercebat, res ipsas violenter et contra justitiam, monachis ipsius conventus invitis et contradicentibus, occupavit : que bona dicto Taffuro de mandato imperialis celsitudinis capto et bonis ejus omnibus infiscatis ad manus imperialis curie cum bonis aliis ejusdem Taffuri pervenerunt. Quare petit procuratorio nomine pro parte predictorum decani et conventus, secundum sacrum imperiale rescriptum, res ipsas sibi pro parte predictorum decani et conventus resignari ut est justum. Res sunt hec domus in Sancto Germano in Coraria cum apothecis et balneo inferioribus existentibus in ipsa domo posita in platea Calsalarium (*sic*) juxta domum Henrici Joannis de Antonio, juxta viam publicam et juxta domum Salvuli Hebrei et si qui alii sunt confines. Predictus autem procurator curie litem contestando confessus est imperialem curiam tenere et possidere res in libello designatas, et res ipsas cum bonis dicti Taffuri aliis infiscatis eodem Taffuro de mandato imperiali capto ad manus imperialis curie pervenisse; cetera alia in libello proposita ignorare; et prestito juxta tenorem imperialis constitutionis calumpnie juramento, predictus frater Landulfus procurator syndicus vel actor predictorum decani et conventus se probaturum obtulit quod juxta predictum mandatum proposuerat per

libellum, et procurator curie nominatus ad defensionem juris cnrie quasdam exceptiones se obtulit probaturum. Recepto igitur a partibus peremptorio termino ad probandum et subsequenter eodem termino peremptorio veniente, utraque pars produxit in judicio testes suos; quibus de jure receptis et eorum dictis in judicio publicatis facta utrique parti copia eorumdem, assumptis in rubricas et solemni dispntatione habita super efficacia probatorum, nihilominus tamen quesivi de jure curie ad cautelam curie diligenter si curia super predictis rebus aliqnod jus haberet. Postqnam vero in causa ipsa renuntiatum extitit et a partibus inclusum, ego qui supra notarius Johannes habito super premissis consilio diligenti cnm predicto judice Petro de Ota et aliis prudentibus viris domini imperatoris fidelibns, quia de intentione predicti fratris Landulphi procuratoris syndici vel actoris eorumdem decani et conventus, secundum quod in predicto mandato continetur, mihi constitit evidenter, nec ex parte dicti procuratoris curie aliquid probatum extitit qnod intentionem agentis elideret nec etiam inquisitionem a me extraordinarie factam de jure curie super rebus predictis, die sabbati duodecimo junii ejusdem septime indictionis apud Sanctum Germanum prefatum procuratorem curie ad resignationem predictarum rerum prenominato fratri Landulfo syndico vel actori eorumdem decani et conventus pro parte ipsorum et ejusdem decani et conventns faciendam sententialiter condempnavi, resignans eisdem res ipsas per eos juxta predictum mandatum sicut alia bona conventus ejusdem ad opus dicti monasterii procurandas. Ad hujus igitur rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri feci per manns predicti notarii Garaidi signo ejnsdem notarii signatum et mea et predicti judicis Petri subscriptionibus roboratum. Quod ego prenominatus Garaidus publicus civitatis Isernie notarius qui predictis omnibus interfui, scripsi et meo signo signavi. Actum in civitate Sancti Germani, anno, mense et indictione predictis. — Ego qui supra notarius Johannes de Isernia. — Ego qui supra magister Petrus de Ota judex Sancti Germani.

Apud Fuchiclum 20 aprilis.

Fridericus, Romanorum imperator, Ticcio de Colle vicario comitatus Senensis mandat ut ad requisitionem abbatis Sancti Salvatoris de Monte Amiato partes de possessione castri Plani Castagnarii contendentes in brevi termino ad magnam imperialem curiam citet, et interea fructus castri ejusdem sequestrari faciat.

(Inedit. ex originali in archivo diplom. Florent. asservato, cujus copiam nobis P. G. Rosi liberaliter quondam nobis fecit.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Ticcio de Colle vicario comitatus Senensis fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Pro parte Mainfredi venerabilis abbatis monasterii Sancti Salvatoris de Monte Amiato fidelis nostri majestati nostre fuit humiliter supplicatum quatenus sententiam latam in nostra magna curia pro eodem contra Jacobum Baroncelli procuratorem Frederici et Peponis fratrum civium Senensium qui pro parte predictorum ad restitutionem castri Plani Castagnarii quod dicti fratres pro indiviso tenent, extitit condempnatus, a qua sententia dictus procurator ad nostram audientiam appellavit, cum appellationem ipsam infra legittima tempora non fuerit prosecutus, executioni mandare tam juste quam misericorditer dignaremur; ac interim quia fructus predicti castri depopulantur ab ipsis in prejudicium ipsius abbatis et monasterii supradicti, eos sequestrari secundum justitiam mandaremus. Quibus supplicationibus velut justitiam continentibus benignius inclinati, tue fidelitati precipimus quatenus predictum Jacobum Baroncelli procuratorem ac eumdem Fredericum et Peponem fratres peremptorio legittime cites ut decimo post citationem tuam in nostra magna curia se presentent, ut ad decisionem ipsius cause presentibus partibus mediante justitia procedatur; fructus vero omnes ipsius castri qui post latam sententiam sunt percepti et extant et percipientur, donec causa ipsa fine debito termine-

tur, cum depopulentur, ut asscritur, a predictis, prout justum fuerit in tuto facias sequestrari, ut consummato diffinitive negotio cui de jure fuerit applicentur; diem citationis, formam presentium, coram quibus eos citaveris et quod inde feceris nostro culmini rescripturus. Datum aput Ficiochiclum, vigesimo aprilis, septima indictione.

Ego Coppia Boncambii notarius suprascriptas litteras sigillo imperiali munitas vidi et legi et quidquid in eis scriptum inveni, hic de verbo ad verbum nichil addito vel diminuto in fraude hic de mandato dicti domini Ticcii vicarii fideliter exemplavi ideoque subscripsi.

Fridericus, Romanorum imperator, Friderico de Antiochia imperiali in Tuscia vicario generali mandat ut super petitione abbatis Sancti Salvatoris de Monte Amiato pro mercato Plebis de Lamula secundum jus procedat; ad mandatum cujus Friderici de Antiochia Jacobus notarius de Castro abbatiae universitatem de Arcidosso et abbatem Sancti Salvatoris ad terminum praefixum citat. Fucecchio, 20 aprilis.

(Inedit. ex originali in archivo diplom. Florent. asservato, cujus copiam idem Gius. Rosi nobis fecit.)

Ex hac publica formula litterarum pateat hevidenter quod dominus Fredericus de Antiochia domini imperatoris filius scripsit mihi Jacobo notario de Castro abbatie sub hac forma : Fredericus de Anthiochia domini imperatoris filius, sacri imperii in Tuscia vicarius generalis, prudenti viro Jacobo notario de Abbatia fideli imperii salutem et amorem sincerum. A domino imperatore serenissimo patre nostro recepimus litteras in hac forma : Fredericus Dei gratia imperator Romanorum semper augustus, Jerosolime et Sicilie rex, dilecto filio suo Frederico de Anthiochia comiti Albe, sacri imperii in Tuscia vicario generali, gratiam suam et omne bonum. Petitionem venerabilis abbatis et conventus monasterii Sancti Salvatoris de Monte Amiato fidelium nostrorum nostro culmini

presentatam mittimus tibi presentibus interclusam, tue filiationi mandantes quatenus petitionis ejusdem tenore diligenter inspecto, facias inde quod honori nostro, juri et justitie et qualitati negotii [videris expedire]. Datum Ficeclio, vigesimo aprilis, septima indictione.

Tenor cujus petitionis talis est : Significant imperatorie majestati abbas et conventus Sancti Salvatoris de Monte Amiato quod cum a divis retro principibus ipsi monasterio fuerit concessum et a nostra (*sic*) munificencia confirmatum apud Plebem de Lamula mercatum sabbatinum habere et in possessione juris ipsius mercati tanto tempore cujus non extat memoria fuerit, universitas castri de Arcidosso instituit quoddam aliud mercatum propria auctoritate in loco qui dicitur Maladaria quod distat per medium miliare parum minus a plebe predicta, per quod mercato dicti monasterii penitus derogatur. Unde Pandulfus de Fasianella tunc imperialis in Tuscia vicarius generalis cum ab imperiali excellentia recepisset in mandatis ut debita cohercitione universitatem dicti castri de Arcidosso compelleret et quod dictum monasterium in antiquis nundinis a divis retro principibus concessis de cetero contra justitiam nullo modo molestaret, nec novas nundinas institui permitteret dictis antiquis nundinis derogantes, inquisitionem fecit fieri de predictis. Quare supplicant abbas et conventus predicti quatenus domino Frederico de Anthiochia nunc imperiali in Tuscia vicario generali precipere dignetur imperialis majestas ut in predicta inquisitione absque retardatione sententialiter debeat diffinire.

Volentes igitur imperiale mandatum exequi reverenter, tibi ex imperiali parte mandamus quatenus predictum comune perhemtorie cites ut octavo post citationem tuam per duos sindicos vel unum vel actores instructos compareat coram nobis in predicta causa prout justum fuerit processurum, et injungas parti averse ut in predicto termino compareat coram nobis; diem citationis et formam presentium, coram quibus et quicquid inde feceris nobis per publicum instrumentum rescribas. Datum Florentiola (*a*), primo junii, septima indictione. Unde ego Jacobus nota-

(*a*) Sic, melius tamen intelligendum *Florentiae*.

rius supradictus volens mandatum dicti domini Frederici cum reverentia fideliter adimplere, ad dictnm castrum de Arcidosso personaliter accessi et Johannem nunc camerarium dicti castri nomine dicti comunis et pro ipso comune cum ipse camerarius non fecerit ad petitionem meam consilium dicti comunis congregari, nec alias competentes personas reperierim, citavi ut hinc ad octo dies peremtorie coram domino Frederico de Antiochia in Tuscia vicario generali per duos sindicos vel unum vel actores instructos debeat comparere, in causa predicta prout justum fuerit processurus; quam citationem publice feci in dicto castro de Arcidosso in platea ecclesie sancti Leonardi, presente dicto camerario et presentibus Orlando Uliverii, Riccardino Hericone Cruccioli, Pisano Pisani, et Pietro Brigentionis, Ventura Rubei et Paulo Bonensegne, Boncanbio, Iohanne porcario balitore et Renovardo et Tattedeo filio ejus, magistro Dato et Bartholomeo Verde et Junta fratre ejus, hominibus dicti castri, et coram Ranuccio Arrenduti et Lambertuccio Donadei de Monte Latrone, ad hec testibus vocatis et rogatis, in anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, indictione septima et die quarta junii.

Ego Jacobus notarius de mandato dicti domini Frederici dictam citationem publice feci et eam scripsi et publicavi.

Signum mei Jacobi notarii supradicti.

Preterea sub eodem anno millesimo ducentesimo quadragesimo nono, indictione septima et die quinta junii, ego Jacobus notarius supradictus ex parte et mandato dicti domini Frederici, injunxi domino Manfredo abbati monasterii Sancti Salvatoris ut debeat per se vel per sindicum idoneum comparere in termino supradicto coram prefato domino Frederico in Tuscia imperiali vicario generali pro causa prenominata.

Que quidem facta fuerunt in curia Montis Latronis, presentibus Alamanno notario et Buono Benefacti de Monte Latrone, ad hec testibus vocatis et rogatis.

Et ego Jacobus notarius predictam jussionem de mandato dicti domini Frederici feci et in publicam formam redegi.

Signum mei Jacobi notarii supradicti.

Lugduni, 25 aprilis.

Innocentius papa ad preces Pandulfi de Fasanella dilecti filii sui, abbati Sancti Petri de Villamagna mandat ut Jacobo Squarsapelle in regno Siciliae de redditibus ecclesiasticis usque ad triginta uncias auri provideat vel faciat provideri.

(Inedit. ex regist. epist. Innoc. IV, ap. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, 4039, n° 615.)

Innocentius, etc., abbati monasterii Sancti Petri de Villamagna Anagnine diocesis, etc. Volentes obtentu precum dilecti filii nobilis viri P. de Fasanella dilecto filio Jacobo dicto Squarsapelle clerico ecclesie Sancti Pancracii Anagnie gratiam facere specialem, mandamus quatenus sibi in regno Sicilie de redditibus ecclesiasticis usque ad summam triginta unciarum auri ad cujuscumque collationem spectantibus autoritate nostra provideas vel facias provideri ac in ecclesia seu ecclesiis in qua sive quibus sibi provisum fuerit si collegiata sive collegiate fuerint, in canonicum et in fratrem recipi, non obstante certo canonicorum numero, etc. . . . .

Datum Lugduni, VII kalendas maii, anno VI (1).

Lugduni, 29 aprilis.

Innocentius papa P. fideli suo et Ecclesiae baroniam, castra caeteraque bona concedit quae Pandulfus de Aquino ejusdem P. pater Friderico imperatori contra Ecclesiam adhaerens habere dinoscitur, hac conditione ut ille redintegretur si ad mandatum Ecclesiae redierit.

(Inedit. ex regist. epist. Innoc. IV, ann. VI; in Bibl. Cesar. Paris., 4039, n° 514.)

---

(1) Adest ibidem altera Innocentii papae epistola dat. Lugduni, X kalendas maii (22 aprilis), qua R. de Galluccio fideli suo castrum Vairani in regno Siciliae restituit.

Innocentius, etc., nobili viro P. nato nobilis viri Pandulfi de Aquino, etc. Cum nobilis vir Pandulfus de Aquino pater tuus Frederico quondam imperatori contra Ecclesiam adherere presumat, nos provide attendentes quod idem penam propter hoc meruit, tu vero pro tua devotione cum Ecclesia exilium patiaris, gratiam tibi Sedis Apostolice vendicasti ut tu tuique successores baroniam, castra ceteraque bona sua que tam in regno Sicilie quam extra illud (*sic*) obtinet, libere et plenarie sicut ea ipse habere dinoscitur, habeatis, auctoritate presentium indulgemus, non obstante si aliqua ex ipsis aliis duxerit concedenda; ita tamen quod si ad devotionem et mandatum Ecclesie redierit, illa omnia integra rehabeat sicut prius. Nulli ergo, etc. . . . .

Datum Lugduni, III kalendas maii, anno VI°.

Innocentius papa ad preces Riccardi Francisci dilecti filii sui Petro cardinali Sancti Georgii ad Velum Aureum legato suo mandat ut Philippo Scriniario civi Romano de aliquo feudo militari in regno Siciliae provideat vel faciat provideri. Lugduni, 30 aprilis.

(Inedit. ex eodem codice 4039, n° 649.)

Innocentius, etc., P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, Apostolice Sedis legato, etc. Volentes obtentu dilecti filii nobilis viri Riccardi dicti Francisci, Philippo Scriniario civi Romano, qui de regno Sicilie traxit originem, gratiam facere specialem, mandamus quatenus eidem Ph. in regno ipso de aliquo feudo militari si vacat ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, provideas vel facias provideri. Contradictore, etc. . . . .

Datum Lugduni, II kalendas maii, anno VI.

[Maio ineunte.] Interea Fridericus, filius imperatoris naturalis, castrum quod appellatur Capragia in Tuscia, in quo multi ex Guelfis bannitis Florentiae intraverant, obsidebat. Quo capto (1), imperator alios ex ipsis captis suspendere fecit (2) et alios in Apuliam direxit. Deinde in portu Pisis in galeas intravit et navigio perrexit in regnum. *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. 219.

Pisis, maio. Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis servitiis quae sibi Ubertus marchio Pelavicinus praestitit, eidem marchioni multa castra in episcopatibus Parmae, Placentiae et Cremonae sita, cum appenditiis eorum et jure exigendi pedagia per Padum necnon cum mixto et mero imperio et gladii potestate, concedit et confirmat, non obstante aliquo decreto praesentibus contrario.

(Edid. AFFO, *Stor. di Parma*, tom. III, p. 384, in append. documentorum.)

Federicus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Hyerusalem et Sicilie rex. Romani imperii cura nobis tradita Dei gratia hoc inter alia postulat ut liberalitatis nostre sinum oculosque

(1) VII calendas maii (25 aprilis), castrum de Capraia captum est, sicut nos monet *Obituar. Senens.* ap. OZANAM, *Documents*, p. 195.

(2) Uni tamen ex nobilibus Florentinis, scilicet Rinierio Zingano Bondelmontium, Fridericus II pepercit, qui tamen oculorum lumine orbatus in monasterio insulae Montis Christi vitam finivit. *Cf.* Ricc. Malespini, ap. MURATOR., *Scriptor.*, t. VIII, p. 970.

clementie aperiamus cunctis nostris fidelibns quos imperio regimus, et maxime personis fidem et devotionem sinceram ad excellentiam nostram babentibus. Considerando igitur grata servitia que culmini nostro bactenus prestitit et que prestare poterit in antea Ubertus marchio Pelavicinus dilectus fidelis noster, ac etiam attendentes puram fidem et sinceram devotionem quam ipse Ubertus ad excellentiam nostram habet, presenti serie notum facimus universis imperii fidelibus tam presentis etatis quam in posterum successure quod nos castrum Ripo Marantü, castrum Beringerie et Aque Vive, castrum Montis Vulterani de episcopatu Vulterre, castrum Buxeti de episcopatu Cremone, terram seu castrum Burgi Sancti Donnini, castrum Solignani, castrum Ravarani, castrum Montis Palerii, castrum Serravallis, castrum Petre Mogolane, castrum Tablani, castrum Bargonis, castrum Parole, castrum vetus de Soranea, villas seu terras de Samboseto, de Costamezana cum castro dicte ville de Costamezana, de Celulis, de Miano, de Medesano, de Nuceto, de Risanguinario, de Rezenoldo, de Cnrte Redalda, de Castiono Marchionum, de Varano Marchionum, de Varano Melegariorum de episcopatu Parme; castrum Speculi, castra Gisalegii et Landaxii cum villis Vallis Muzule subscriptis, videlicet de Plebe Gisalegii, de Mergiano, de Costa Asine, de Landasio, de Cassina, de Sancto Martino, de Sancto Sire, della Granaria, de Branzono, de Castolio, de Castano, de Dongula necnon de Berenzono et castro Arde de episcopatu Placentie; castrum de Zibello, villas de Sancta Cruce, de Ragazola, de Lacn Scnro, de Tolarolo, de Polexino de Manfredis et Polexino Sancti Viti episcopatus Cremone, cum omnibus curiis, villis, terris cultis et incultis, terrenis et territoriis dictorum castrorum et cujuslibet eorum, nec non hominibus in predictis castris, villis seu terris vel aliquo eornm habitatoribus, aquis et aquarum decursibus, molendinis et septis molendinorum, puteis a sale et salinis ac usu faciendi et conducendi salem, ac juribus, rationibus, honoribus, pertinentiis, honorantiis, limitibus, obventionibus, exercitiis, jurisdictionibus, piscariis et venationibus, nec non pasculis, nemoribus, montibus et planis, pedagiis et juribus pedagiandi et portizandi in quibuscumqne terris, villis et locis suprascriptis et maxime in Pado juxta villam supra-

scriptam Polesini Sancti Viti, cum jure et omnimoda jurisdictione exigendi in dicto flumine Padi per directum dicte ville Polesini dacium, pedagium, vectigal seu toloneum a quibuscumque conducentibus naves, merces et alias res ac ascendentibus et descendentibus per dictum flumen Padi pro dictis navibus, mercibus et rebus quibuscumque transeuntibus per dictum flumen Padi. Et hoc non obstantibus aliquibus donationibus seu concessionibus per nos seu predecessores nostros factis et indultis aliis quibuscumque personis, quibus donationibus et concessionibus ex certa scientia et de plenitudine nostre regie potestatis derogamus et derogatum esse volumus per presentes. Et hoc non obstantibus aliquibus legibus, statutis et decretis in contrarium facientibus, ac nominatim et expresse cum utilitatibus quibuscumque et cum mero et mixto imperio et omnimoda jurisdictione ac gladii potestate in predictis castris, terris, villis, curiis, territoriis et quolibet seu qualibet ipsorum et ipsarum, predicto Uberto, heredibus posterisque suis ab eo et heredibus seu descendentibus in fido ac devotione nostra persistentibus proprio nostro motu ac de plenitudine potestatis nostre et ex certa scientia nostra presenti pagina duximus conferenda et concedimus atque damus pleno jure, ita quod roboris perpetuo teneat firmitatem. Quare presenti nostro cesareo scripto mandamus et firmiter precipimus quatenus nullus sit qui prefatum Ubertum suosque heredes, posteros et successores in predictis castris, terris, villis, curiis, hominibus, terrenis, territoriis, aquis et aquarum decursibus, molendinis, septis molendinorum, puteis a sale et salinis ac usu faciendi et conducendi salem, juribus, rationibus, jurisdictionibus, honorantiis, honoribus, pertinentiis, limitibus, exercitiis, pischeriis, venationibus, pasculis, nemoribus, montibus et planis, passibus, pedagiis et utilitatibus omnibus predictis contra presentis concessionis nostre gratiam impedire seu molestare presumat. Si quis autem contrafecerit vel contrafacere presumpserit, gravem indignationem nostram se noverit incursurum. Hoc autem nostre serenitatis privilegium valere volumus, non obstantibus lege, statuto et decreto predictis ac consuetudine et privilegiis quibuscumque et aliis in predictis concessis per nos et predecessores nostros, quibus nostra presenti pagina ex certa scientia ut supra deroga-

mus ac si de ipsis facta foret mentio specialis. Ad hujus itaque concessionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Pisis, anno incarnationis Dominice millesimo ducentesimo quadragesimo nono, mense maii, indictione septima, imperante domino nostro Federico imperatore semper augusto, Hyerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus vigesimo nono, regni Hyerusalem vicesimo quarto, regni vero Sicilie quinquagesimo, feliciter. Amen.

Bertholdus patriarcha Aquilegensis in animam suam vicedominum suum jurare facit quod observabit pacta inter se et marchionem Estensem, comitem Sancti Bonifacii, civitates Brixiam, Mantuam et Ferrariam inita, dum in servitium Ecclesiae potenter et patenter assurgere velit. 11 maii, apud Utinum.

(Edit. ap. Murator., *Antiq. Ital. med. aevi*, t. IV, p. 457.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, indictione VII, dominus Bertholdus Dei gratia venerabilis patriarcha Aquilegensis, cupiens in servitium sancte matris Ecclesie potenter et patenter assurgere quatenus se vires sue extendunt, nuntium suum pro petendo auxilio ad devotos Ecclesie, videlicet nobiles viros marchionem Estensem et comitem Sancti Bonifacii atque ad civitates Brixiam, Mantuam et Ferrariam, destinavit. Qui de communi colloquio super hoc ordinato, auditis petitionibus dicti nuntii, promiserunt eidem domino patriarche mittere centum cavalcatores in propriis expensis usque ad terram suam, ita quod postquam ipsi fuerint in terra ipsius domini patriarche, ipse postmodum eis teneatur providere congrue de expensis et resarcire damna que faciendo werram incurrent.

Et ipsi versa vice lucrum quod consequi poterunt, tenentur dividere per medium cum ipso domino patriarcha, dando eidem medietatem, et sibi aliam retinere. Insuper quelibet illarum communitatum, scilicet potestas cum consilio, data potestate uni in qualibet civitate qui in animam illorum omnium juraret, tactis Scripturis in animam ipsorum juramento firmavit quod quandocumque Hezelinus de Romano equitaret super terras domini patriarche, vel super Tarvisium, seu super terras domini Biaqnini cum suo exfortio vel mitteret trecentos milites vel ultra, dicte communitates teneantur cum suo exfortio equitare super Veronam et eis facere vivam werram. Et quod non debeant facere pacem, compositionem seu concordiam aliquam super predicta werra sine voluntate et consensu ipsius domini patriarche, quibuslibet exceptionibus juris et facti hinc inde cessantibus et remotis, ita quod idem patriarcha idem juramentum eis prestari faciat; alioquin non debeat teneri, secundum quod hec omnia continentur in predictarum civitatum publicis instrumentis etiam ipsorum sigillis munitis. Ipse autem dominus patriarcha dictis instrumentis visis et instrumento civitatis Mantue coram se et consilio suo perlecto, ad honorem Dei et sancte matris Ecclesie, die XI maii in presentia Conradi electi Justinopolitani, Hermanni electi Sextensis, Henrici de Villalta, Federici de Castello, Rodulphi de Cibriano et Thomasii de Pulzinigo liberorum, Cononis et Artuiti fratrum de Murico, Johannis et Adalperti fratrum de Cucanea et Henrici de Mels, atque aliorum plurium ministerialium ecclesie Aquilejensis, dedit parabolam magistro Beringerio vicedomino suo jurandi in anima sua omnia predicta ut dicte communitates eidem juraverant, versa vice eisdem attendere et observare bona fide sine fraude. Qui ibidem Libris et Scripturis corporaliter tactis, que superius dicta sunt juravit in animam domini patriarche, et presentem chartam idem patriarcha jussit sui sigilli munimine roborari.

Actum apud Utinum in camera domini patriarche.

Ego Paulus sacri palatii notarius his omnibus interfui et rogatus scripsi.

Fridericus, Romanorum imperator, Ticcio de Colle vicario Sancti Quirici et episcopatus Senensis mandat ut sententiam suae magnae curiae ad requisitionem abbatis Sancti Salvatoris de Monte Amiato contra Jacobum Baroncelli procuratorem Frederici et Peponis civium Senensium super castro Plani Castagnarii in favorem ejusdem abbatis latam, pro eo quod in appellationis instantia propter partis adversae licet appellantis contumaciam confirmata fuerit, in praesenti exsequi non omittat. Neapoli, 25 maii.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 208-209, n° 1162.)

Datum Neapoli, vicesimo quinto maii, septima indictione.

Exeunte mense madii Bononienses ... hostiliter albergati sunt apud Castellum Francum, volentes devastare Mutinenses. Quo audito a rege Encio qui erat in Cremona, accepta quantitate militiae Cremonae et suis militibus, per pontem de Bersello transiens Mutinam equitavit. Et die mercurii VII kalendas junii, cum ipsis Bononiensibus ... non procul a ponte de Sancto Ambrosio praeliatus fuit, et fracta militia regis Bononienses ceperunt dictum regem cum omnibus militibus suae cohortis et circa CC milites Cremonae, inter quos fuit Bosius de Dovaria et XL milites Mutinenses, etc. *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. **219**. [26 maii.]

Innocentius papa Henrico Frajapani palatii Lateranensis comiti Lugduni, 29 maii.

principatum Tarenti cum tota terra Ydronti, quem Constantia quondam imperatrix avunculo ejus Oddoni concesserat et postea Fridericus abstulerat, de gratia speciali restituit.

(Edid. HÖFLER, *Kaiser Friedr. II*, append., n° 41, e cod. Bibl. Paris., 4039, n° 562.)

Innocentius, etc., nobili viro Henrico Frajapane sacri palatii nostri Lateranensis comiti, etc. Clara devotio qua inter nobiles alios [erga] nos et Apostolicam Sedem specialiter fulgere dinosceris, instanter exposcit ut te et continuis prosequamur favoribus et honorificentia multiplici attollamus, predecessorum nostrorum imitantes exempla, qui progenitores tuos pro multis et magnis obsequiis que Romane impenderunt Ecclesie, quampluribus honoraverunt gratiis et grandium munerum largitione ditarunt. Cum igitur tibi, sicut te didicimus referente, clare memorie C. Romanorum imperatrix et regina Sicilie una cum F. quondam imperatore O. Frajapani avunculo tuo cujus te successorem asseris, suisque successoribus principatum Tarenti cum tota terra Idronti duxerit concedendum, prout in privilegio inde confecto plenius dicitur contineri (1), et idem F. predictis principatu et terra te ut dicitur spoliarit, nos supplicationibus tuis inclinati, tibi, eo presertim quod regnum prefatum rege nunc careat, non obstante si aliquid ex eis idem F. aliis forte concessit, de gratia restituimns speciali, dummodo principatus et terra predicta non pertineat ad alium vel ad alios in devotione Ecclesie persistentes. Nulli ergo, etc.

Datum Lugduni, IV kalendas junii, anno VI.

Apud Boppardiam, 31 maii.

Philippus de Hohinvels, imperialis aulae camerarius, universis telonueariis sub sua procuratione existentibus mandat quod naves domus Teutonicorum in Confluentia per Renum libere transire permittant.

---

(1) Fraudem super fraudem suspicamur, cum privilegium istud nunquam confectum fuerit aut saltem hujus vestigium non reperire potuerimus.

(Edid. HENNES, *Cod. ord. Theutonic.*, p. 133, n° 133, ex originali apud Wiennam, in quo tamen legitur MCCXLXIX pro MCCXLIX.)

Nos Philippus de Hohinvels imperialis aule camerarius. Constare cupimus universis presens scriptum visuris quod quia scimus veraciter serenissimum dominum nostrum imperatorem naves domus Theutonice in Confluentia ascendentes et descendentes per alveum Reni ab omni exactione thelonii exemisse, prout in patentibus litteris suis adhuc patet aperte, volumus et mandamus thelonariis universis sub nostra procuratione existentibus ab imperio necnon nostris quatinus dictas naves, cum ad ipsos pervenerint, absque omni exactione thelonii permittant libere pertransire, ipsas ad requisitionem nunciorum suorum quantum poterint promovendo.

Datum apud Bopardiam, anno Domini MCCXLIX, ultimo maii.

Fridericus, Romanorum imperator, mandat filio suo (1) ut aliquem Lombardum eligat et ipsum ad regendam civitatem Esculanam debeat destinare festinanter. [Circa maium.]

(Inedit. ex cod. Bibl. Leipzig., n° 1268, fol. 14(23) recto-verso, et ex cod. Bibl. Berol., n° 188, fol. 58 verso.)

Supplicarunt excellentie nostre Esculani fideles nostri ut ad regimen civitatis eorum anno presenti aliquem probum et fidelem virum de partibus Lombardie statuere nostra serenitas dignaretur, qui cum salario consueto et ejusdem civitatis regimen et nostra servitia sciat decenter et fideliter procurare. Quorum supplicationibus inclinati, tue fidelitati precipimus quatinus aliquem virum idoneum et sinceritate fidelitatis exper-

---

(1) Verisimiliter Henrico sive Entio in Italia legato, ad quem jus potestates creandi ex officio pertinebat. In codice Berolinensi legitur *Chonrado filio suo*, minus recte.

tum de partibus Lombardie invenire et eligere studeas et electum regimini civitatis ipsius preficias et prefectum sine mora transmittas, ita quod XV° julii primo futuri interesse possit ad exercendum regimen civitatis ejusdem. Verum quia propter brevitatem temporis posset merito dubitari quod potestas per te statuenda ad eandem civitatem non posset in predicto termino se conferre, et proinde tam in causa regiminis civitatis ejusdem quam in nostris serviciis haberetur defectus, volentes futuris periculis obviare, Riccardo comiti Theatino sacri imperii in Marchia capitaneo dilecto filio (*a*) nostro per nostras dedimus litteras in mandatis quod si statuto termino potestas per te statuenda non interesset ad exercendum ejusdem regimen civitatis, idem comes aliquem probum et fidelem virum de hiis qui in sua curia commorantur, diligenter eligat et electum preficiat regimini civitatis predicte. Oportet ergo tuam industriam talem super premissa curam et diligentiam adhibere ut que tibi precipimus et expedire cognoscis, in prefixo termino finem debitum sortiantur, cujus negocii complementum si videris quod temporis brevitas denegabit, ex tunc tibi supersedendum fuerit in premissis. Defectum enim qui in ipso negotio possit contingere et distancia locorum et temporis brevitate, per eumdem comitem cui dat possibilitatem proximitas, serenitas nostra providit, etc. (*sic*).

Lugduni, 4 junii. Innocentius papa Henrico Frajapani fructus et redditus judicatus Arboreae, excepto censu Romanae Ecclesiae debito, quoad vixerit percipiendos concedit.

(Edid. HÖFLER, *Kais. Friedr. II*, append., n° 40, e cod. Bibl. Paris., 4039, n° 559.)

Innocentius, etc., nobili viro Henrico Frajapani, etc. Clara devotio *ut supra*, p. 734, *usque ad* ditarunt. Hinc est quod nos tui nobilitate generis

(*a*) In cod. Berol. *fideli*, male.

tuaque probitate pensatis, volentes personam tuam specialis dono gratie honorare, tibi fructus, redditus et proventus omnis judicatus Arboree, censu qui pro eo Romane Ecclesie debetur excepto, percipiendos a te per illum vel illos quos ad hoc duxerimus deputandos, quoad vixeris et usque ad nostre beneplacitum voluntatis, duximus auctoritate presentium concedendos.

Datum Lugduni, II nonas junii, anno VI.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit Bononiensibus quod non elevent se in superbiam propter victoriam habitam de Henrico filio suo, et quod incontinenti liberent eum, cum Cremonensibus, Mutinensibus et aliis quos ceperunt. [Junio.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. XXXIIII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Varios eventus esse fortune diversis legitur in scripturis, que nunc deprimit hominem, nunc exaltat, et sepe blanditur aliquos exaltando, quos demum deprimendo insanabili vulnere frequenter percutit et flagellat. Si vos igitur fortuna serenior respexisse videtur his temporibus claro vultu, non deberetis, si sapientes essetis, in aliquo superbire, quia sepius in altum quis tollitur, ut ruens fortius conquassetur. Nam sepe fortuna videtur in principio prospera nunciare, sed medium et finem multis replet adversitatibus et concludit. Relatum est etenim magnificentie nostre quod in victoria vobis data, fecistis cornua ferrea, cum quibus totum orbem creditis ventilare, et elevati in superbia magna valde, Lombardis fratribus vestris arrogantie munera transmisistis, cum eis solemnitates et magna gaudia celebrantes. Sed nisi cito elationem vestram ad mansuetudinem convertatis, cornua ferrea que fecistis subito impetu confringentur : risus vester dolore miscebitur, et gaudium ves-

trum in tristiciam convertetur. Considerate igitur provide et attendite diligenter quod quamvis imperii nostri serenitas passa videatur aliquas tempestates, tamen in digno Dei judicio multos de illis qui rebelles esse nostre potentie presumpserunt, justicia mediante, ad penam et mortem conduximus, exemplum cunctis hominibus seculi monstraturi. Non enim sicut putare videmini, sopita est Romani imperii fortitudo; nam semper vigilans et attenta potentia non dormitat. Interrogate patres vestros, et dicent vobis quoniam avus noster felicis memorie victoriosissimus Fridericus, cum voluit, Mediolanenses priores vestros expulit a propriis laribus et ejecit, ac civitatem ipsam tripartivit in burgis. Non igitur pateant facile aures vestre suggestionibus ac adulationibus Lombardorum, qui vos sue damnationi associari cupiunt, inducentes vos in foveam de qua nullo auxilio poteritis liberari. Quapropter sub pena gratie nostre vobis precipimus et mandamus quatenus dilectum filium nostrum H. regem Sardinie et Galluri, cum aliis fidelibus nostris Cremonensibus, Mutinensibus et ceteris aliis quos cepistis, visis presentibus, de carceribus relaxetis. Quod si feceritis, nos inter alias civitates Lombardie vestram exaltabimus civitatem : si vero potentie nostre mandatis neglexeretis obedire, triumphalem et innumerabilem nostrum exercitum expectabitis; procul dubio cognoscentes quod ad vos omni mora postposita veniemus, et civitatem ipsam obsidebimus, nec de manibus nostris vos liberare poterunt Ligurie proditores, sed eritis fabula et opprobrium nationum, ac vobis improperabitur in eternum.

[Junio.] Responsio Bononiensium ad litteras Friderici imperatoris, et quod regem Hentium non dimittent.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 8566, cum hac rubrica : « *Responsio per doctorem eximium in legibus dominum Rolandinum de Passageriis civem Bononiensem.* »

Exurgat Deus, et inimici sui penitus dissipentur qui confidunt de potentia potius quam de jure; de furore maximo jam elati terroribus atque minis sibi credunt alios subjugare, sed non sic nec semper feriet quodcumque minabitur arcus nec lupus rapiet quod intendit. Nolite ventosis verbis igitur nos terrere, qui non sumus arundines paludine que vento modico agitantur, nec plumis similes nec brume ut a solaribus radiis dissolvamur. Preterea noveritis quod regem Hentium tenuimus, tenebimus et tenemus, tanquam fore creditur nostri juris; sed si vestram vultis injuriam vindicare, uti viribus vos oportet, et vim vi expellere nobis licebit. Accingemus enim gladium super femur et rugitum dabimus ut leones ad expugnandum vos hostiliter oppugnantes, nec magnificentie vestre suffragium dabit innumerabilis multitudo, quia ubi multitudo, ibi debet confusio assignari; et sic dicitur in proverbiis antiquorum :

A cane non magno sepe tenetur aper.

Fridericus, Romanorum imperator, regratiatur communi Mutinensi, dolenti de casu regis Sardiniae, monetque ut in fide sua perseverent, quum ultimae rebellium suorum depressioni vacare disponat. [Junio.]

(Edit. ap. *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. XLVII. In cod. Mediomont. Th. Phillipps, n° 8930, haec rubrica legitur : *Fredericus regi Boemie*, sed minus recte.)

Ex relatione literarum vestrarum, quas super eventu H. regis Sardinie, dilecti filii nostri, nuper nostro culmini destinastis, tanto clariorem novimus fidem vestram, quanto per evidentiora signa cognovimus non minus de casuum nostrorum adversitate vos deprimi, quam de successuum prosperitate letari. Hec sunt etenim devotionis indicia, que mater fidelitas requirit in subditis, ut qualitercumque fortune dubietas successura proveniat, qualitercumque tempora promittentur, fidelium semper corda sint eadem et in laudabilium jugiter operum exhibitione persistant.

Sinceritatis itaque vestre constantiam proinde laudum titulis eo libentius extollimus, quo plena de vobis votis nostris respondente fiducia, vos ad nostra servitia promptos semper et benevolos invenimus. Licet igitur casus ipse, si casus dici debeat, ex quo negocia nostra non cadunt, fabulose gravis et vulgariter horridus videatur, nos tamen ipsum pro levi seu minimo reputantes, altitudinem mentis nostre propterea in nullo deflex-imus, nec ulla vel modica causa nos proinde turbationis affectus (*sic*). Sed cum bellorum facta sint dubia et serenitatis nostre gremium abundet copia filiorum, equanimiter hujusmodi nova suscipimus, et nostre potentie dexteram tanto propterea fortius in rebellium nostrorum excidium incitamus et erigimus ad vindictam, quanto propter hoc videntur apertius inanis glorie ventum et frivolam resistendi materiam assumpsisse. Cumque casus hujusmodi gladium nostrum potenter acuerit, et in detrimenta nos hostium ardentissime provocarit, devotionem vestram hortamur attente mandantes quatenus rancoris cujuslibet speciem abigentes, sic more solito circa nostra servitia laudabiliter insistatis, quod spem, quam de vobis stabili mente concepimus, sentiamus in nobis in opere commodosam. Nos enim temporis habilitate captata, sic ultime depressioni rebellium, apertis thesauris nostris et fidelium nostrorum subsidiis aggregatis, vacare disponimus, quod nedum cogantur a ceptis inviti desistere, sed potius peniteant incepisse.

Beneventi, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, comitem Thomasium de Sabaudia generalem imperii legatum in Lombardia a flumine Lambro superius constituit, cum mero et mixto imperio et gladii potestate, eique auctoritatem judiciariam plenissime tribuit.

(Edit. apud Guichenon, *Hist. généalog. de la maison de Savoie*, preuves, p. 92; — et ap. *Histor. patriae monum.*, chart., tom. I, p. 1399, cum mendis fere eisdem, licet ex origin. in arch. reg. cur., Dipl. imp. fasc. I, n° 24, unde pendet sigillum, desumptum asseratur. Cf. documenta ejusdem quasi formulae, t. V, p. 357 et seqq., t. VI, p. 387-388.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, prelatis ecclesiarum, marchionibus, comitibus, vavassoribus, nobilibus, potestatibus, consiliis, communitatibus et universis per Lombardiam a flumine Lambri superins constitutis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Ad extollenda justorum preconia et reprimendas insolentias transgressorum prospiciens e celo justitia erexit populis regnantium solia et diversorum principum potestates. Caruisset namque libenter humana conditio jugo dominii nec libertatem a se quam ipsis natura contulerat, homines abdicassent, nisi quod impunita licentia scelerum in evidentem perniciem humani generis redundabat, et sic ex necessitate quadam oportuit naturam subesse justitie et servire judicio libertatem. Sed nec exquiri decuit extrinsecus aliam speciem creature cui se representata per hominem celestis imago subjiceret, dum in redditione census numismatis imperium pre ceteris fortune fastigium presignivit (1), sed homo prelatus est homini ut gratiorem efficeret prelaturam. Attendentes igitur quod ex imperialis officii nostri debito quod ex celesti dispensatione suscepimus, villicationis nostre rationem sumus in die districti judicii reddituri, cum qualitate diversorum negotiorum nostrorum et imperii per nonnullas et diversas partes majestatis nostre presentiam necessarie requirente, in partibus ipsis morari continuo presentialiter nequeamus, ne majestatis nostre presidio et justitia careatis, ecce pro recuperatione ac defensione nostrorum et imperii jurium et honorum, conservatione boni et pacifici status vestri et viva guerra nostris rebellibus inferenda, de fidelitate, industria et strenuitate Thomasii de Sabaudia comitis dilecti consanguinei et fidelis nostri ab experto plenarie confidentes, ipsum nostrum et sacri imperii generalem legatum in partibus ipsis duximus statuendum, nec eum sola legati potestate volumus esse contentnm, sed ei adjicimus officinm presidatus; concedentes ei merum et mixtum imperium et gladii potestatem et ut in facinorosos animadvertere valeat, purgando commissam sibi provinciam (2), in eos specialiter qui

(1) Locus certissime mutilus, licet ex originali depromptus asseratur, si eum conferas cum documentis supra laudatis.

(2) Deest aliquid, scilicet *in malefactores inquirat.*

stratas et itinera publica ausu temerario violare presumunt, criminales, civiles et liberales audiat et determinet questiones, quarum cognitio si nos presentes essemus ad nostrum judicium pertineret, puniendos inquirens et puniens inquisitos. Decreta utique interponat que in alienationibus rerum ecclesiasticarum et minorum ac transactione alimentorum secundum justitiam interponi solent, et ut minoribus et majoribus quibus universalia jura succurrunt causa cognita restitutionis in integrum beneficium largiatur, plenam sibi concedimus potestatem. Ad audientiam quoque ipsius appellationes deferri volumus quas a sententiis ordinariorum judicum ac eorum omnium qui jurisdictionem ab imperio nacti sunt infra regionem ipsam et ejus terminos contigerit interponi, nisi forte vel cause qualitas vel numerus appellationum hoc adimant appellanti, ut tamen a sententiis suis ad audientiam nostram libere valeat provocari. Ordinandi quoque judices et notarios plenam eidem legato conferimus potestatem. Quocirca dictum comitem legatum et presidem nostrum et imperii, ut diximus, in regione prefata a nostra majestate statutum tanquam presentie nostre speculum sincere devotionis affectibus admittentes, eidem super omnibus et singulis que ad commissum sibi legationis et presidatus officium, ut superius est expressum, pertinere noscuntur, tanquam majestati nostre persone ad honorem et fidelitatem nostram intendere, obedire et parere efficaciter debeatis, ut devotionem vestram proinde de bono in melius dignis laudum preconiis extollamus.

Datum Beneventi, anno dominice incarnationis MCCXLIX, mense junii, septime indictionis (1).

Beneventi, 21 junii.

Fridericus, Romanorum imperator, comiti Thomasio de Sabaudia pro gratis ejus servitiis quae contulit et in antea conferre po-

(1) Adest in archivo Taurinensi sub eodem fasciculo, n° 23, alterum ejusdem concessionis exemplar, ipsi tamen Thomasio directum, ubi diem mensis notatum esse dicunt, videlicet Wurstemberger 21 junii et Cibrario (*Hist. di Savoia*, t. II, p. 52, not. 3), 6 julii; verisimiliter tamen in hoc ultimo 6 [*kalendas*] *julii* subaudiendum est, quod 26 junii sonat.

terit gratiora, concedit ut in civitate Taurinensi pedagium decem solidorum monetae provincialis de quocumque trosello exigat, computatis in hoc veteri septem solidorum pedagio, quamdiu haec praesens gratia duraverit percipiendum.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 209, n° 1164, ex copia in archivo Taurin.; et ap. WURSTEMBERGER, *Peter der zw. graf. von Savoy.*, t. IV, p. 121, *Urkund.*, ex invent. diplom. imper., fasc. I, n° 22.)

Datum Beneventi, anno dominice incarnationis MCCXLIX, XXI junii, septime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Guillelmo Tunnono (1), Terrae Laboris et comitatus Molisii magistro camerario, dat in mandatis ut Gualterio de Ocra electo Capuano restitui faciat omnia bona quae quondam Petrus de Vinea proditor, Thomasius ejus frater atque Taffurus et Angelus de Vinea e concessione ecclesiae Capuanae possidebant, et quae postea imperiali curiae fuerant devoluta. Beneventi, 26 junii.

(Memorat. his verbis a FR. DANIELE, *Sepolcri reali di Palermo*, p. 86, nota. Qui quidem addit : *Il qual bellissimo monumento tuttavia inedito si conserva presso di me.* Unde maxime desiderandum hoc documentum una cum aliis periisse, cum pretiosissima de rebus Friderici II collectio a Daniele comparata post mortem ipsius dispersa fuerit. Argumentum igitur tantummodo nobis exhibere licet, notasque chronologicas quae sunt ita :)

Datum Beneventi, XXVI junii, septime indictionis.

(1) Supra vero dicitur Turrione. Cf. p. 718.

Senis, 6 julii.

Gualterius de Capua, receptor imperialis in Tuscia, de mandato Friderici de Antiochia confitetur recepisse a camerario communis Senensis CCCL libras denariorum pro aestimatione LXX marcarum argenti quas dictum commune solvere tenetur annuatim.

(Inedit. ap. archiv. comm. Senens., pergam., t. V, n° 438.)

Anno Domini millesimo CCXLVIIII, indictione VII, die II nonas julii. Ego magister Gualterius de Capua, receptor et expensator pecunie imperialis in Tuscia, a vobis domino Incontrato Tolomei camerario comunis Senensis solventi nomine et vice ipsius comunis, parabola et consensu dominorum Renaldi Alexi, Guinisi Venture et Guidonis Jacobi exquatuor provisorum dicti comunis et habita voluntate majoris partis consilii Campane, juxta preceptum factum per licteras domini Friderigi de Antiochia domini imperatoris filii, sacri imperii in Tuscia capitanei generalis, de solvendis michi marcis quas comune Senense solvere tenetur imperiali camere annuatim, non spe future numerationis confiteor recepisse et in veritate habui et recepi CCCL libras denariorum Senensium, pro extimatione septuaginta marcarum argenti ad rationem centum solidorum pro qualibet marca, quas dictum comune solvere tenetur imperiali camere annuatim, et in his renuntio exceptioni non numerate et non recepte pecunie et non estimatarum marcarum et rei dicto modo non geste et omni juris et legis auxilio. Actum Senis, coram domino Alberto Ranerii, domino Bonricovero judice, Palmerio Vive et Romano notario et aliis testibus presentibus.

Ego Jacobus quondam Ranerii de Quinciano notarius predictis interfui et ea rogatus scripsi et publicavi.

Fridericus, Romanorum imperator, Ludovico regi Francorum, existenti in partibus ultramarinis, condolet de disgregatione classis ejus, precaturque ut sibi de continentia status et processus rescribat. [Julio.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. XXII; coll. cum codic. Biblioth. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 8567, et *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455.)

Fredericus, etc., L. illustri regi Francorum, etc. Generali qua cunctos amplectimur fidei participatione christicolas, sed speciali qua vestram pura diligimus affectione personam, inter diversa tot et tanta curarum genera, que cogitationibus nostris indesinenter occurrunt, precipua reddimur cordis anxietate solliciti, et affectamus instanter de vobis audire veridica nova que placeant, et scire plenarie in Terre Sancte subsidium vestre peregrinationis eventum, velut qui (teste summo judice) semper ipsam amore negocii desideravimus prosperam, et affectione persone semper votorum conformitate felicem. De cujus etiam ingressu negocii, velut in tam valida rerum et temporum tempestate tentato, res quippe solliciti plena timoris, amor quem ad progenitores vestros et vos habuisse suaviter memoramur illesum, timidos nos crebro reddit, et multotiens etiam dubitare coegit ne votis communibus absonum infestis auspiciis exitum sortiretur. Inter has siquidem anxietates et sollicitudines, quas eventus futuri dubietas nostris affectibus ingerebat, volatilis fame garrulitas, variis discussa relatibus, supervenit : que veritatis utinam vacuas recitationes eructans, classis regie stolium, fidelium dudum sancto proposito non sine magnis laborum et sumptuum profusionibus congregatum, in tempestate maris et fluctuum, quibus non nisi divine potestatis autoritas imperat, colluctatione ventorum asseruit disgregatum (1). Ex

(1) Illa tempestas quae regis Ludovici classem dissipavit dum e Cypro ad littus Aegypti tenderet, circa finem mensis maii accidit.

quo tanto vehementioris causam turbationis assumpsimus, quanto personam vestram pre cunctis mundi regibus et principibus synceriori charitate diligimus, et quanto per id multorum Christi fidelium nobiscum intentione suspensa, Terre Sancte excidio, que Gallicarum virium tam proximum subsidium expectabat, devotis affectibus condolemus. Ista tamen varia relatione perplexi, credere simpliciter loquacis fame relationi noluimus, donec super his veritas, que dubietatis hujusmodi turbines abluat, nobis lucidior patefiat. Propter quod. . . . . latorem presentium ut ad nos redeat vestri processus (utinam felicis) noticia instructus assertor, ad vestram presentiam specialiter duximus destinandum. Vellemus nihilominus fluctibus placatis Italicis, vobis esse locorum habilitate vicini; ut qualitercunque res ipsa se habeat, opem non literis tantum, sed aliis subsidiis vobis nostre magnificentie dextera destinaret : que tamen in quantum negociorum et temporum qualitas patitur, non minus libenter vobis offerimus quam nobis ipsis aut uni quem chariorem habemus ex nostris filiis presentamus. Dilectionem itaque vestram rogamus attente quatenus de statu et continentia vestra ac stolii vestri processibus anxia nostre serenitatis intrinseca renovetis.

[Julio.] Fridericus, Romanorum imperator, B. reginae Francorum scribit se nuntio Alfonsi comitis Pictaviensis filii ejusdem reginae saumas frumenti et hordei bonosque dextrarios assignavisse, concessa eidem licentia necessaria quaelibet de regno suo emendi et extrahendi.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. XXIIII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 8567, et *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455, et cum codice Guelbertitano necnon Mediomont. Phillippsensi.)

Fredericus, etc., illustri regine Francorum, etc. Multa sunt que vobis et vestris libenter placere nos admonent, dum multipliciter hactenus vos

et vestros nobis placuisse recolimus, et placituros in antea firmiter opinamur. Sed ex his debitum tantummodo mutue dilectionis exsequimur, ut a quibus nos amari conspicimus eos amicabiliter diligamus. Unum verumtamen ad hoc expresse nos excitat et quodammodo necessario nos inducit, quod dum L. illustrem regem Francorum et alios filios vestros, quos pura mentis affectione diligimus, non sine providentie vestre consilio quo salubriter regnum Francie gubernatur, Terre Sancte negocium tam libenter quam utiliter conspicimus assumpsisse, ad prestanda sibi super hec munificentie nostre suffragia tanto libentius invitamur, quanto per id publico bono fidei christiane consulitur, quantoque negocium ipsum nos pre ceteris orbis terre principibus quasi quadam specialitate sollicitat, ac etiam super hoc nostrum principaliter interesse versatur. Vellemus etenim (teste Deo) ad prosecutionem tam sancti propositi personaliter nosmetipsos adducere, ut qualiter et quantum nos ejusdem negocii cura perangit, tantorum principum comitiva suffulti, personaliter monstrare possemus. Sed concepta jam dudum vel obstinata quin potius pape nostri duricie, dirus christiane Sedis antistes, cui excidia tot et tanta vix displicent, dum eisdem voluntarius se immiscet, prout universalis hec notio publicat, et vestre serenitatis industria, sicut pro firmo credimus, non ignorat, impedimenta continua nostris processibus objicit, et expleri nostra desideria non permittit. Vellemus nihilominus, dum ad prosecutionem tanti negocii personalia non possumus adjuvamenta porrigere, rerum victualium subsidia ministrare, nisi caristia victualium, que duobus jam preteritis annis in regno nostro invaluit et presentem etiam non omisit, nostre provisionis ordinem, quem super hoc liberalitas nostra libenter conceperat, prepedisset. Nec tamen propterea pati potuimus quin vestra et filiorum vestrorum dilectione commoniti, et tam salubris negocii commodo persuasi, vellemus potius nobis ipsis et fidelibus nostris regnicolis in ipsorum victualium erogatione deficere, quam predictis filiis vestris et aliis regni vestri fidelibus, qui per se vel nuncios suos per regnum nostrum transitum habuerunt, in tam laudabili et felici peregrinatione deesse. Nuper etiam vestrorum interventu precaminum, que nolumus nec novimus obaudire, A. comiti Pictaviensi, dilecto filio

vestro, per Johannem de Trecis (1) nuntium suum mille saumas frumenti et totidem hordei de horreis nostris et L (a) bonos dextrarios de liberalitatis nostre munificencia duximus destinandos, concessa sibi nihilominus a majestate nostra licentia quod ad opus ejusdem comitis necessaria quelibet in regno nostro libere valeat emere et extrahere, prout suis et familie sue usibus viderit opportuna. Ad hec profecto que diximus, que vestra et filiorum vestrorum augmenta respiciunt, in quantum negociorum et temporum qualitas patitur, nos in antea votis ardentibus promptos et benevolos offeremus.

[Julio.] Fridericus, Romanorum imperator, regi Francorum significat quod mittit dextrarios et victualia Alfonso fratri suo, in subsidium Terrae Sanctae proficiscenti.

(Edit. ap. *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. XXIII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455, et cum aliis tum Germaniae, tum Angliae codicibus.)

[Fredericus, etc., regi Francorum, etc.]. Semper hactenus, ut loquamur ad literam, continua propositi tenacitate firmavimus qualiter vos et vestros, quos pure mentis affectione diligimus, operis evidentis indiciis honorare possemus. In cujus propositi tanto fortius prosecutione persistimus, imo robustius animamur quanto vos crucis negocium in Terre sancte servitiis (de cujus succursu celeri pre ceteris orbis terre principi-

(a) Alias LX; in cod. 8567, simpliciter *decem*.

(1) Hoc nomen addimus ex codicib. Bibl. Guelferbitanae et Mediomontanae. Johannem istum de Trecis seu Treucis unum fuisse ex baronibus Francis in Syria constitutis comperimus ex Pauli, *Cod. dipl. di Malta*, ubi instrumentum exhibetur quo Johannes et Simon de Treucis Hospitalariis quamdam donationem conferunt. Dat. Acon, 3 aprilis 1245.

bus precipua nos cura sollicitat), tam libenter quam viriliter assumpsisse videmus. Ad quod vellet personaliter et potenter una vobiscum ad presens (teste supremo Judice) potentie nostre virtus insurgere, ut ubi maxime res nostra agitur, tantorum principum societate tam gratifica comitiva suffulti, gaudere possemus, nisi concepta dudum vel antiquata quin potius pape nostri nequitia, tam in his quam in aliis, prout universalis jam notio publicat, nostris desideriis obviaret vel repugnaret. Vellemus nihilominus, dum personalia non possimus adjuvamenta porrigere vobis et genti vestre, de suffragiis aliis et opulentia regni nostri magnifice providere, si caristia victualium que in regno nostro duobus jam preteritis annis invaluit, et potestatem inclusit voluntatis nostre, quam super hoc promptam et paratam offerimus, non obstaret. Quanquam igitur vobis et vestris, causis quas diximus, nostre serenitatis affectio non valuerit, sicut voluit, amicabiliter providere; nihilominus tamen vestra dilectione commoti et tam salubri commodo persuasi, maluimus nobis ipsis et fidelibus nostris regnicolis in ipsa victualium subtractione deesse, quam vobis et fidelibus vestris et aliis regni vestri nobilibus qui per regnum nostrum transitum habuerunt, in tam utilis et sancti propositi persecutione deficere, in quibus vestris et eorum necessitatibus nostra posset liberalitas subvenire. Nuper enim ad ostendendum pure dilectionis indicium, quam ad vos et vestros semper habuimus et habemus illesam, Johanni de Trecis (*a*), nuncio A. comitis [Pictaviensis] (*b*) charissimi fratris vestri, mille saumas de victualibus curie nostre et L dextrarios fecimus liberaliter assignari, dicto comiti pro viagio suo (1) ex parte nostre celsitudinis presentandos; concessa sibi nihilominus a majestate nostra licentia quod ad opus ejusdem comitis necessaria in

(*a*) In impresso *de Loco*, male; in cod. Guelferb. *de Grecis;* in cod. Medlomont. *de Trecis*. Vid. supra, p. 748, not. 1.

(*b*) In impresso *Tholosani*, menda evidens; nomen in caeteris codicibus deest.

(1) Alfonsus comes Pictaviensis apud Aquas Mortuas navem ascendit 25 augusti 1249 et Damiatam advectus est die dominica ante festum SS. Simonis et Judae (24 octobris).

regno nostro libere emere valeat, que pro ipsius et familie sue usibus viderit opportuna.

Melfiae, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, communi Maceratae fidelibus suis concessionem quondam per Henricum filium suum, imperii in Italia legatum, eis factam ratam habet et confirmat.

(Edidit Compagnoni, *Reggia Picena*, parte I, p. 111-112, ex originali in archivo Maceratae.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod commune Macherate fideles nostri per ambaxiatores suos ad nostram presentiam destinatos majestati nostre humiliter supplicarunt quod cum Henricus rex Sardinie sacri imperii in Italia legatus, dilectus filius noster, attendens dudum fidem puram et devotionem sinceram quam commune predictum erga servitia nostra gerit, auctoritate culminis nostri concesserit eis, etc. (*Memorantur ibidem ea quae rex praedictus in extenso per privilegium indulsit,* (1) *usque ad*) prout predicta omnia in scripto concessionis eis facte per regem predictum asserunt contineri, nos concessionem ipsam ratam habere et confirmare eisdem [de] nostra gratia dignaremur. Nos autem attendentes fidem puram et devotionem sinceram quam predictum commune Macherate erga nos et sacrum imperium actenus gessit et gerit, incommoda etiam et damna quamplurima que presentis turbationis tempore a rebellibus nostris propter fidelitatis sue quam ad nos habent constantiam pertulerunt, supplicationibus eorum benignum prestantes assensum, concessionem predictam, prout continetur in scripto a rege prefato eis facto, eis in fide ac devotione nostra persis-

---

(1) Verisimiliter illud privilegium quod supra dedimus ad ann. 1239, mense novembri, t. IV, p. 540, licet Compagnoni se non specialiter ad id referat.

tentibus (1) ratam habemus et auctoritate nostri culminis, salvo per omnia jure imperii, confirmamus; mandantes ut nullus sit qui contra confirmationem presentem memoratum commune super premissis impediat aut perturbet; quod qui presumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus autem confirmationis memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum per Belprandum de Cusentia notarium et fidelem nostrum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Melfie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo nono, mense augusti, septima indictione, imperante domino Federico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno vigesimo nono, regni vero Sicilie quinquagesimo primo, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, Meinhardo comiti Goriciae capitaneo suo in Styria auctoritatem concedit recipiendi et fidelibus suis obligandi omnia bona quae patriarcha Aquilegensis, electus Salzburgensis et alii praelati infideles in Styria et Carniola possident. Foggiae, octobri.

(Edit. ab Emmert, *Monum. Tirolensia;* ap. Chmel, *Osterreichische Geschichtforscher*, t. I, p. 570.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis

(1) Non tamen diu in fide imperatoris Macerata perseveravit, dum illam mox in Ecclesiae partes conversam inveniamus ex litteris cardinalis Petri Capoccii, datis apud Maceratam XVI kalendas decembris (16 nov.) 1249, quibus iste legatus hominibus Maceratae confirmavit terram castri Lornani quod ope Theutonicorum et Sarracenorum, Friderici fautores tunc penitus destruxerant. Cf. Compagnoni, *Ibidem*, p. 116.

imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum nos M. comitem Goricie dilectum fidelem nostrum capitaneum Stirie duximus statuendum, omnes possessiones et omnia bona que patriarcha Aquileiensis, electus Salzburgensis ac alii prelati qui fidem et devotionem nostri nominis abjurarunt, in Stiria et Carniola tenent et possident, ad manus nostras recipiendi et ea omnibus illis qui ad cor reversi ad fidelitatem et servitia nostra redire puro corde voluerint, obligandi, eidem comiti plenam contulimus potestatem; quicquid idem comes de predictis possessionibus et bonis capiendis et supradicto modo obligandis fecit vel in antea fecerit, ratum et firmum inviolabiliter habebitur (*sic*). Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Actum Fogie, anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo nono, mense octobris, octava indictione.

Foggiae, octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, gratam habet obligationem per comitem Goritiae capitaneum suum in Styria H. comiti de Ortemburg apud Grazlup pro sexcentis marcis argenti factam.

(Edit. ap. Chmel, *Fontes rer. Austriac.*, diplomataria, pars I, p. 20, ex originali in arch. Vindobon.; memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 209, n° 1169.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum nos M. comiti Goritie capitaneo Stirie, dilecto fideli nostro, obligandi de possessionibus nostris in Stiria et Carniola pro servitiis nostris plenam contulerimus potestatem, obligationem factam per eumdem comitem H. comiti de Ortemburch dilecto fideli nostro apud Grazlup (1) pro sexcentis marcis

(1) *Grosslup* in Neustadensi regione, in Karinthia.

argenti, ratam gerimus et acceptam (1). Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum Fogie, anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo nono, mense octobris, octave indictionis.

Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum cardinalis, Apostolicae Sedis legatus, commune Civitatis Novae sub protectione Ecclesiae recipit, eisque jura, honores et consuetudines confirmat, dum in fidelitate Ecclesiae perstiterint.

Apud Civitam Novam, 24 novembris.

(Edid. Marangoni, *Memor. sacr. e civil. di Civita Nova*, lib. III, p. 272.)

Petrus miseratione divina Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, Apostolice Sedis legatus, dilectis in Christo communi Civitatis Nove salutem in Domino. Intendentes corporum et animarum vestrarum paterno studio curam habere sollicitam ut adjuti nexu filiali Ecclesie matris amplexibus, ipsius gratiam plene consequamini et amorem, vos universos et singulos affectu benevolo prosequi volumus et favore gratie specialis, ut tanto libentius dicte matris beneplacitis adherere curetis quanto favorabilius scietis ipsam vestra commoda promovere. Propter quod vos et terram vestram recipientes sub protectione Apostolice Sedis et nostra, omnia jura vestra, honores, usus et consuetudines approbatas

---

(1) Muchar, *Gesch. der Steiermark*, p. 224, obligationem de qua hic mentio fit, ex Saalbuch S. Lamberti extraxit et inseruit : « Nos Meinhardus comes Goritie, capitaneus Styrie, etc. . . . . . . Ex injuncto nobis imperiali mandato capitaneatus officio Styrie, domino Hermanno nobili comiti de Ortenburch auctoritate imperiali predium provincie in Grazzlupp pro quadam summa pecunie obligavimus, ut domino nostro preclaro imperatori servitia exhibeat grata et accepta . . . Datum 24 augusti M. CC. XLIX. » Meinhardus postea capitaneus in Austria simul et in Styria nominatur, post ducis Bavariae resignationem. Cf. instrumentum 20 januarii 1250, apud Muchar, *ibidem*, p. 227.

manutenere et defendere volumus et in ipsius inviolabili gratia conservare et augmentare ipsas proponimus, sicut exegerint vestrorum suffragia meritorum; volentes quod privilegiis, possessionibus et tenutis quas habebatis ante guerram inceptam inter Ecclesiam Romanam et dominum Federicum imperatorem [et] tunc temporis tenebatis de jure tam in mari quam in terra, in posterum uti libere valeatis. Hec autem omnia et singula dum in Ecclesie fidelitate perstiteritis, vobis volumus observari. In cujus rei testimonium presens privilegium inde fieri fecimus sigilli nostri munitione roboratum.

Datum apud Civitam Novam, VIII kalendas decembris, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono (1).

---

(1) Ad ornandam documentorum seriem rerumque successionem elucidandam, chartarum a legatis Raynerio et Petro pro rebus Marchiae gerendis concessarum epitomen, quotquot invenire potuimus, nunc exhibemus :

A Raynerio cardinali Sanctae Mariae in Cosmedin, vicem domini papae gerente in Patrimonio, Tuscia, ducatu Spoletano et marchia Anconitana:

1248, 6 idus januarii (8 jan.), Tolentini. Pro hominibus Sancti Ginesii.

— 3 idus januarii (11 jan.), Tolentini. Pro monasterio Sancti Fermani ab hominibus Maceratae et Friderici copiis devastato.

— idibus februarii (13 febr.), Esii. Hominibus Esii possessiones confirmat eisque offensas in Ecclesiam illatas remittit.

— 3 idus martii (13 mart.), Anconae. Pro hominibus Montis Ulmi ab hominibus Maceratae, Roberto de Castilione et aliis Friderici fautoribus lacessitis.

— 5 nonas maii (3 maii), Anconae. Pro hominibus Cagli, « dummodo libere revertamini ad mandata Ecclesiae atque nostra. »

— idibus maii (15 maii), Racanati. Pro hominibus Montis Cosari adversus Civitam Novam et Gibelinos ferisbannitos.

— 2 julii, Cinguli. Contra Civitam Novam pertinaciter imperatori adhaerentem.

— 8 calendas augusti (25 jul.), Cinguli. Pro hominibus Morri de Valle a communi Civitatis Novae et a Richardo comite Theatino oppressis.

— 3 calendas octobris (28 sept.), Esii. Pro communitate Firmana.

1249, 3 idus martii (13 mart.) Firmi. Pro monasterio Sanctae Mariae de mente Senario.

A Petro Capoccio cardinali Sancti Georgii ad Velum Aureum:

— 16 calendas decembris (16 nov.), Maceratae. Pro hominibus Maceratae. Vid. supra, p. 751, not. 1.

— 8 calendas decembris (24 nov.), apud Civitatem Novam. Pro hominibus Civitatis Novae. Quod edimus.

Mutinenses inierunt foedus cum Bononiensibus et habuerunt duas potestates et recuperaverunt omnes suos captivos, et regem in vinculis dimiserunt. *Memor. pot. Regin.* ap. MURATOR., *Scriptor.* t. VIII, p. 1117. — Interea Mutinenses absque rege Encio et Cremonensibus qui capti erant eorum servitio, cum Bononiensibus pacti fuerunt (1). *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. 221. 15 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Conrado filio suo nuntiat victoriam in marchia Anconitana de Petro Capoccio Apostolicae Sedis legato et sequacibus ejus a suis reportatam, monens civitates hujus regionis ad suum dominium mox redituras. [Anno exeunte.]

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindub. *Philologus* dicto, n° 305, fol. 159 recto.)

Fredericus, etc., Cunrado nato suo, etc. Quia paterna (a) prosperitas

(a) Vox male exarata sub hac forma *patras*. Restitui quoque posset *patris*.

1250, 11 (?) idus februarii, Anconae. Pro hominibus Montis Cosari.
— 6 nonas maii (2 maii), Callii. Pro hominibus Callii (Cagli).
— 15 calendas junii (18 maii), Cinguli. Pro hominibus Montis Ulmi.
— 7 septembris, Camerini. Pro hominibus Sancti Ginesii.

(1) Hoc foederis pactum die mercurii quinto decimo decembris 1249, indictione VII, initum reperitur ap. TIRABOSCHI, *Memor. Moden.*, t. V, cod. diplom., p. 33, unde locum qui praecipue ad rem nostram attinet extrahimus, sub his verbis : « Item si dominus Federicus depositus vel dominus marchio Lancia vel dominus Icilinus de Romano vel aliquis alius de parte dicti domini Federici vel Cremonenses vel Papienses in totum vel pro parte venirent apud Regium vel episcopatum Reginum vel in episcopatum Mutinensem vel in alium locum, de quo dubitaretur ut venirent pro civitate Mutine recuperanda vel ingredienda, ille numerus hominum Mutinae de quo videbitur domino cardinali Octaviano ... teneatur venire ad civitatem Bononiae vel districtum, expensis communis Mutinae, etc. »

diligentem confortat filium et votivis successibus nostris que tue causam exaltacionis afferunt, gaudere te novimus, ad notitiam tuam perferimus quod divina favente potentia que nostrum sublimat imperium, de rebellibus nostris in marchia Anconitana quam Petrus Capotius Apostolice Sedis legatus et aliorum quorumdam proditorum nostrorum a fide nostra nefanda secta converterat, dum in Theutonicos aliosque fideles nostros ibidem nostris servitiis existentes sub signis clavium potenter irruerent, nonnullis ex eis preter duos nepotes ejusdem cardinalis aliosque famosos viros quos eodem modo fortune tribulavit adversitas, per conflictus bellicos nostro carceri (*a*) mancipatis, occisorum duo milia facti veritas ad audientiam nostram perduxit. Quo factum est ut quampluribus civitatibus ejusdem provincie que rebelles extiterant, ad dominium et fidem nostram conversis, civitates et castra residua de simili vestigia preparant dominium nostrum et gratiam repetendi. Nec dubium quin fortuna volubilis in Marchia et subsequenter in provinciis aliis in certaminis alea ludum redimens, nobis tribnat vicem nostram. Sed ne presentis epistole te lectio longa detineat, tam super premissis quam aliis excellentie nostre serviciis. . . . . latorem presentium ad te transmisimus interpretem veritatis, cui fidem indubitatam adhibeas [ut] per eum tibi proposita compleantur.

(*a*) In codice *carochio*, male.

ANNO 1250. — INDICTIONE 8.

Stephanus Capud de Picza de Sancto Germano, ad delegationem Nicolai Rufuli imperialis magistri camerarii Principatus et Terrae Laboris, vigore mandati imperialis cujus tenor inscribitur, rescindit permutationem factam per quondam magistrum Petrum de Vinea de quadam domo in Sancto Germano, quam Gualterius comes Manupelli eidem Petro dederat et idem Petrus commutaverat pro quadam petia terrae apud Capuam. Foggiae, 5 januarii.

(Inedit. ap. archiv. Mont. Cass., regest. pergam. Thomae decani, n° 52, fol. 85 verso.)

In nomine Domini nostri Jhesu Christi, anno incarnationis ejus millesimo ducentesimo quinquagesimo et tricesimo anno imperii domini nostri Frederici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, die veneris octavo decimo mensis madii, octave indictionis, nos Johannes hujus Capuane civitatis judex et Pascasius ejusdem civitatis publicus notarius presenti scripto declaramus prudentem virum magistrum Stephanum Capud de Picza de Sancto Germano ostendisse et representasse nobis quasdam litteras sibi transmissas a nobili viro domino Nicolo Rufulo, imperiali magistro camerario Principatus et Terre Laboris, sigillo ejusdem domini magistri camerarii munitas, continentie talis :

Prudenti viro magistro Stephano Capud de Picza de Sancto Germano dilecto amico suo, Nicolaus Rufulus, imperialis magister camerarius Principatus et Terre Laboris, salutem et dilectionem sinceram. Nuper a domino nostro serenissimo imperatore recepimus suas sacras litteras in hac forma :

Fredericus Dei gratia, etc., Nicolo Rufulo, etc. Supplicavit excellentie

nostre Gualterius comes Manupelli, dilectus familiaris et fidelis noster, quod cum dederit quondam magistro Petro de Vinea proditori nostro domum quamdam quam idem comes habuerat in Sancto Germano, et idem Petrus permutaverit postmodum domum ipsam cum quadam petia terre quam habuerat conventus Casinensis in Capua, que nunc cum aliis bonis ejusdem Petri per nostram curiam procuratur, ac nunc permutationem ipsam dictus comes revocari desideret, domum eamdem eidem comiti resignari ac prefatam petiam terre dicto conventui restitui mandare de nostra gratia dignaremur. Nos autem supplicationibus suis benignius inclinati, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus predicta permutatione rescissa domum ipsam eidem comiti sine difficultate restitui ac predictam petiam terre memorato conventui facias resignari.

Datum Fogie, quinto januarii, octave indictionis.

Cupientes igitur prescriptum imperiale mandatum exequi reverenter celeri complemento, cum ad ejus executionem non possimus personaliter interesse multis aliis serviciis curie prepediti, probitati vestre super hoc commictimus vicem nostram ex imperiali parte mandantes quatenus forma predicti imperialis mandati diligenter inspecta, juxta ipsius continentiam permutatione predicta rescissa, domum ipsam domino Raynaldo de Piscina nuntio et procuratori predicti domini comitis pro parte ejusdem ac predictam petiam terre memorato conventui debeatis restituere et pariter resignare, facientes fieri de restitutione et resignatione predicta ad cautelam nostram publicum instrumentum ad nos et ad curiam celeriter transmictendum.

Datum Ayrole, vicesimo januarii, octave indictionis.

Cujus auctoritate mandati dictus magister Stephanus in presentia nostri qui supra judicis et predicti notarii, presentibus et ad hoc vocatis et rogatis testibus notario Johanne de Serbato, notario Angelo de Jennario, Lauro Constantino, Martino notario, Michaele et Johanne de Aucto, rescissa permutatione predicta juxta continentiam sacri imperialis mandati superius exemplati, predictam petiam terre fratri Landulpho de Pedemonte nuncio et procuratori dicti conventus Casinensis pro parte ejusdem restituit et pariter resignavit. Unde ad futuram memoriam et tam impe-

rialis curie quam predicti conventus cautelam, hoc publicum instrumentum per manus Pascasii notarii prefati ego predictus judex exinde fieri feci subscriptionibus nostris qui supra judicis et predictorum notarii et testium roboratum. Hoc scriptum scripsi et meo consueto signo signavi ego Pascasius notarius et interfui Capue. — Ego qui supra Johannes judex. — Ego Johannes notarius testis interfui. — Ego Johannes de Accon (*sic*) testis interfui.

Fridericus, Romanorum imperator, Rainaldo de Brunforte auctoritatem concedit quod universitates et singulos de Marchia qui in suam fidem converti voluerint, nomine suo rursus in gratiam recipiat eisque offensas contra se et imperium commissas remittere valeat. Foggiae, februario.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 209, nº 1170, ex copia decimi octavi seculi in archivo Firmano asservata.)

Datum Fogie, anno Dominice incarnationis MCCXLIX, mense februarii, indictione octava.

Fridericus, Romanorum imperator, Cumanum Romaniae despotem monet se undique copias convocare cum quibus vere proximo in hostes suos procedere decrevit, precaturque quod stipendiariis quos ad se Johannes imperator destinare procurat, ipse per partes Romaniae usque Dyrrachium securum transitum praebeat. (Februario.)

(Versionem graecam seculo tertio decimo exaratam hujus epistolae hodie deper-

ditae, ex cod. Bibl. Laurent. Florent., n° 2725, edidit GUSTAV WOLFF, *Vier griechische Briefe Kais. Friedr. des zw.*, p. 22, et germanico sermone interpretatus est. Latinam nunc hujus versionis versionem solito curiae imperialis stylo accommodare quanto melius possumus aggredimur. De his litteris disseruit A. Reumont in *Archivo stor. Ital.*, t. IV, nuova serie, disp. I.)

[Fridericus etc., domino Michaeli Cumano Romanie despoti.] Valde sincerum erga nos tuum amorem circa res praesentes certificari volumus quod in ultimam rebellium nostrorum exterminationem et integram destructionem eorum qui nobis ex papali malivolentia adversantur, ut serenitas nostra bellicorum laborum quietem recipiat et omnes nobis subjecti in pace commorentur, immensam armatorum copiam undique non solum a provinciis et civitatibus imperii nostri, sed etiam ab omnibus nostri nominis fautoribus et affinibus apud diversos populos convocare sub vere proxime venturo decrevimus; non tamen quod vires potentiae nostrae in multitudine et potentia militum et peditum ad extremam inimicorum nostrorum confusionem alienis auxiliis indigeant vel thesauri nostri aliquam minorationem subierint, qua minus abundanter copiis nostris stipendia ministrentur, sed ut noscant adversarii nostri quantam nostra majestas potentiam habeat non solum a populo sibi subdito, sed etiam ab aliis principibus et gubernatoribus veris amicis et affinibus nostris. Nos enim non solum jus nostrum prosequi volumus, sed etiam proximorum, amicorum nobisque conjunctorum, quos purus in Christo sinceritatis affectus quasi contraxit in unum, specialiter autem Graecos affines et amicos nostros, de quibus supradictus iste papa, propter foedus et amicitiam quam habemus cum eis, licet christianissimi sint et piissime de fide Christi sentiant, suam [sicut] in nos effrenatam linguam commovit, impiissimos Graecos piissimos vocans et haereticos qui sunt maxime orthodoxi. Ad tale igitur laudabile propositum exequendum, dilectissimus gener noster imperator Johannes (1) promptissimum affectum quem erga nos gerit, sine intermissione demonstrare cupiens, manum ex suis archeriis et

(1) Agitur de Johanne Duca, qui Vataces ex graeco cognomine vocitatus, in ipsius Friderici litteris etiam Calojohannes nominatur.

armalis ad nos destinare procurat. Cum autem per partes tuas viri ad nos sic destinati transire debeant, tuum sincerum amorem quem clarum et inconcussum semper conservare volumus, deprecamnr quatenus ipsos per partes tuas salvos, securos et indemnes usque Dyrrachium transire permittas, dans eis propter gratiam nostram consilium et auxilium quo ad hunc locum quam cito perveniant. Ecce enim naves idoneas ad Dyrrachium transmittimus, unde iidem ad Brundusium accedere possint.

Fridericus, Romanorum imperator, cuidam capitaneo scribit, ut paret se ad procedendum cum ipso contra inimicos, cum quantitatem archeriorum a Calojohanne genero suo acceperit multaque alia praesidia ad extremam confusionem rebellium praeparaverit. [Circa aprilem.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. II; cap. IX; coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455, et *fonds Notre-Dame*, n° 202; In codice Phillippsensi titulus ita exaratur : *Fredericus duci Carentino;* quod nobis absonum videtur.)

Plenam dant nobis preterita fiduciam de futuris, ut, sicut te hactenus ex fide precipuum et ex industria specialem semper invenimus ad beneplacita nostra paratum, sic nativa tue devotionis excrescente constantia, quecunque nostrum et imperii honorem respiciunt, fideliter et sollicite promptis affectibus exequaris. Cum igitur presentium negociorum et temporum qualitas exigat fideles quoslibet in nostris servitiis multo virilius solito vires et animos exercere, devotionem tuam requirimus et hortamur, attente mandantes quatenus si unquam te dndum obsequiosum nobis et utilem prebuisti, fructuosiorem de cetero ex opere te presentes, ut fide tua per fructuum efficaciam succrescente, erga te munificentie nostre dexteram liberalius extendamus. Inter alias siquidem cogitationes nostri propositi, stabili tenacitate firmavimus ad partes. . . .

in manu forti et brachio extenso (a) personaliter nos conferre, ut fidelium nostrorum qui pro fidei nostre nomine et felici statu imperii personarum pericula et rerum dispendia non vitarunt, amplis premiorum retributionibus compensemus, et effrenam superbiam nostrorum rebellium, qui nunc de absentia nostra forsitan gloriantur, potentie nostre malleo conteramus. Nuper etiam ad roborandas in melius vires nostras Calojohannes illustris imperator Grecorum, dilectus gener noster, magnam nobis quantitatem archeriorum et gentis alterius destinavit (1); cum quibus et aliis magnificentie nostre presidiis, que preparavimus instanter, sic ad confusionem nostrorum rebellium proponimus victoriose procedere, quod potentie vicinitate perterriti, vix adjiciant ut resurgant.

Foggiae, 5 aprilis.

Thomasius Gentilis magnae regiae curiae magister justitiarius et Nicolaus de Trano ejusdem curiae judex litem contestatam memorant inter abbatem et conventum Sanctae Helenae ex una parte et Rigandasiam uxorem quondam Julii de Anglona ex altera super casalibus Montis Calvi et Tonniculi et tenimentis eorum, eamque juxta vigorem mandati imperialis cujus tenor inseritur, nonobstante privilegio a rege Conrado primo contra veritatem obtento, pro praedictis abbate et conventu dirimunt.

(Edidit GIOV. ANDR. TRIA, *Memorie storiche della città e dioces. di Larino*, lib. IV, cap. X, p. 468 et seqq. (Roma, 1744, 4°), ex charta in archivo capit. Larin. nimis negligenter transcripta.)

(a) In codicib. *excelso cito.*

---

(1) Verisimiliter agitur de isto subsidio cujus mentionem fecit imperator in suis ad Michaelum Comanum litteris. Vid. supra, p. 760.

In nomine Domini Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus MCCLVI, mense madii, quartedecime indictionis, regnante domino nostro Corrado secundo Dei gratia Hierusalem et Sicilie rege et duce Suevie anno secundo, feliciter amen. Nos Thomasius Gentilis magne regie et principalis curie magister justitiarius et Nicolaus de Trano ejusdem curie judex, presentis scripti serie declaramus quod cum olim denunciatum esset per dominum Rogerium procuratorem ut constitit domine Rigandasie uxoris quondam domini Julii de Anglona domino Roberto de Petrapervata (*a*) et judici Petro de Potentia, statutis per imperialem excellentiam reintegratoribus feudorum in Capitanata, quod abbas et conventus monasterii Sancte Helene (1) pro parte ipsius monasterii tenebant et possidebant casale Montis Calvi et casale Tonniculi cum tenimentis eorum que erant de demanio castri Laureti, quod castrum est predicte domine Rigandasie et specialiter ad feudum ipsius castri et ad ipsam dominam Rigandasiam pleno jure, ac peteret idem procurator pro parte ipsius domine cuncta casalia a predictis abbate et conventu sibi restitui et ipsum feudum castri Laureti reintegrari, cum diceret ipsum esse de dictis casalibus diminutum, reintegratores predicti recepta predicta denunciatione dominum Milonem abbatem predicti monasterii et conventum citare fecerunt ut pro se procurator sindicus vel actor sufficienter instructus coram eis in certo termino compareret, ut utraque parte super eadem denunciatione [litigante] procederetur ut deberetur. In quo termino comparuit coram eis dominus Enricus monachus dicti monasterii, procurator sindicus vel actor a predictis abbate et conventu legitime constitutus ut constitit, et facta sibi copia denunciationis precedentis et oblatis quibusdam articulis ad probandum a procuratore predicte domine per quod intendebat denunciata probare, per reintegratores eosdem fuit idem Enricus interrogatus de veritate dicenda, corporali prius ab eodem auctoritate Dei evangelica prestito juramento, et confessus est omnia et singula que in predicta denuncia-

(*a*) Verisimiliter *Pietrapennata*.

(1) Scilicet *Santa Elena in Pantasia*.

tione atque contra articulata a procuratore ejusdem domine continebantur. Dicti vero reintegratores ad majorem cautelam inquisitionem super predictis fecerunt, et ante apertnram ipsius citato domino Enrico ut compareret coram eis jura et actiones dicti monasterii ostensurus, quia non comparuit in termino sibi dato, citare fecerunt dictos abbatem et conventum nt cum privilegiis et defensionibus dicti monasterii procurator sindicus vel actor coram eis in judicio compareret. Quibus minime comparentibus nec per procuratorem sindicum vel actorem nec cunctos nec aliqnem qui saltem eorum absentiam excusaret, instante predicto procuratore dicte domine et eorum absentiam incusante, dicti reintegratores de baronum et jurisperitorum consilio, quia de intentione dicti procuratoris ejusdem domine eis plane constitit tam per confessionem dicti domini Enrici quam per inquisitionem ab eis factam, predicta casalia Montiscalvi et Tonniculi cum pertinentiis eorum revocaverunt ad domanium dicti castri Laureti, ad restitutionem eorum dictos abbatem et conventum pro parte dicti monasterii et ipsum monasterium pro dicto procuratore dicte domine pro parte ipsins et ejusdem domine condemnantes. Quod cum pervenisset ad notitiam dicti abbatis, ad pedes imperatoris se contulit et ab eodem ad reintegratores eosdem obtinuit litteras in forma subscripta :

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustns, Hierusalem et Sicilie rex, reintegratoribus feudorum in Capitanata fidelibus suis gratiam snam et bonam voluntatem. Porrecta culmini nostro abbatis et conventus Sancte Elene petitio continebat quod cum frater Henricus. monachus ejusdem monasterii, statutus procurator ab eodem abbate et conventu, ad vestram presentiam se conferret, privilegia et alias scripturas et jura ipsius monasterii ostensurus vobis, prout idem abbas et conventus fuerant pro parte curie nostre citati, Julins de Anglona eumdem monachum procuratorem eorum apud Casale Novum fecit acriter verberare; deinde ad suggestionem ipsius idem procurator coram jurato Casalis Novi de maledicto celsitudinis nostre extitit accusatus, et propterea per eumdem juratum captus et carceri mancipatus; propter quod in termino sibi prefixo coram vobis non potuit comparere cum juribus et rationibus

monasterii memorati, ac predictus monachus procurator perperam subductus a predicto Julio de Anglona et timore perterritus, confessus fuit coram vobis casalia Montiscalvi et Tonniculi ad jus et proprietatem dicti monasterii spectantia sicut dicunt, fuisse de feudo prefati Julii; propter quod idem monachus ad instantiam ejusdem Julii fuit a carcere liberatus et ab accusatione predicta: vos ad instantiam dicti Julii non visis juribus dicti monasterii ipsum ad amissionem dictorum casalium suorum et totius loci ejusdem monasterii que idem Julius dicebat pertinere uxori sue, contra justitiam condemnantes, ex sententia vestra, appellatione ab eis interposita ad audientiam nostram infra legitima tempora suspensa, dicta casalia et locus eidem Julio assignata sunt, juris ordine non servato, in eorum manifestum prejudicium et gravamen. Super quo supplicantibus sibi per nostram curiam secundum justitiam provideri, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus si est ita, omnino predicta in statum pristinum revocetis, et accersito abbate coram vobis jura monasterii audiatis et causam coram vobis partium assertione plene discussam juxta formam a nostra curia vobis datam terminetis et decidatis, justitia mediante, ut ipsis instantibus super hoc non subsit materia conquerendi.

Datum Foggie, V aprilis, octave indictionis.

Quo mandato recepto et citata per eosdem reintegratores dicta domina Rigandasia et comparente pro ea dicto domino Rogerio constituto procuratore ab ea ut constitit ad causam ipsam, dictus Milo abbas dicti monasterii pro parte ipsius in scriptis probare se obtulit que continebantur in imperialibus litteris suprascriptis, et dictus procurator dicte domine probare se obtulit quod predicte littere impetrate fuerunt ab eodem abbate tacita veritate, et totum contrarium ejus quod dictus abbas se obtulerat probaturum. Super quibus dato per eosdem reintegratores unicuique parti termino ad probandum, productis testibus et eorum dictis publicatis et facta ex eis utrique parti copia necnon exceptionibus hinc inde datis ad repulsam testium perducendam, et testibus super eis productis et publicatis rubricis assumptis, et solemni disputatione sequuta super viribus probatorum premissa renuntiatione ad sententiam est conclusum; et licet reintegratores predicti ex forma commissionis eorum

appellationi ab eis interposite non deferrent, quia tamen in ipsius terminatione negotii dubia quedam eis occurrerant, processum totum juxta formam commissionis eorum, scilicet quando eis dubium occurrebat, ad imperialem excellentiam transmiserunt, et dominus imperator commisit causam eamdem judicibus magne curie sue reintegratorum predictorum finaliter terminandam. Que causa (*a*). . . . . superveniente obitu ejusdem domini nostri Cesaris indecisa, nec terminari postmodum potuit prius[quam] serenissimus quondam dominus rex Corradus primus de medio sublatus est; de quibus omnibus per acta imperialis magne et regie curie facta nobis extitit plena fides. Nos vero qui supra magister justitiarius et judex, ad peticionem predictorum abbatis et conventus, citata legitime dicta domina Rigandasia et in termino sibi dato comparente pro ea apud Foggiam coram nobis Johanne de Roberto ab ea constituto ut constitit, visis et plene discussis juribus utriusque partis et. . . . . quodam privilegio domini regis Corradi primi ostenso in judicio pro parte ejusdem domine, in quo continebatur qualiter idem dominus rex confirmaverat primam sententiam per prefatos reintegratores latam contra predictos abbatem et conventum ad petitionem domini Julii de Anglona et pro parte dicte uxoris sue, et in fine ipsius privilegii continebatur *jus alterius partis penitus absorbentes;* quia privilegium ipsum obtentum fuit tacita veritate, tum cum non fuisset expositum in eo quod dominus imperator mandaverat, si constaret de his que abbas in sua petitione deduxerat, omnia in statum pristinum revocari, et sic causa ipsa pendebat : que si expressa fuisset, non est verisimile quod dominus rex contempsisset; tum et verba illa in privilegio predicto inserta, videlicet *jus alterius partis penitus absorbentes* parti predicti monasterii nullum poterant prejudicium generare, cum si ad illud quod de jure civili competit referant, non valeant nisi adjiciatur *ex certa scientia, non obstante tali lege,* vel si ad illud quod de jure gentium competit, videlicet circa dominium quod a jure gentium habemus quod est immutabile nec per imperatorem vel regem poterat immutari, cum ab iis non fuit

(*a*) Ibi et infra quaedam deesse videntur.

constitutum, habito diligenti consilio cum baronibus et aliis jurisperitis de consilio et commissione ipsorum, quia probationis (*sic*) dictorum abbatis et conventus plene nobis constitit de hiis que in predictis imperialibus litteris continentur, nec ex adverso probatum extitit aliquod per quod partis monasterii eliderent probata, processum predictum habitum per reintegratores et sententiam ab eis latam et possessionem auctoritate ipsius sententie parti predicte domine assignatam in scriptis ferentes [per] sententiam formalem in statum pristinum revocamus, restituentes possessionem dictorum casalium predicto monasterio memorato juxta tenorem imperialium litterarum. Ad cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem presens scriptum per manus Jacobi de Tocco magne regie et principalis curie. . . . . notarii fieri fecimus, nostris subscriptionibus roboratum. Actum in castris prope Beneventum, anno, mense et indictione supradictis.

Nos Thomasius Gentilis, magne regie curie magister justitiarius.

Nicolaus de Tocco (a) qui supra, magne regie curie judex.

Anno M. CC. L, indictione VIII, de mense aprilis, Ubertus marchio Pelavicinus potestas Cremonae . . . . . equitavit Pladanam, in qua Amadinus cum militibus Cremonae bannitis et berueriis Mediolani et Brixiae et Mantuae residebat; . . . quem et alios milites Cremonae duxit Cremonam, deinde apud Laudam in carceribus destinavit. Et tunc marchio Lancia potestas Laudis et dominus et vicarius pro imperatore a Lambro superius (1)

(a) Sic, sed supra *de Trano*.

(1) Notandum est quum ex his verbis conjicere liceat comitem Thomasium de Sabaudia anno praecedente mense junio generalem imperii legatum in his partibus constitutum (vid. supra; p. 744) suum munus non diu exercuisse. Cui officio utrum libenter renuntiaverit an rursus ad partes Ecclesiae declinaverit, non adhuc bene comperlum est.

ipsos ad casale Sancti Evasii destinavit, quos vel amore vel pecunia interveniente abire permisit : non enim bene se habebat cum Uberto Pelavicino ob invidiam. *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 221.

Foggiae, maio. Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Ludowici, primogeniti Ottonis ducis Bawariae, sententiam fert ut ad observationem fidejussionum, cautionum ac securitatum civibus Wormatiensibus, metu personae suae, praestitarum, nullatenus teneatur.

(Editum ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 307-308, num. DCCLXXXVI, ex origin. in archivo reg. dom. Bavar., unde sigillum nonnihil laesum appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus quod Ludovicus primogenitus ducis Bawarie, dilecti principis nostri, celsitudini nostre supplicavit attente quod cum cives Wormatienses, in ipsa civitate contra eum temere insurgentes, multas sibi et familie sue preter omne meritum suum injurias infligerent, metuque persone sue cogeretur ipsis fidejussiones, cautiones, ac securitates prestare quod suas in eos non ulcisceretur injurias (1), ipsum a fidejussionibus, cautionibus, ac securitatibus predictis, quas non sponte sed cohactus prestitit, prout justitia exigeret, absolvere dignaremur. Nos igitur supplicationibus suis que justitiam continebant, nequeuntes ullatenus refragari, ipsum a fidejussionibus, cautionibus et securitatibus, quas predictis

---

(1) Anno 1249, 22 augusti, Wormatienses insurgentes in servos Zurnonis marescalci ducis Bawariae hospitium Ludovici filii ipsius ducis invaserant, Bavaris quibusdam vulneratis seu etiam occisis. Quae discordia per litteras oblivionis tum a Ludovico, tum a Zurnone ipso confectas sopita fuerat. Cf. *Annal. Wormat.* ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 185-187.

civibus metu persone sue prestitit, sententialiter duximus absolvendum, ut ad observationem earum nullatenus amodo teneatur. Ad hujus igitur absolutionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum Fogie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo, mense madii, octave indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, regi Castellae conqueritur de papa qui sibi bellum inferens discrimina Terrae Sanctae non permisit evitari, monetque se audito casu regis Francorum, in regno Siciliae remanere, unde eidem regi subsidia facilius transmittere possit. [Maio vel junio.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. I, cap. XV; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455.)

Fridericus, etc. Pensantes amoris affectum, quem ad vos semper habuimus hactenus et habemus illesum, firmiter credimus ut sicut nos honorem vestrum et commoda libenter amplectimur, sic vos vice mutua (*a*) diligatis et nostra, que maxime causam vestram aliorumque regum et principum immediate contingunt, et in quibus non minus vestrum quam nostrum vertitur interesse. Latere vos quidem forte non credimus qualiter pontificalis ambitio, in imperialis honoris impendium et aliarum dignitatum secularium, conata est semper hactenus jura nostra confundere et nostre potentie brachia conculcare, faciens cassare Romanum principem, ut ad reges et principes alios faciliorem habeat in sua cupiditate progressum. Papa quidem non advertens quot et quanta mundo dissidia ex hujusmodi turbatione proveniant, tractare non desinit qualiter hostes nostros contra nos temporaliter incitet, et fideles a nostra

(*a*) In codice *invicem*.

devotione subvertat: qui si rebus ordinarie procedentibus rectitudinis spiritu duceretur, deberet contra christicolas arma deponere et in Terre Sancte subsidium, quam quolibet inspicimus auxilio destitutam, universaliter a Christi fidelibus advocare (a) succursum. Preter alia namque discrimina, que per unionem sopiende discordie inter nos et summum pontificem procurandam, totus fere jam mundus potuit evitare, nunc miserabili casui, quem non sine fidei dispendio audivimus evenisse in partibus transmarinis, fuisset forte salubriter et adcurate provisum; cum ibidem nostram vel filiorum nostrorum presentiam, quam libenter et frequenter obtulimus, habere potuerit fructuosam, si petite per nos multoties pacis favere negocio voluisset. Nos enim qui propter honorem catholice fidei sacrosanctam Romanam Ecclesiam in omnibus reveremur ut matrem, libenter ut patrem summum pontificem coleremus, si ipse nos ut filium debita relatione tractaret. Sed sic in negocio ipso jura nostra defendimus, ut non solum nobis, sed vobis et principibus aliis gloriam de nostra defensione portemus. Vos tamen, quorum in hoc non minus vestra causa quam nostra nunc agitur, et in quos de facili posset hujusmodi refundi negocium, sic aperte videmini presentia facta negligere, vel super eis potius dormitare, tanquam si vos in nulla parte contingerent, et de honore nostro cura vobis sollicitudinis non adesset. Quis enim cautele modus in vobis et regibus aliis in casu simili remaneret, si causam ipsam Romanus Augustus desereret? Vel quorum humeri ad onera ista portanda sufficerent, si colla nostra subtrahere ab eorumdem onerum supportatione vellemus? Verum cum iste Romane Sedis antistes, ab ea forsitan devians pietate quam predicat, quocunque modo poterit (licet contra nos suum posse non valeat) tam in imperio quam in regnis nostram nitatur offendere majestatem, motus nostros arcere non possumus quin causam nostram et aliorum injuriam viriliter tueamur. Requirimus igitur et adfectionem vestram rogamus attente quatenus diligentius advertentes qualiter summus pontifex suis viribus, qui nihil habere debet cum gladio, non contentus, in alienam messem falcem presumptuosus immittit, et ut non longe petatur a vobis exemplum, qualiter in regno Portugalie hono-

(a) In codice *evocare;* minus recte.

ris sibi usurpaverit dignitatem (1), curas vestras et animos excitetis. Nos enim ad conterenda nostrorum colla rebellium, et expediendas insidias, que per papalem astuciam nostris processibus preparantur, post magnificum exercitum nostrum, quem ad partes Italie victoriose premisimus, personaliter illuc processissemus instanter; sed audito casu illustris regis Francorum (2), dilecti amici nostri, statim gressus nostros in nostrum regnum providimus revocandos, ubi de vasellis nostris et gente ac de suffragiis sic ultramarino negocio magnifice disponimus providere, quod dexteram nostre potentie, quam sibi liberaliter extendemus, celeriter sibi sentiat fructuosam. Non tamen ex hoc tales curas obmittimus, quin ad conterendas rebellium nostrorum reliquias potenter et viriliter intendamus. Ad hoc quicquid de servitiis nostris N. de. . . . devotus fidelis noster vobis dixerit, indubitanter affectio vestra credat et adimpleat cum affectu.

Fridericus, Romanorum imperator, Vatacio Graecorum imperatori genero suo respondet, miratus quod papa ad eum fratres Praedicatores et Minores sub religionis praetextu miserit; cujus papae et sacerdotum fraudes et inimicitias acriter et fuse memorans, dolet quod ipse Vataces ad ipsum pontificem ambaxiatores remittere voluerit. Monet tamen quod illius intuitu naves Dyrrachium destinabit quae eosdem ad se in regnum transvehant. [Maio vel junio.]

(Versionem graecam hujus epistolae ex cod. Bibl. Laurent. Florent. edid. Gust. Wolff, *Vier Griech. Briefe Kais. Friedr. des zw.*, p. 38 et seqq., eam ger-

---

(1) Regi Portugaliae quasi indigno, ad petitionem praelatorum in concilio Lugdunensi, fratrem ejus Alfusum coadjutorem et conservatorem regni Innocentius papa adjunxerat. Cf. *Nic. de Curb.* ap. Baluze, *Miscell.*, t. I, p. 199, et Raynald., *Annal. Eccles.*, 1245, §68, 1247, § 18.

(2) Hoc anno sexto die aprilis in Aegypto apud Mansoram Ludovicus IX a Saracenis devictus et captus fuerat. Quam cladem in meridiania Europae partibus divulgatam fuisse post unum circiter mensem arbitrari licet.

manico sermone interpretatus, eruditasque notulas addidit. Versionem nunc latinam sive potius restitutionem vicissim tentavimus.)

Fridericus Dei gratia etc., Johanni illustrissimo Graecorum imperatori, etc. Litteras serenitati nostrae transmissas ex parte majestatis tuae per Paedrytem familiarem tuum summa benignitate recepimus. Grata enim in illis continebantur et plurimum nostrae serenitati laetabunda de tua salute et successibus et de prosperis quae in praesentiarum circa Rhodum insulam feliciter contigerunt (1). Nos quoque per nostros vicissim commentarios sincero majestatis tuae affectui significamus quod celesti providentia suffulti et roborati valemus et feliciter vivimus, adversarios nostros quotidie debellamus, et a nobis omnia juxta mandata nostra diriguntur et gubernantur. De negotio autem in litteris tuis specialiter expresso, quomodo iste papa fratres Minores et Praedicatores ad majestatem tuam mittere potuit qui cum pontificibus Ecclesiae tuae confabulari debeant? Quod non solum serenitati nostrae, sed etiam pauperioribus spiritu quasi prodigiosum et insulsum videtur. Quomodo enim iste qui dicitur sacerdotum princeps, ante faciem omnium quotidie in te nominatim et in omnes Graecos tibi subjectos excommunicationem jactitans, orthodoxissimosque eosdem a quibus christiana fides ad extremos orbis fines pervenit, haereticos impudenti verbo vocitans, tales religiosos proprio suo motu ad majestatem tuam transmittere non expavit? Quomodo hic schismatis auctor sic dolose irrepsit ut irreprehensibilibus justificationem afferat? Quomodo iste sub sanctitatis falso velamine per sequaces suos et suae propriae voluntatis ministros, quasi apostatas fidei et scandalorum patratores Latinis sibi subjectis denuntiare non cessat qui ante et supra a principio pietate abundantes pacem in omnem terram evangelisaverunt? Quomodo hanc innatam antiquitus diabolico afflatu Romanis pontificibus in Graecos malivolentiam, quam non pauci magni et religiosi sacerdotes Christique servitores dicto et facto et votis continuis per longum praeteritum tempus extirpare non valuerunt, iste omnibus modis eamdem reno-

(1) Cf. *Georg. Acropolita*, cap. 47 et 48, p. 91 et seqq.

vans, frivolis sermonibus et dolosis stultorum hominum exhortationibus quasi in ictu oculi in amorem convertere pollicetur? Nonne iste est qui serenitatem nostram propter matrimonium majestatis tuae cum dilectissima filia nostra legitime et canonice contractum, irrationabili motus impetu publice anathematisavit, coram suo ab ipso congregato concilio causatus quod nos cum haeretico societatem et foedus inieramus? Unde isti sacerdotes nostri noverunt arma sumere adversus Christianos, loricas pro sacris induere vestimentis, pro baculo pastorali lanceas et pro calamo jaculos ferre amarasque sagittas, salutaria Crucis arma quasi parvipendentes? Quae generalis vel particularis synodus talia praecepit? Quis virorum conventus Deum prae oculis habentium haec confirmavit vel sigillavit? Si quis vero super hoc incredulus haberetur, sanctos videat cardinales et praelatos in terra nostro imperio subjecta bellica imo hostilia arma sumentes, quorum unus dux, alter marchio, alter vero comes secundum provinciam cujus regimen sortitus est, vocitatur. Hic enim phalanges ordinat, iste cohortes disponit, alter vero ad bellum viros incitat, quidam exercitum ducentes et signa levantes, isti bipennes et perticas deferentes (*a*). Suntne ista spiritualia et sacerdotalia pacis testimonia seu ad pacem exordia? Num talia statuerunt primi Christi discipuli? Quis autem tam simplex aut sensu destitutus qui tantam malignitatem non agnoscat, istos infamiae sacerdotes, seductores hominum falsosque prophetas nominans, in spiritu Heliae costas eorum ad holocaustum tradens ut tumidum aqua pectus cum lignis coacervatis igne consumatur (1)? O vulgi stultitia quae illis uno tempore et sine dilatione sanctitatem adscribit, eosque sanctos sub improviso constituit, sicut fabula gigantes! Tales sunt hodie pastores in Israel, Ecclesiae Christi non pontifices, sed lupi rapaces, bestiae feroces effecti qui populum Christi

(*a*) Locus in codice graeco mutilus, scilicet οἱ φιμμενοῦροι καὶ περδικατοῦροι, quem Wolff ita restituere conatus est οἱ βιπεννιφόροι καὶ περτικαφόροι. Forsitan ad *ingegneros* alluditur.

(1) Cf. *Lib. Reg.* III, cap. XVIII, vers. 19, 25, 33, 38.

devorant. Oh quot his diebus in Alemannia, in Italia et in circumquaque regionibus corrosi fuerunt, in servitutem redacti, occisi et in exilium per eorum machinationes profugati, quorum sanguinem de manu eorum juxta propheticum (1) requiret Dominus! Quomodo se dilatavit eorum malignitas ut ita sub eorum fraudibus homines incurventur? Prodiit tamen in lucem iniquitas eorum, et superba meditatus in angulo Lugduni (*a*) sub verecundia latitans ab omnibus tanquam mendacii pater despicitur. A praeceptis ejus multi diverterunt, et qui usque nunc cum isto sentiebant, nunc vias ejus abhorrent. Quot enim millia hominum causa ejus perierunt, quorum cadavera paulo ante juxta flumen Nili suscepit Ægyptus (2). Illud quoque non ignorat majestas tua, qualiter cum juramento mortem nostram asseruit ut fideles nostros a fidelitate nostra revocaret; qualiter servos servorum majestatis nostrae in Alemannia per vim sive per blanditias contra nos recalcitrare coegit. Quamdiu sacri redditus et proventus quos ab Ecclesia violenter extorsit, eorum processibus servierunt, in theatro mundi res eorum floruerunt et fuit eorum spiritus quasi rupes sub mari latitans induratus; ubi autem omnes thesauri evanuerunt, hinc et illinc in fugam conversi sunt, nostrae dexterae minas reformidantes. Praeterea nostram prudentiam non fugit quod res ita se habeat, sicut per tuas litteras nobis insinuasti. Isti autem Fratres quum in principio in partibus istis (*b*) morarentur, aliter de tua majestate sentire videbantur quam nunc, postquam contra eorum opinionem favorabiles tuae majestatis eventus (3) a nobis audierunt. Ex quibus absconditam in eis pravitatem agnoscere tua majestas potest, quod non propter fidem

(*a*) Hoc nomen graecus interpres non bene intellexit, quod signo lectu difficili et syllabo νῖ expressit. Proposuit autem Wollfius νυνί.

(*b*) Graece ἐνταυθί, scilicet *in regno*. De civitate ipsa Brundusio hic agi suspicatur Wollfius, p. 50, not. 1, Fridericum Brundusii tunc substitisse ratus.

(1) Ezechiel, III, 18.

(2) Ad cladem Francorum juxta Nilum prope Mansoram clare alluditur.

(3) Hic alludi arbitratur Wollfius ad varias clades quae tunc Latini ab imperatore Niceno acceperant. Cf. *Georg. Acropol.*, cap. 47.

sive symboli discussionem illuc progrederentur, sed nt juxta solitum morem zizaniam inter patrem et filium seminarent. Nempe statim ut affectionem majestatis tuae solidam et inconcussam et a dilectione patris inseparabilem invenerunt, ulterius procedere non ausi sunt, sermones suos ad colloquium indeterminatum remittentes, ut sub hoc velamine malignitas eorum tegeretur. Unde ex eorum talibns actibus quisque conjicere et concludere poterit quod non sunt rectae viae eorum et sordidi pedes eorum ad Evangelii praedicationem. Serenitas autem nostra tunm filialem affectum paterno modo increpare proponit quod sine patris consilio ambaxiatores ad papam mittere volnisti, amoremque tuum decuisset nostram prius requirere voluntatem. Ista enim experimento cognoscimus et talium malignitas nos non fugit. Sicut autem nos ex rebns sepe circumstantibus in partibus istis sine consilio tuo aliquid agere vel aggredi non volumus, ita partes tibi confines melius notae sunt majestati tuae quam nobismetipsis. Illa tamen quae majestas tua nobis significavit suscepimus, quasi nostrae voluntati et judicio convenirent. Et ecce naves! Sine mora sex alia idonea navigia a Brundusio Dyrrachium mittuntur pro traductione et salvo ambaxiatorum tuorum conductu, et aliquem ex curia nostra jam ad illos destinavimus, qui eos usque ad nos adducat et Fratribus mandet quod tamdiu apud Dyrrachium commorari debeant, donec serenitas nostra cum ambaxiatoribus majestatis tuae colloquium habuerit; tunc vero protinus navigia remittentur quae ipsos ad nos transvehant.

Innocentius papa communi Tolentini pro devota eorum erga Sedem Apostolicam fide, castrum Petini, possessiones et alia jura ad civitatem Tolentinum pertinentia, de quibus a Friderico quondam imperatore spoliati fuerant, de gratia speciali restituit. Lugduni, 3 junii.

(Edid. SANTINI, *Saggio di memor. di Tolentino*, append., n° 13, p. 274.)

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis communi

castri Tolentini Camerinensis dioecesis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice Sedis providentia consueta subditorum merita solertis deliberationis examine discutit, et que rationis judicio potiora diffinit, premiorum remunerat retributione majorum, uberioribus illa prosequendo favoribus et beneficiis plenioribus attollendo. Hinc est quod nos attendentes devotionis ardorem quo erga Romanam Ecclesiam fervere noscimini, eapropter volentes ut Sedem Apostolicam vobis sentiatis favorabilem et benignam, vestris supplicationibus inclinati, castrum Petini, possessiones ac alia bona et jura ad castrum Tolentini de jure spectantia cum pertinentiis eorumdem, licet forsan Fredericus quondam Romanorum imperator vel quicumque alius pro sue vos illis voluntatis libito spoliarint, vobis restituimus de gratia speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre restitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursurum.

Datum Lugduni, III nonas junii, pontificatus nostri anno septimo.

In campis prope Bisacciam, 28 junii.

Jacobus Capuae judex, ad petitionem fratris Simonis monachi Casinensis, pro parte monasterii ejusdem in publicum documentum transcribi facit mandatum imperiale fratri Benedicto procuratori bonorum quondam Petri de Vinea proditoris directum, quo jubetur ut vigore mandati prioris et instrumenti a Nicolao Rufulo dudum magistro camerario Principatus et Terrae Laboris confecti, monasterium Casinense non impetat nec perturbet in possessione cujusdam petiae terrae sitae in pertinentiis Capuae, quam monasterium ipsum praedicto proditori concesserat.

(Inedit. ex archivo Montis Cassini, Regest. Thom. decani, fol. 36 verso, n° 53.)

In nomine Domini nostri Jhesu Christi, anno ab incarnatione ejus mille-

simo ducentesimo quinquagesimo et tricesimo anno imperii domini nostri Frederici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, die veneris primo julii, octave indictionis, me Jacobum Capuane civitatis judicem frater Symon monachus monasterii Casinensis pro parte ejusdem conventus monasterii rogavit attente ut quasdam imperiales litteras imperiali sigillo cereo munitas, fratri Benedicto procuratori bonorum quondam Petri de Vinea transmissas, que penes ipsum fratrem Benedictum remanere debebant, ad opus et utilitatem dicti conventus per manus. . . . . . . Johannis notarii in publica facerem documenta transferri. Cujus preces utpote justas admittentes, ego predictus judex litteras ipsas mihi et predicto Johanni notario per prefatum fratrem Benedictum presentatas, presentibus et ad hoc vocatis et rogatis testibus notario Gualterio Bonucio, notario Patricio et notario Jacobo Guadelandi, vidi et legi et ipsas ex omni parte notavi perfectas et omni vitio et suspicione carebant. Quarum tenor per omnia talis est :

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, fratri Benedicto procuratori bonorum quondam Petri de Vinea proditoris, fideli suo, gratiam suam et bonam voluntatem. Pro parte venerabilis conventus monasterii Casinensis nostrorum fidelium fuit nuper expositum coram nobis quod cum ad supplicationem Gualterii comitis Manuppelli, dilecti fidelis nostri, Nicolao Rufulo dudum magistro camerario Principatus et Terre Laboris fuit per litteras nostras injunctum ut permutationem cujusdam domus ipsius comitis site in Sancto Germano factam cum quadam petia terre sita in pertinentiis Capue in loco qui dicitur Sanctus Pancratius, quam monasterium ipsum predicto proditori nostro concesserat, revocare deberet, ac idem Nicolaus dicta permutatione rescissa mandatum nostrum super hoc efficaciter fuit executus, et domo ipsa prefato comiti et predicta petia terre memorato monasterio resignatis, prout in instrumento inde confecto plenius asserunt contineri, tu occasione pretenta quod terram ipsam cum aliis bonis proditoris ejusdem tue procurationi commissis te asseris invenisse, monasterium ipsum super predicta petia terre indebite impetis et molestas, non permittens predictos fideles nostros terram ipsam pacifice possidere. Super quo sup-

plicationibus suis per nostram excellentiam provideri (*sic*), fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si est ita, predictum monasterium super ipsius petie terre possessione pacifica de cetero non impetas nec perturbes, eo nequicquam obstante quod in predicto mandato nostro dicta petia terre certis non fuit finibus limitata.

Datum in campis prope Bisacciam, vicesimo octavo junii, octave indictionis.

Unde ad futuram memoriam et predicti monasterii cautelam, presens scriptum publicum de predictis omnibus fieri feci per manus prefati notarii, subscriptione nostra et predictorum testium roboratum.

Hoc scriptum scripsi ego Johannes publicus Capue notarius et interfui et meo signo signavi Capue.

Ego qui supra Jacobus judex.

---

22 julii. Cono de Bercheim cum Matthaeo duce Lotharingiae concordiam agit de castro Estuphin aliisque feudalibus rebus, reservato quod poterit juvare dominum suum Fredericum imperatorem, regem Conradum filium ejus, comitem Rudolphum de Habsbourg et Ulricum dominum de Rappolstein.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 403, n° DXXXIX, ex tabulario duc. Lothar. Nanceii.)

Ego Cono de Bercheim notum facio universis presentes litteras inspecturis quod illustris vir dominus meus Mattheus dux Lotharingie et marchio pacem fecit mecum et cum filio meo Ludovico de omni querela et rancore quos habebat erga nos : tali modo quod ego deveni homo suus et ipse mihi contulit in feudo et homagio et dicto Ludovico filio meo vel aliis filiis nostris quos haberemus de legitimo matrimonio, castrum Estuphin cum omnibus appenditiis ejusdem castri, scilicet Sanctum Hippolitum et Anescheim; hoc salvo si contingeret quod puer qui dicitur Henricus comes

Alsatie filios haberet et possideret comitatum et dominatum de Werde et tantum faceret erga dominum meum ducem quod ipse dominus dux de jure redderet ei feudum prenominatum, scilicet castrum Estuphin cum appenditiis suis, ego Cono remanerem homo domini nostri ducis pro ducentis marchatis argenti quas mihi solvere teneretur infra annum. Propter quod ego reaccepi de domino meo duce in feudum et homagium decem marchatas terre de meo allodio quas ego debeo sibi infra annum adserere. Insuper ego Cono debeo reddere annuatim domino meo duci quindecim carratas vini, et filii mei qui dictum castrum tenerent . . . . redderent similiter domino duci dictas quindecim carratas vini, et vinum prenominatum debemus sibi conducere usque Wisembach bona fide. Sciendum est etiam quod dominus meus dux prenominatus debet se juvare de castro Estuphin contra omnes, quamdiu ego et heredes mei dictum castrum tenebimus, preterquam contra Ulricum dominum de Rappolstein et consanguineos meos. Preterea ego potero juvare dominum meum Fredericum imperatorem Romanorum et regem. . . . . . filium suum (1), comitem Rudolphum de Habspurg et Ulricum dominum de Rappolstein superius nominatum, non obstante juramento quod feci domino meo duci. Promisi etiam observare fideliter honorem domini mei ducis et bona fide commodum suum perquirere, et has conventiones predictas juravi bona fide tenere et inviolabiliter observare. In cujus rei testimonium presentes litteras sigilli mei munimine roboravi.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo, die martis ante festum beate Marie Magdalene.

Fridericus, Romanorum imperator, conventiones et pacta per — In campis prope Lacum Pensilem, [julio.]

(1) Dux enim Lotaringiae anno 1248 ad partes Ecclesiae et Willelmi de Hollandia declinaverat, sicut id comperimus ex instrumentis ap. D. Calmet, *Hist. de Lorraine*, t. IV, preuv., p. ccccLxv-ccccLxvii.

Gualterium de Palear comitem de Manupello et sacri imperii [in Marchia] vicarium generalem civitati Fermanae facta confirmat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, unelnreihbare stücke, p. LXXXV.)

Datum in campis prope Lacum Pensilem (1), anno dominice incarnationis MCCL. . . . .

In castris prope Lacum Pensilem, 26 julii.

Gervasius de Martina, imperialis justitiarius Capitanatae, vigore imperialis mandati cujus tenor inseritur, Cunterio imperiali castellano Trojae et judici Scalioni de Fogia mandat ut hospitalia quae domus Sancti Johannis Jerosolymitani, monasterium Montis Virginis et domus Sancti Sepulcri habent in Troja, non ulterius molestent, ita tamen quod nullum monachum vel confratres de Troja [oriundos] remanere in domibus ipsis permittant.

(Inedit. ex arch. monast. Montis Virg., ex pergam. origin., n° 73, vol. 124.)

In nomine Domini nostri Jhesu Christi, anno incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo, imperante vero domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, anno tricesimo, regni Ierusalem anno vicesimo quinto et regni Sicilie anno quinquagesimo tertio, die martis secundo mensis augusti, octave indictionis, apud Troiam, nos Minerrus imperialis Fogie judex et Rogerius de Gailico ejusdem et Apulie notarius, presentis scripti serie declaramus quod dompnus Martinus venerabilis monachus monasterii Sancte Marie Montis Virginum pro parte ipsius monasterii domino Cunterio imperiali castellano Troie et judici Scalionis de Fogia . . . . super custodiam terre, egregii viri domini Gervasii de Martina imperialis justi-

---

(1) Scilicet *Lago Pesole*, in Basilicata.

ciarii Capitanate litteras infrascriptas detulit, quarum continentia per omnia talis erat :

Nobilibus viris domino Cunterio imperiali castellano Troie et judici Scalionis de Fogia amicis suis, Gervasius de Martina imperialis justiciarius Capitanate salutem et amorem sincerum. Inter alia capitula in quodam sacro imperiali mandato noviter nobis missa, capitulum recepimus :

. . . . Cum ad loca venerabilia que divino cultui sunt exposita benignum semper propositum habeamus, hujusmodi perspicacione contradicti (?) fidelitati tue mandamus quatinus hospitalia que domus Sancti Johannis Jerosolimitani, monasterium Montis Virginis et domus Sancti Sepulcri habent in Troia tam in corporibus ecclesiarum et domorum quam in rebus et aliis possessionibus quas ibidem actenus rationabiliter tenuerunt, non ulterius molestes nec patiaris a tuis officialibus [molestari], nullum propterea monachum vel confratres in domibus ipsis eorumdem (a) de Troia moram trahere permissurus.

Datum in castris prope Lacum Pensilem, vicesimo sexto julii, octave indictionis.

Cujus anctoritate mandati vobis ex imperiali parte qua fungimur auctoritate mandamus quatinus forma prescripti imperialis capituli diligenter actenta, hospitalia que domus Sancti Johannis Jerosolimitani, monasterium Montis Virginum et domus Sancti Sepulcri habent in Troia tam in corporibus ecclesiarum et domorum quam in rebus et aliis possessionibus quas ibidem actenus rationabiliter tenuerunt, non ulterius molestetis vel permictatis ab aliquo molestari, nullum propterea monachum vel confratres in domibus ipsis eorumdem (b) de Troia moram trahere permissuri.

Datum Fogie, ultimo julii, octave indictionis.

Nos igitur dicti dominus Cunterius et judex Scalionis prescriptum mandatum predicti domini justiciarii exequi volentes, coram nobis et infrascriptis testibus, etc. . . . .

Sequuntur depositiones testium, unde constat monasterium Montis

(a) Sic, rectius tamen *oriundum*.

(b) Rectius *oriundum*, ut supra.

Virginis possidere in Troia decem domos, tria palacia, octo vineas, quatuor hortos et territoria novem, quae eidem per judicialem sententiam restituuntur.

(Circa julium.) Fridericus, Romanorum imperator, comiti Gualterio de Manupello in Marchia capitaneo grates agit de redditione civitatis Firmi, monens quod ipsum ad se revocare non proponit, donec plenam de rebellibus victoriam habuerit. De matrimonio filiae ejusdem comitis cum marchione de Hohenburg congaudet.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. XXXV; coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455, et *fonds Notre-Dame*, n° 202. In codice Mediomont. Phillipss. titulus ita exaratur *comiti Simoni;* quod minus aptum arbitramur.)

I

Inter gratitudines alias, que votis nostris accedere potuerunt, illam habuit serenitas nostra precipuam quod Marchia Anconitana et Firmana precipue civitas, quam emulorum nostrorum falsa suggestio a beneplacitis nostris aberrare coegerat, tue interpositione virtutis, ad viam rectitudinis et ad cultum nostre fidei se convertit. Ex quo preter alia tue devotionis obsequia, que te in conspectu nostre majestatis clarificant, hec specialiter te clariorem efficiunt et nostris obnixe visceribus impresserunt. Licet igitur tue devote virtutis experientia sibi ipsa sit stimulus, nec extrinseca motu exhortationis indigeat, devotionem tamen tuam monemus et hortamur attente quatenus processum ex precedentibus actibus presentibusque laudabiliter ad consummationis gloriam futura continuando perducas, ut sicut in his que tue industrie commisimus, hucusque quievimus, sic in his que facienda supersunt in posterum quiescamus.

II

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. II, cap. XXXIII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455, ubi clare rubrica : *comiti Gualterio.*)

Credere firmiter et tenere te volumus quod si absque periculo negociorum nostrorum fieri posse commode videretur, presentiam tuam quam fructuosam nobis clara semper demonstratione probavimus, libenter nostro lateri proximam videremus; ut nos tuis, que grata sunt nobis ubilibet, presentibus uteremur obsequiis, et tu nostris, quos familiares quantumvis absenti promittimus, placidis aspectibus letareris, velut qui sollicitudinibus variis et laboribus bellicis fatigatus nostram videre presentiam reputares ad otium, et letam inspicere faciem ascriberes ad quietem. Sed negociorum ipsorum natura, que laudabilem habuit hactenus te in partibus illis authorem, nostris tantisper et tuis desideriis repugnante, native quodammodo voluntati vim facimus; et donec gloriosus inde proveniat exitus, unde votivus (*a*) suscipitur continua successione processus, te de partibus ipsis ad presens non vidimus revocandum. Nollemus enim de [rebellibus nostris] laboribus et sudoribus tuis prompta dudum devotione dispersis, aliena meteretur falce victoria, et assumeret alius te in Campo Martio strenue currente triumphum. Sed cum plena sit nobis et proxima de regionis ipsius reformatione fiducia prebeatur (*b*), age viriliter, et spes pulchra te foveat quod te cum plenitudine glorie de rebellibus nostris assumpta victoria, libenter ad nostram presentiam revocare curabimus, et hilariter ad grate quietis participium admittemus.

Adest altera de eodem argumento epistola et sub eisdem verbis, praeterquam in duobus primis lineis, in *Petr. de Vin.*, ibidem, cap. XXIV, et ap. MARTENE et DURAND, *Vet. script. ampliss. collectio*, t. II, col. 1204, ex mss. Colbertino.

(*a*) In impresso *nocivus*, male.
(*b*) Hoc verbum deest in codice.

III

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. L; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202. In cod. Mediomont. Phillipps. titulus ita exaratur *duci Bawarie*, sed minus recte.)

Benignitate solita recepit nostra serenitas literas quas nostro culmini destinasti, et que continebantur in eis intelleximus diligenter. Ad quorum significata, devotioni tue taliter respondemus quod quia de facto Jacobi de N. per alias sacras nostre majestatis literas tibi scripsisse recolimus nostre beneplacitum voluntatis, expedire non videmus ad presens aliud exinde dare responsum. De alio vero quod scripsisti te juxta mandatum nostrum filiam tuam marchioni de Homburg (1) per conjugalem copulam tradidisse, nostre satis complacet majestati.

Messanae, 30 julii.

Vivaldus de Bona Morte bajulus Messanae cum quatuor judicibus sibi assistentibus, ad requisitionem Terrici Theotonici, Petri de Latiniaco, Johannis de Ala et Riccardi Anglici, sententialiter Guillelmum Mayum et Petrum Constantinum, dominos et partionarios navis Sancti Victoris, condempnat quod ad partes ultramarinas ad locum ubi est rex Franciae, transportent peregrinos quorum nomina in instrumento inseruntur.

(Inedit. ex originali in archiv. Cesar. Paris., *Trésor des chartes*, J. 455, n° 19.)

In nomine Domini, amen. Anno ejusdem incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo, penultimo die mensis julii, octave indic-

(1) In codice N. Dame, 202, *Embucho*, male. Agitur de marchione de Hohenburg, cui Gualterius comes de Manupello filiam suam Thomasiam in conjugem tradiderat, sicut ex instrumentis Cassinensibus satis patet.

tionis, imperii domini nostri domini Friderici Dei gratia excellentissimi Romanorum imperatoris semper augusti anno tricesimo, et regni ejusdem illustrissimi regis Jerusalem anno vicesimo quinto, regni vero Sicilie anno quinquagesimo secundo feliciter, amen. Dum nos Vivaldus de Bona Morte bajulus Messane et subscripti judices civitatis ejusdem in imperiali pretorio Messane more solito curiam regeremus super conquerentibus justicia ministranda, Terricus Theotonicus, Petrus de Latiniaco, Johannes de Ala et Riccardus Anglicus contra Guillelmum Mayo et Petrum Constantinum libellum obtulerunt in hunc modum : Terricus Theotonicus, Petrus de Latigniaco, Johannes de Ala et Riccardus Anglicus, peregrini, pro se et tanquam sindici seu actores constituti ab infrascriptis peregrinis quorum nomina sunt inferius annotata, proponunt contra Guillelmum Mayo et Petrum Constantinum dominos et parcionarios navis Sancti Victoris, dicentes quod predicti domini navis per se et per alios dominos et parcionarios dicte navis, statuti per eos ad hoc, locaverunt eis navem predictam et operas eorum pro certa mercede in Turonensibus constituta et soluta et in alia pecunia argentea et soluta, ut transportarent eos ad partes ultramarinas pro eorum peregrinatione complenda; et convenerunt et promiserunt per stipulationem sollepnem portare eos in dicta navi in viagio ultramarino usque ad Damiatam vel ubicumque dicta navis ire poterit per mare et portum faceret in predictis partibus ultramarinis, vel ubi esset rex Francie. Unde cum predicti domini navis una cum nave predicta possint possint (*sic*) ire quomomode (*sic*) in partes predictas, videlicet in Accon, et portum ibidem facere et specialiter cum rex Francie sit ibidem ut publice dicitur, petunt pro se et nomine quorum agunt servari eis fidem, conventionem, promissionem et legem in eodem contractu appositam secundum quod dictum est, et protestantur dapna et expensas. Nomina vero predictorum peregrinorum sunt hec : in primis dominus Marcualdus suppanus de Boemia cum triginta sex sociis suis, dominus Theodericus de Vindiberdi, dominus Ulandus Mane et socii eorum tres, Rocherus Solthetus et filius ejus, Elbertus de Heressenic, Henricus de Sterlar, Johannes de Elien, Olisterus, Friso, Judeni socii sui, Johannes Rapino, Gerardus de Saciani, Leonardus de Ponte Bantri, Robertus Perutuacius, Johannes Barbitonsor, Gualterius de Rachi,

Johannes de Scumonatis, Lambertus Huahin, Stepas montes, Matheus Burra, dominus Johannes canonicus de Templo, Guiccardus de Cusenci, Robin de Rohin, Sinvonnoyt, Guilot de Nongent, Guilot Henri, Amberar Daniel, Johannes Levy, Ramant Rolan, Stephanus de Bar super Albam, Johannes de Vacat, Thomas de Couli, Guido de Sancto Martino, Philippus de Sancto Martino, Guillelmus Puchieis, Petrus de Saviron, Gerardus de Catalegia, Guillelmus Ginrais, Erandus de Sancto Paulo, Petrus Caparon, Guillelmus Tenoyi, Guido cappellanus, Laureutius presbyter, Guarnerius de Loveres, Lecoardus de Leuvres, Bertrammus clericus, Egidius Raus, Henricus de Chaalons, Guillelmus de Sancta Peruna, Thomas de Reugi, Eustacius Poylaut, Robertus Conistramus, Poncius de Levialoncie, Guillelmus de Nii, James Raydis, Betramus de Vies, Nicolaus de Vies, dominus Obbertus presbiter, Bertinus Denies, Jacobus Piccaveni, frater Petrus de hospitali Sancti Johannis, Gerosus, Stephanus presbiter, frater Guillelmus, frater Thomas, fratres militie Templi, nuntii comitis Richardi fratris (*a*) regis Anglie pro novem personis, dominus Otto, dominus Simon militi (*sic*), Delefit camerarius pro viginti personis, dominus Rober de Nuiti pro decem, dominus Johannes de Templo pro quatuor personis, Galibertus et socii, Avilla Talosana, Bavillo Talosano pro quatuor personis, Riccardus, Guillelmus Mariscalcus, Goffridus Scottus, Thomas Anglicus, Guillelmus de Aloneta, Moises et Philippus, Johannes de Galardo, Ligier Arnulfus presbyter, Robertus de Roseto, Guillelmus et Simo fratres de Nongento, Ugo et Gaut socii, Gilbertus, Martinus, Rodulfus, Johannes, Guillelmus Bicart socii, Johannes Li repties, Guillelmus Barba, Bernardus Johannes Dangre, Gilo frater suus, Rogerius frater suus, Eliudis de Plalli, Oliverius Alamannus, Johannes Montanus, Gualterus Biauvet, Stephanus de Lesanna griara, Gilet de Sancto Johanne, Florencius Conse, Morencius de Deo Salvagio, Riccardus de Sancto Dionisio, Johannes de Vurelli, Gilopuyus (?), Stephanus Ucle Ansantolei de Sancto Dionisio, Menardus Pouliers, Gillayin Duranie, Arnulfus Gnipius, Johannes Sutor, Viabilla uxor sua, Itacius Gilot, Stephanus de Corbei,

(*a*) In charta *fratres*, male.

Ray uxor sua, Simon et Philippus de Mendres, Nicolaus de Monte retaut, Maranus Li justicies, Gualterius de Jaffes, Limeson de Toul, Gilbertus socius, Fulco de Bancle, Petrus de Satri et uxor sua, Perronus de Sancto Martino, Tiessa de Sanu, Philippus Lipicays, Rogerius Limengies, Thomas Li camer, Rogerins Darbon, Ytiers Gyaurcoy, Petrus Talleror, Guillelma de Lalande, Bernarda socia sua, Gullielmus Acies, Regnoni Lescuidiei, Gerardus Biocy, Guillelmus de Bordes, Stephanus, Gnillelmus Constans, Andreas de Ferbers, Pervit famulus navis, Proseluit (?), Adans de Hansis, Iteus Limalasiex, Lambertus de Herou, Gualterius Vidavaines, Rida de Labui Somale, Johannes Sauvage, Johannes Rigons, Oddo de Coulle, Drouars de Caulli, Rober Alanus, Guillelmus et Radulfus socii, Robertus de Liboyri Moynet, Itacius Ernous, Gilains, Petrus de Stampis et uxor ejus, Johannes et uxor ejus, Theobaldus, Berardus, Renandus de Lonuz, Johannes Stamperon, Michael, Garinns, Nevelo Aubinies, Peolinus Magot, Robertus, Johannes et Ancellina fratres, Guillelmus Gene, Laurencius Chappe, Johannes de Vita, Johannes major de Danlemant, Fulco de Beele et Gilebet socii, Salipies cum uxore Maria de Lnsevina, Falco de Felis cum uxore, Ogerins et Floria socii, Radulfus de Poylono cum uxore, Naulinius de Chadegen, Achart de Pollien, Stephanus Danse, Ugo Michael, Guillelmus Salvaticus, Baudan Fetia, Hernandus de Gratia serviens, Oliverius de Terminis pro quatuor personis, Rogerius Anglicus et ejus filia, Stephanus Henricus de Alneto, Jucies Divors, Philippa uxor sua, Pasca soror sua, Bercianus Garet, Johannes Gaoniers de Luset, Gerardus Le Tisor, Ogerius de Chabines, Pavia, Petrus Barbitonsor, Johannes de Sale, Renaldus Livaygnies, Clemencius de Brevol, Vicencius de Carinocco et uxor sua, Philippus de Camotto (*sic*), Thomas de Dinand, Guillelmus de Chanbli, Stephanus de Stampis, Jacobus Saracenus, Jacobus Probus, Nicolaus de Genevoys, Petrus de Sayton, Voy de Generes, Petrus de Mers et uxor sua, Ugo Cohimacios, Petrus de Vayre, Nicolaus Ramensis, Guillelmus Gioirs, Franciscus de Chalonsi, Petri Bonittus, Petri Simar, Thomas de Merdundo, Guillelmus de Borbera, Vincesius de Sunteri, Martinus Caurus de Monteferranti, Brunu Liprest, Perri de Cologna, Guillelma de Troi, Blanca Rivella, Guillelmus de Salone, Romit Sala-

meno, Adahihi Nicolau, Stephana Muntilla, Uga de Polaia, Ugo Flanu, Perri Rubertu, Perri Chaldran, Perri Varena, Perri de Ha, Perri Beli, Perrona de Riberat, Blancha, Guillelmus de Anselmo, Johannes de Roberto, Guillelmus de Sisac, Jacobus de Tasitu (?), Guillelmus Rui, Johannes Lonbardus, Johannes Bonus, Johannes Delcayru, Petrus Mussa, Bernardus de Busco, Guillelmus de Argellie, Emmonet de Terune, Oddo de Damfier, Poncius de Danpire, Guillelmus de Brage, Agnes uxor sua, Odurlandus de Vendone, Botridis uxor sua, Christianus de Busco, Achalonus de Sale, Gualterius Duperoi, Ropertus de Vendonia, Oliverius frater suus, Radulfus de Petra penta, Thomas Theseus, Guillelmus de Verdelo, Milie de Nichalons, Hernolfus presbiter, Robertus Jourdeue, Johannes de Guelardo, Ligeir de Catros, Johannes Berueyer, Durat de Albera, Blancha de Arura, Juenis de Argentaro, Michae de Nual, magister Petrus Chenu, Americus de Varac, Johannes Baruchun, Petrus Dumarchas, Rogerius de Nigro Monte, Petrus Bunvenu, Johannes de Brosiul, Alista de Lator, Petrus Alias, Petrus Bregero, Gaud Maurit, Johannes Nalo, Bernar Porret, Petronilla Porreten, Petrus Vigner, Johannes de Acia, Citador, Stephanus Estordi, Stephanus Filo, Petronilla de Ynsula, Petronilla Traiandeu, Guillelmus Martini, Goffredus Lologier, Maria Pediceta, Namerauria de Bevria, Bernar de Lepelos, Robin Lelit, G. Lelit, Robin Leu Contein, Oliver Leu Contein, Guillelmus de Monte Acuto, Guillelmus Le Bernuil, Johannes de Lahala, Rogerius de Manebit, Gualterius de Revitou, Alanus de Ponte, Guillelmus Anglicus, Henricus de Avort, Robertus Le Taleur, Henricus de Turquenbi, Julianus, Robertus comes Guescont, Adam Vegresun, Robertus Sutor, Guillelmus Renchon, Pe. de Merignat, Petrus de Glussello, Guillelmus Barbitonson (*sic*), Guillelmus de Cheseli et uxor, Guillelmus de Ybenia, uxor et filius ejus. Rei litem contestando confitentur se esse dominos et partionarios navis predicte, et quod dictus Petrus reus una cum Johanne Madio patre Guillelmi May rei predicti locaverunt navem eandem predictis Terrico Theotonico, Johanni de Ala et Ricardo Anglico pro se et pro quibusdam aliis peregrinis quorum nomina superius designantur, suprascripta mercede statuta per portandos eos apud Damiatam; cetera ut

proposita sunt negant salvis exceptionibus eorum. Prestitum fuit ab utraque parte de calumpnie (*sic*) juramentum. Facta itaque litis contestatione et sacramento calumpnie subsecuto, dati fuerunt ex parte actorum articuli et ex parte reorum exceptionibus curie suo die, et factis hinc inde super hiis interrogationibus ut est juris, utraque pars cepit terminum ad probandum, in infra quem terminum utraque pars produxit testes suos. Adveniente autem termino, de partium voluntate testibus in judicio publicatis, sollepni disputatione secuta super efficacia probatorum, ab utraque parte de communi voluntate earum renuntiatum extitit et conclusum, et utraque pars sententiam ferri cum instantia postulavit. Nos itaque visis cause meritis et diligenter discussis, habito diligenti super premissis cum deliberatione consilio, quia plene constitit de intentione Thenrici (*sic*) Theotonici, Petri de Latigniaco, Johannis de Ala et Riccardi Anglici, tam pro se quam tanquam actorum et sindicorum seu procuratorum in libello contentorum peregrinorum contra Guillelmum Mayum et Petrum Constantinum, dominos et parcionarios navis Sancti Victoris, licet intentio fuerit elisa per exceptiones predictorum dominorum, tamen quia predicte exceptiones fuerunt elise et excluse per replicationes peregrinorum, sentencialiter condepnavimus predictos Guillelmum et Petrum Constantinum quod eos ad partes ultramarinas transportent ad locum ubi est rex Francie; et quia tam jura vetera quam nova volunt quod victus victori condepnari debeat in expensis, sentencialiter condepnavimus predictos reos nomine expensarum predictis actoribus tam pro se quam pro parte peregrinorum in libello contentorum in tarenis auri centum, sacramento prestito ab eisdem de taxatione nostra precedente. Unde ad futuram memoriam et dictorum peregrinorum cautelam, scriptum est inde presens publicum instrumentum sentencie per manus Perroni de Calvaroso imperialis publici Messane et actorum curie civitatis ejusdem notarii, nostris et ejusdem notarii subscriptionibus communitum. Actum Messane, anno, mense, die et indictione pretitulatis.

† Ego Vivaldus de Bona Morte bajulus Messane.

† Ego Guido de Bernardo judex Messane.

† Ego Bartolomeus de Aymerio judex Messane.

† Ego Grillus de Baialastro judex Messane.

† Ego Nicolaus de Riso judex Messane.

† Ego Perronus de Calvarosa imperialis publicus Messane et actorum curie civitatis ejusdem notarius scripsi et testor.

[Circa augustum.] Fridericus, Romanorum imperator, Vatacio Graecorum imperatori nuntiat quomodo civitas Firmana se ad fidem imperii converterit et omnia tum in Italia superiori, tum in Alemania sibi prospere succedant.

(Versionem graecam ex cod. Bibl. Laurent. Florent. edid. G. Wolff, *Vier Griech. Briefe Kais. Friedr. der. zw.*, p. 54, cum interpretatione germanica et notis. Latinum vero textum restituere tentavimus.)

Fridericus imperator, etc., Johanni illustrissimo Graecorum imperatori. Litteras litteris addere magnam ex successione laetitiam afferentes non solum eos qui sanguinis participio et sincero affectu conjunguntur, sed etiam communes amicos plurimum delectare solet. Unde ad sincerum amorem tuum jam paulo ante nostris processibus per litteras delatis, hoc quoque quasi per conclusionem ad gaudium majestatis tuae scribere non negamus. Congaudere enim scimus serenitatem tuam in omnibus prosperis nostris et de nostris victoriis laetari. Tibi igitur significamus quod fideles nostri Marchiae et Romaniolae, melioris quidem et faecundioris Italiae partis, cognitis evidente dolo et versutiis quas illi qui Ecclesiae praesidere dicuntur, contra nos machinabantur et mendacia quae quotidie de certitudine mortis nostrae divulgabant, de nostra incolumitate et bona salute fiduciam accipientes, ad impedimenta nostra [dirimenda] omnes concurrerunt. Cum autem civitas Firmana Marchiae quae propter solam situs sui fortitudinem, papali exercitu infeliciter se gerente et duce destituto, resistere posse nostris mandatis videbatur, non sustinere valeret innumeram armatorum nostrorum multitudinem militumque turmas et

peditum ordines necnon et archeriorum ex gentibus diversi sermonis congregatorum immensam copiam, qui istam terram quasi totam occupatam tenebant, et castrum circumquaque coarctabant, viribus impares intrinseci necessitate eos cogente idem castrum nobis tradiderunt et se ipsos quasi captivos nostris reddiderunt. Civitates qnoque, castra, terrae et arces quae ad papales versutias a majestate nostra declinaverant, mendacii viam relinquentes in rectam viam sunt conversae. Italia vero superior in stabilitate fidei nostrae corroborata tota libenter nostris oraculis se inclinat. Qui tamen simili errore in Alemannia ad novitates surrexerunt et in reprobum sensum vertuntur, de loco in locum per potentiam dilectissimi filii nostri regis Conradi viriliter profugati, invenire locum ubi latitent non jam possunt. Sic ergo, favente Domino, majestas nostra divinae providentiae auxilio firmata, totum sibi subjectum imperium in pace regit et gubernat; quod affinitati tuae et sincero affectui per praesentes significamus ad gaudium.

Fridericus, Romanorum imperator, Vatacio imperatori Graecorum notum facit quomodo omnia sibi prospere succedant, dum fideles sui victorias de rebellibus suis reportaverint in Lombardia apud Parmam, in Marchia apud Cingulum et contra Januenses apud Saonam. [Septembri.]

(Versionem ex graeco codice bibl. Laurent. Florent. edid. G. Wolff, *Vier griech. Briefe Kais. Friedr. des zw.*, p. 26-38. Cf. quod supra notavimus, p. 759 et 771.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Johanni Ducae gloriosissimo Graecorum imperatori, dilecto genero suo, salutem in Christo. Cum sincero affectu et evidenti zelo, sicut snccessive a dextera Domini beneficia suscipimus et majestatis nostrae potentia per omnipotentem dominationem ejus quotidie favorabiliter exaltatur, ita puro affectui majestatis tuae per continuas litteras et

nuntios prosperos nostrae majestatis successus et de inimicis nostris triumphum noviter divinitus praeter spem reportatum libenter significare volumus. Nuper enim cum Ubertus illustris marchio Palavicinus, fidelis noster, quem capitaneum felicissimi exercitus nostri nec non celebris civitatis nostrae Cremonae et istarum partium constituimus, ex fautoribus celsitudinis nostrae numerosam equitum et peditum turbam collegisset et ad suum auxilium quosdam fidelium nostrorum Italiae convocasset, scilicet catervam non modicam fortissimorum militum Papiae, robustorum Pergamensium, audacium Laudensium, cordatorum Teutonicorum et devotorum Parmae, qui extra hoc castrum in fide majestatis nostrae permanserant (*a*). . . . .

persequentes ita quod nisi intrinseci Parmae pontes rupissent, quasi eodem tempore ipsi intra civitatis ejusdem moenia pervenissent. Unde triumphalem nostri laudem celebrantes bellicis tubis sicut mos est sonantibus, et juxta portas Parmae tentoria defigentes, non elongari ab ipsius depopulatione sine mandato disposuerunt usque dum flamma et ferro hanc penitus destruerent vel per vim ad nostrum mandatum reducerent, habitatoribus ejus captivatis seu morti traditis. Quae quidem contigerunt die XVIII augusti proxime praeteriti, octava indictione (1). Sub vicesimo autem die ejusdem mensis comes Galterius de Manupello (*b*) fidelis et familiaris noster, exercitus nostri capitaneus in Marchia, castrum obsi-

(*a*) Ibi quaedam in textu graeco desunt.

(*b*) Graece ὁ κόντος Γαλτέριος δε Μουναπολέ; quod intelligendum est *de Manupello*, non vero *de Monopulo*.

(1) « Die jovis XIIII (leg. XV) kalendas septembris, Obertus Pellavicinus potestas Cremonae congregatis Cremonensibus militibus, Pergami, Laudae et CCC militibus Papiae atque militibus extrinsecis Parmae, transacto flumine Tarii, coeperunt devastare usque ad civitatem Parmae. Parmenses vero furore magno accensi propter victoriam quam habuerant in Victoria, inimicis se obviam praebuerunt....... sed terga vertentes fugam petierunt..... ceperuntque ex peditibus Parmae MM, ex militibus vero L, et carocium Parmae cum captivis in Cremonam duxerunt, et sic facta est vindicta de eis de facto Victoriae. Et statim Octavianus cardinalis cum militibus Bononiae et Mutinae..... si non ivisset, Parma erat in fortia inimicorum redacta. » *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 227, 228.

dens quod vocatur Cingulum, ubi cardinalis Petrus Capocius intraverat, et vi expugnans idem castrum accepit; unde favente nocte cardinalis iste velut pauperculus mendicans manus eorum effugit. Tota itaque Marchia, Ducatus et Romaniola ad mandatum majestatis nostrae se converterunt. Circa autem tempus idem quo nostri victoriam reportarunt, serenitas nostra mandavit quatenus omnes ad depopulationem Parmensium procederent, ut eorum elatum supercilium et pertinacem superbiam ad extremam confusionem reducerent. Inde cum predicti fideles nostri flumen Tari transiissent et juxta Parmam sua tentoria ponere disponerent, Parmenses arrogantia inflati et quasi infidelitatis et jactantiae spiritu usque ad inordinatum impetum prosilientes, currum suum quem italice carrocium vocant cum omni militia Parmae eduxerunt, et contra felicissimum exercitum nostrum ferociter et malo auspicio concurrerunt. Fideles tamen nostri in potentia Christi Domini nostri qui nostram majestatem tuetur confisi et ferventi nostrae fidei zelo solidati, ad imperialem militaremque modum turmas et cohortes suas ordinantes, animumque ex alto sumentes dum pro justitia et fide majestatis nostrae contra iniquos et infideles dimicarent, erectis triumphalibus et victricibus signis majestatis nostrae et fausto nominis nostri praesagio invocato, contra infidos fidi bene ordinati et animosi processerunt. Praelio autem incoepto, postquam per plures horas viriliter et fortiter fuerit utrinque pugnatum, sustinere non valentes inimici graves incursus et bellicas artes nostrorum militum lethaliaque vulnera et terribiles eorum plagas, in fugam attoniti se verterunt. Carrocium autem suum necessitate cogente relinquentes, suam unusquisque salutem anteposuit et perpetuum exilium sibi fortunam reputavit. Proinde quis narrare posset multitudinem Parmensium ibidem occisorum, vulneratorum numerum et eorum quantitatem quos Cremonenses ex furioso quod in illos habebant odio, in frusta trucidarunt? Mortui tamen in campo, quot numerari potuerunt, omissis multis in fluvio submersis, ad duo millia et ultra inventi sunt. Praecipui vero quos in hoc infortunio vivos ceperunt et nostro reservarunt carceri mancipandos, ad mille et ducentorum numerum ascendunt. Et in breviori tempore quam ut haec omnia scriberentur, legati superstitum rebellium Ducatus et Romaniolae

ad pedes nostros advenerunt, misericordiam et gratiam nostram implorantes. Circa autem primam praesentis septembris diem duodecim galeae nostrae quas ad Saonam propter hujus loci custodiam miseramus, in quibus erat Petrus exstallerius Gaietae (*a*), fidelis noster, sedecim Januensium infidelium nostrorum navigia ceperunt, et omnes qui in eis aderant carcer noster includit. Quae omnia sincero affectui majestatis tuae ad gratiam deducimus. Favente autem auxilio Domini, magis etiam laetabunda tibi mox scribemus, de nostris felicibus successibus congaudenti.

[Circa septembrem.] Fridericus, Romanorum imperator, congaudet de victoria quam Conradus, Romanorum rex, filius suus, de comite Hollandiae et ejus sequacibus reportavit, quos ante faciem suam profugavit.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindobon. *Philologus* dicto, n° 305, fol. 156 verso.)

Fredericus, etc. Grata litterarum tuarum series quam valde gratanter recepimus, tanto uberiori animum nostrum gaudio fecundavit, tanto copiosiorem cordi nostro leticiam ministravit, quanto gratiora nobis nostrisque magis affectata desideriis de triumphalibus successibus tuis nostrorumque conculcatione hostium, videlicet comitis Hollandie et sequacium suorum quos ante faciem tuam dispersos et contritos dedecorose fuge salvavit presidium (1), continebat. Nec posset augustus pater conceptam

(*a*) In codice Πέτρος τῆς λεριος τῆς Γαέτας. Cum adsit in pergamena juxta vocem λεριος quaedam plicula, Wollfius comma latitare suspicatus legit Λείριος : quod de Garigliano flumine, quondam Liri, interpretatus est. Nomen vero proprium quoddam esse, *Teselerius*, vel potius officii titulum *exstallerius*, libentius crediderim.

---

(1) Agitur de expeditione quam contra Willelmum de Hollandia qui tunc apud Maguntiam se inclusum tenebat, et contra fautores ejus ad Dalen et Flonheim, cum auxilio Wormaciensium rex Conradus exeunte julio et ineunte augusto direxerat. Cf. *Annal. Wormat.*, ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 187-188.

de virtute ac magnitudine augusti filii letitiam intra fores pectoris ullatenus obserare (*a*), quin foras in clamore jubilo violenter non erumperet communi alacritate nec perfunderet fidelium precordia subjectorum, ubi tot magnalia, tot gesta magnifica et supremarum digna laudum titulis de victore et perito bellis filio tam continue nunciantur. Exerce igitur, fili karissime, nobilis tui virtutem animi, et honorando et sublimando nobis et tibi fideliter servientes, adversariorum nostrorum cornua sic confringe eorumque protervam superbiam sic prosterne quod pre tuis contriti manibus discant quantum sit durum contra stimulum calcitrare.

[Octobri circiter.]

Cives Parmae potentiores.... cum castra ad civitatis tuitionem in confiniis suis constructa securi et inermes perlustrassent, insidiantes subito de latibulis suis ad unguem armati aditum civitatis praecluserunt immunitis, omnesque cives illos.... velut aviculas ceperunt irretitas.... [Quidam etiam de populo] quae pacis erant humiliter postulabant, et multi exeuntes data non modica pecunia dextras dederunt Frederico suum arbitrium subituri...... Bononienses autem haec audientes, missis ad ipsum Fredericum nuntiis, pacifica cum humilitate et precibus rogitabant; quos tamen ipse Fredericus distulit exaudire. Tempore sub eodem missis fidelibus suis ad Avinionem et Arlam (*sic*) civitates nobilissimas nec multum a Lugduno distantes, civium ipsarum suscepit cum juramentis fidelitatem. MATT. PARIS., *Hist. maj. Anglor.*, p. 528.

Apud Venusiam, 11 octobris.

Riccardus de Rocca, imperialis justitiarius Capitanatae, vigore imperialis mandati cujus tenor inseritur, Jacobo de Rigniano et

(*a*) In codice *licentiam intra fortes....... observare*, male.

Scalioni de Foggia statutis super custodia Trojae mandat ut post inquisitionem factam prohibeant ne monasterium Cassinense in ecclesiis et possessionibus quas habet apud Trojam molestetur, ita tamen quod super his procurandis nullum incolam vel oriundum de Troja remanere ibidem permittant.

(Edidit Gattola, *Histor. abbat. Cassin.*, pars I, supplem., p. 280.)

In nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo, imperante vero domino nostro domino Federico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto anno tricesimo, rege Jerusalem anno vicesimo quinto et rege Sicilie anno quinquagesimo tertio, die jovis vigesimo mensis octubris, none indictionis, apud Trojam. Nos Palmerius imperialis Troje judex et Rogerius de Giliberto ejusdem terre publicus notarius presentis scripti serie declaramus quod frater Benedictus de Luco monachus monasterii Cassinensis, pro parte ipsius monasterii, domno Jacobo de Rigniano de Casali Novo et judici Scalioni de Jerusalem de Fogia statutis super custodia Troje, egregii viri domni Riccardi de Roccha imperialis justitiarii Capitanate litteras infrascriptas (*a*) detulit, quarum continentia per omnia talis erat :

Prudentibus viris domno Jacobo de Rigniano de Casali Novo et judici Scalioni de Fogia statutis super custodia Troje, amicis suis, Riccardus de Rocca imperialis justitiarius Capitanate salutem et amorem sincerum. Sacras nuper recepimus imperiales litteras in hac forma : — Federicus Dei gratia, etc., justitiario Capitanate, etc. Ad religiosa loca cultibus divinis exposita benignum semper habendo respectum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus occasione mandati nostri de exhabitatione Troje pridem emissi (1), super ecclesia Sancti Angeli de Rodingo et pos-

(*a*) In impresso *capitaneo litteras infraptas*, male.

(1) Unde suspicandum est statum Apuliae tunc temporis non multo fuisse diversum ab ea conditione qua fuerit post regressum imperatoris e Terra Sancta annis 1229 et 1230.

sessionibus aliis quas monasterium Cassinense in Troja et pertinentiis ejus hactenus inveneris habuisse, monachos seu nuntios alios ejusdem monasterii non molestes nec patiaris ab aliis molestari, ita tamen quod super procuranda ecclesia et possessionibns ipsius nullus incola vel oriundus de Troja remanere ibidem de cetero permittatur. Datum apud Venusiam, undecimo octobris, none indictionis.—Cumque predictum mandatum nos oporteat sicut decet exequi reverenter et ad id exequendum personaliter intendere non possimus, aliis servitiis imperialibus occupati, prudentie vestre committimus ex imperiali parte qua fungimur auctoritate mandantes quatenus tenore predicti imperialis mandati diligenter attento, juxta ipsius continentiam super ecclesia predicti Sancti Angeli de Rodingo et possessionibus aliis quas monasterium Cassinense in Troja et pertinentiis ejus hactenus inveneritis habuisse, de quibus vobis plene constabit, monachos seu nuntios alios ejusdem monasterii non molestetis nec patiamini ab aliis molestari, ita tamen quod sicut predictum mandatum continet, super procurandis ecclesia et possessionibns ipsis nullum incolam vel oriundum de Troja remanere ibidem de cetero permittatis; facientes fieri publicum instrumentum distincte continens qualiter vobis constiterit de ecclesia et possessionibus supradictis in eodem instrumento plenius distinguendis, ut occasione hujusmodi non contingat imperialem curiam sub involucro defraudari, et factum nobis ad curiam transmittatis.

Datum Corneti, XIII octobris, none indictionis.

Volentes igitur dicti dominus Jacobus et judex Scalionus prescriptum mandatum predicti domni justitiarii exequi reverenter, coram nobis et infrascriptis testibus quos dictus frater Benedictus pro parte dicti monasterii Cassinensis ad probandum, etc.

[Sequuntur depositiones testium cum nominibus locorum; unde Jacobus et Scalionus declarant monasterium Cassinense non molestari debere in ecclesiis et possessionibus quas habet in Troja et pertinentiis ejus.]

Foggiae, octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, Ubertum marchionem Pelavicinum pro gratis ejus servitiis atque haeredes et successores ejus ab omni pedagio, theloneo, collecta et gravamine quolibet eximit, tam in civitatibus Parma, Cremona et Placentia quam in aliis terris Lombardiae et Tusciae, eamdemque exemptionem hominibus massariis et de masnata in eisdem terris habitantibus concedit.

(Edid. AFFO, *Stor. di Parma*, t. III, p. 387, in append., n° LXXXII, e regest. authent. dom. Pallavicini, minus correcte praesertim in prooemio transcripto.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hyerusalem et Sicilie rex, Uberto marchioni Pelavicino fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Beneficia mera sunt principum que fideles frequenter continuis obsequiis promerentur, veluti qui nullius necessitatis alterius cogentis imperio conferuntur. Sed etsi benemeritos fideles debite affectionis stimulo prerupta et provida liberalitate prosequimur, beneficii nomen aut debitum affectum non minuit, quamquam vel accelerando consilium vel germinando propositum estuantes ad gratiam augent incentivum. Sic nos quos imperialis dignitatis auspiciis ditavit felicitas fortune, fidelibus munificentie nostre dexteram aperimus ad singulos, prout obsequiosa devotione fidelium invitamur. Attendentes igitur qualiter inter fideles nostros, potissime presentis felicis discriminis tempestate, vitam tuam bellice fortune frequenter exposuisti periculis et indesinenter exponere non formidas, ad compensanda servitiorum tuorum merita accensi, te, heredes et successores tuos ac descendentes ab eis auctoritate imperiali et ex certa scientia et de nostre plenitudine potestatis a quibuscumque muneribus, oneribus realibus, personalibus atque mixtis necnon a quibuscumque datiis, pedagiis, tholoneis et gabellis, talleis, collectis, impositionibus, mutuis, gravaminibus et vexationibus quocumque nomine vel voca-

bulo censeantur impositis et quomodolibet de cetero imponendis, pro omnibus terris, villis, curtibus, possessionibus, terrenis, domibus, locis, rebus et venalibus universis tuis, heredum et successorum tuorum ac descendentium ab eis tam mobilibus quam immobilibus et tam presentibus quam futuris situatis et positis [tam] in civitatibus nostris et sacri imperii Parme, Cremone et Placentie et territoriis suis, episcopatibus ipsarum et cujuslibet earum, quam aliis civitatibus, terris, castris et locis totius Lombardie et Tuscie et territoriis vel episcopatibus eorumdem, necnon homines laboratores, massarios, colonos, rusticos et incolas ac vassallos et homines de masnata in et super hujusmodi terris, domibus et bonis predictis nunc et in futurum residentes et habitantes a quibuscumque gravaminibus et oneribus suprascriptis presentis nostre pagine tenore liberamus, eximimus et absolvimus, ac liberatos, exemptos et absolutos esse volumus et mandamus. Decernentes in presenti nostro imperiali edicto statuentesque ut tu, heredes et successores tui ac ab eis descendentes et homines massarii, laboratores et rustici, homines de masnata, vassalli et incole terrarum, villarum, curtium, possessionum, terrenorum, domorum et bonorum predictorum tam presentes quam futuros omni privilegio, jure, gratia et honore uti, frui et potiri ex nunc in antea possitis et debeatis, quibus ceteri a serenissimis quondam predecessoribus nostris imperatoribus et regibus Romanorum ac imperio sacro exempti fuerunt et quomodolibet potiebantur, lege quacumque seu constitutione, statuto, edicto scripto seu municipali in contrarium non obstantibus; quibus et cuilibet eorum si etiam in quantum huic nostre exemptioni, immunitati ac liberationi obviare possint, ex certa scientia et de nostra imperialis plenitudine potestatis totaliter derogamus et derogatum esse volumus. Statuimus igitur et imperiali sancimus edicto quatenus nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, nullumque commune, collegium vel universitas cujuscumque status seu conditionis existat, te tuosque heredes et successores ac descendentes ab eis contra presentis liberationis, immunitatis et exemptionis nostre tenorem aliquatenus impedire, molestare seu perturbare presumat. Quod si quis presumpserit, indignationem culminis nostri se noverit incursurum et centum marcas auri puri optimi pro pena compositurum; quarum

medietas fisco nostro et reliqua medietas tibi Uberto tuisque prescriptis applicetur. Ad hujus itaque exemptionis et immunitatis ac liberationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla pendente nostre majestatis jussimus communiri.

Datum Fogie, anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo, mense octobris, octava indictione (1).

Novembri. Universitas civium Brisaci notificat quod, si civitates secum conjuratas ab imperatore Friderico propter illius humiliationem recedere contingat, easque alium dominum praeter eumdem Fridericum seu Conradum filium ejus eligere, se nulli alii quam Bertholdo Basiliensi episcopo et ecclesiae ejus submittere consentient.

(Edid. Kopp; *König Rudolf und seine Zeit*, Beilagen, n° 2, p. 884 (Leipzig, 1845) ex arch. civit. Basil., gross. weiss. Buch. bl. 91, *a*.)

Omnibus ad quos presens scriptum pervenerit, universitas civium de Brysaco noticiam subscriptorum. Noverit universitas vestra quod nos munitionem et montem quem inhabitamus cum pertinenciis suis ad jus et proprietatem Basiliensis ecclesie pertinere recognoscentes, venerabili domino nostro Berchtoldo divino favore nunc episcopo Basiliensi ac per ipsum ecclesie Basiliensi promittimus bona fide quod, si serenissimum dominum nostrum Fridericum Romanorum imperatorem qui hactenus ab ipsa Basiliensi ecclesia dictam munitionem in feodum habuisse dinoscitur, eatenus humiliari contingat quod civitates nobis conjurate (2) recesserint

---

(1) Graeca autem indictio nona esse deberet.

(2) Nil vero hucusque reperiri potuit quod de *conjuratione* ista civitatum Frederico fidelium lucem aliquam afferre valeat, nisi harum nomina reperiri debeant in instrumento apud Schoepflin (*Alsat. diplom.*, t. I, p. 406), dato sub anno 1251, mense maio, quo universitas in Columbaria universis civibus in Hagenowe, Sletstat, Keisersperch, *Brisach*, Nuwenburch,

ab eodem, quemcumque sibi dominum preter prelibatum dominum nostrum ejusque filium Conradum Dei gratia Romanorum in regem electum eligentes, ex tunc ipsi reverendo patri Basiliensi episcopo suisque successoribus tanquam dominis nostris fideliter curabimus adherere, nunquam nos alicui domino nisi Basiliensi ecclesie submittentes; ad quod nos et successores nostros tenore presentium obligatione constringimus litterali.

Actum seu datum anno Domini MCCL, mense novembri, indictionis none.

Riccardus de Montenigro, magnae imperialis curiae magister justitiarius, una cum quatuor ejusdem curiae judicibus Philippum Pactensem episcopum absolvendum sententialiter declarat a quaestione ipsi proposita per Gregorium Mustacium super possessione casalis Synagrae et fructibus casalis Sanctae Luciae. Foggiae, decembri.

(Edid. R. Pirri, *Sicil. sacra*, t. II, p. 777-778.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus MCCL, mense decembris, IX indictione, imperante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto et magnifico Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno XXXI, regni Jerusalem XXVI, regni vero Sicilie LIII, feliciter, amen. Dum nos Riccardus de Montenigro magne imperialis curie magister justitiarius dudum apud Melfiam curiam regeremus, assidentibus nobis Roberto de Panormo, Andrea de Capua et Durando de Brundusio ejusdem curie judicibus, Johannes Gallina procurator domini Gregorii Mustacii, quod constitit, contra Jacobum Clericum procuratorem domini Philippi venerabilis Pactensis episcopi,

---

Mulnhusen, Rinvelden, Solothern, Berne, Zurich, Schafhusen, scribit ut nuntios ecclesiae S. Petri in Columbaria propter discordiam inter papam et imperatorem possessionibus spoliatae et etiam concrematae, caritative accipiant.

libellum proposuit in hunc modum : Proponit Johannes Gallina procurator domini Gregorii Mustacii, quod constitit, contra Jacobum Clericum procuratorem domini Pactensis episcopi, de quo similiter constitit, dicens quod cum idem Gregorius teneret et possideret ex dono et concessione domini nostri serenissimi imperatoris casale Sancte Lucie cum omnibus juribus, justitiis et pertinentiis suis, propterea quia licet in Pactensi ecclesia ad quam ipsum casale pertinere dignoscitur tunc esset electus, quia tamen plenam administrationem non habebat ipsius casalis, collatio ad dominum nostrum imperatorem spectabat ex antiqua dignitate quam habet in ecclesiis vacantibus regni, sicut imperialis majestas in privilegio exinde sibi indulto non ad supplicationem ipsius Gregorii, sed ex mera liberalitate sua manifeste declarat, idem dominus episcopus suggerens imperiali majestati quod eadem ecclesia non vacaret tempore concessionis ipsius et contra verum asserens in eadem electum et confirmatum esse, obtinuit et impetravit litteras imperiales ad comitem Caserte (*a*) ut super hoc veritate quesita si de suggestione facta per eumdem episcopum constaret, possessionem ipsius casalis sibi restitueret; et sic idem comes, ipso Gregorio absente et non citato neque legitime vocato et ejus rationibus inauditis, mandavit eumdem Gregorium destitui possessione casalis predicti et assignari eam parti dicti episcopi per dominum Guglielmum Villanum justitiarium in Sicilia citra flumen Salsum : qui dominus Guglielmus eumdem Gregorium possessione casalis ipsius destituit, assignans eam parti episcopi memorati; et sic idem Gregorius possessione dicti casalis fuit per injuriam destitutus, presertim cum idem episcopus ante predicta tempora impetratis litteris ab imperiali majestate quod idem Gregorius ad imperialem curiam citari deberet, cum dominus noster feliciter ageret in partibus Lombardie (1), ad transactionem cum ipso deve-

(*a*) In impresso *Capue*, male.

---

(1) Scilicet anno 1248, ut monet Mongitore : *Notit. cap. maj. S. Luciae de Milatio*, ap. *Sicil. sacr.*, II, 1335. Pirrus autem et ipse Mongitorius concessionem Sanctae Luciae Gregorio factam ad ann. 1206 et transactionem de duobus millibus tarenorum initam ad ann. 1228 sub Jacobo Pactensi episcopo referunt; quod valde nobis dubium videtur, dum ex praesenti documento pateat sub Philippi praesulatu litem exortam simul et decisam fuisse.

nerit ac idem episcopus perinde receperit (a) ab eodem Gregorio duo millia tarenorum, et questionem ipsam remiserit et juraverit se contra ipsam remissionem aliqualiter non venturum. Cumque predictus episcopus casale predictum possideret ut dictum est, suggerendo principi per se et capitulum Pactensis ecclesie quod ipsum casale ad Pactensem ecclesiam pertineret, excambium sibi dari in valle Doemenum (1) ab imperiali excellentia postulavit quod esset ipsi ecclesie nomine et ratione vicinitatis, et casale predictum cum esset imperialibus solatiis utile, idem dominus retineret in manus curie. Ad cujus postulationem et suggestionem, dominus imperator mandavit per suas litteras domino Guglielmo Villano justitiario et Johanni Pu. . . . . camerario (b) regionis, ut casale predictnm pro parte curie reciperet et idem camerarius illud pro parte curie procuraret, inventurus locum alium in valle Doemenum qui non esset solatiis domini utilis, aut castrorum munitionibns deputatus, in quo ergo casali predicte ecclesie in competenti excambio providerent. A quibus facta provisione juxta mandatum in loco predicto pro curia, Pactensis episcopns nomine ipsius et pro parte ecclesie supradicte recepit in eodem loco pro excambio res subscriptas. Unde petit dictus procurator Gregorii Mustacii pro parte ipsius possessionem earumdem rerum que in excambium date sunt ecclesie snpradicte et predicto episcopo, a dicto Clerico (c) procuratore ipsius episcopi pro parte ejusdem sibi restitui, salvo jure et. . . . . . . Res autem sunt hec : casale Synagre cum omnibus juribus, justitiis, rationibus et pertinentiis suis et pars nemorum Ficarrie : petit etiam restitni sibi pro parte dicti Gregorii Mustacii a procuratore dicti domini episcopi et pro parte ejusdem subscriptas res mobiles quas idem dominus episcopus percepit et percepi fecit post factam destitutionem predicti casalis Sancte Lucie ut dictum est ab eodem loco, vide-

(a) In impresso *deveniret*, male; *recepit*, male.
(b) In impresso *camerae*, minus recte.
(c) Ibidem *vero*, male.

(1) Vulgari lingua *Valle di Demona*.

licet de frumento salmas centum viginti quinque, quod frumentum dictus episcopus percipi fecit et percepit de salmis frumenti duodecim et dimidia seminatis in terris et tenimento casalis predicti Sancte Lucie ab eodem Gregorio pro parte sua; item de hordeo salmas XIV; item de linusa salmas XV quas estimat tarenos sexaginta; item de vino CLXXX quas estimat uncias triginta sex; item de porcis quos receperat Gregorius a burgensibus dicti casalis ratione decime in anno quinte indictionis et in custodia ipsorum dimiserat porcos sexaginta de duobus annis auri tarenos quatuor pro unoquoque porco tarenos LX; item de palia mille retia ad valens tarenos quinquaginta. Item percepit et percipi fecit dictus episcopus proventus et redditus omnes dicti casalis per decem menses, quos estimat uncias auri XXXIX et tarenos XXV, quos petit restitui ut est dictum. Predictus procurator domini episcopi litem contestando confitetur dictum episcopum et Pactensem ecclesiam tenere et possidere casale Synagre cum justitiis et pertinentiis suis, et confitetur dictum episcopum et conventum commutasse casale Sancte Lucie cum domino imperatore et recepisse in commutatione dictum casale Synagre, salvis exceptionibus suis. Lite igitur coram nobis legitime contestata, juramento calumnie a principalibus delato, dato termino ad probandum, productis hinc inde testibus et eorum dictis in judicio publicatis, curia Fogie procedente ubi assistebat nobis Joannes de Marturana ejusdem curie judex cum judicibus supradictis, disputatione habita inter partes super efficacia probatorum, antequam lis predicta suo marte decurreret, predictis domino episcopo et Gregorio Mustacio existentibus in curia, idem Gregorius spontanea voluntate sua predicte questioni et liti mote coram nobis in curia predicto Jacobo procuratori dicti domini episcopi pro parte ipsius renuntiavit expresse quod haberet aut consequi posset contra eumdem dominum episcopum, occasione predicte questionis proposite ab eodem Gregorio contra procuratorem ipsius domini episcopi vel etiam proponende. Nos vero qui supra magister justitiarius et judices, nullo alio de principali causa discusso, attendentes solam renunciationem ejusdem Gregorii legitime factam coram nobis, ut prescriptum est, dictum Jacobum procuratorem dicti domini episcopi nomine ipsius et eumdem dominum episcopum

a dicta questione proposita sententialiter duximus absolvendos. Ad cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum per manus Jacobi de Rocca (*a*) magne imperialis curie actorum notarii fieri fecimus nostris subscriptionibus roboratum.

Actum Fogie, anno, mense et indictione prescriptis.

Ego Riccardus de Montenigro, magne imperialis curie magister justitiarius.

Ego Johannes de Martorana, magne imperialis curie judex.

Ego qui supra Andreas de Capua, magne imperialis curie judex.

Ego magister Robertus de Panormo, magne imperialis curie judex qui supra.

Ego Durandus de Brundusio, magne imperialis curie judex.

Testamentum Friderici secundi, Romanorum imperatoris, Jerusalem et Siciliae regis.

Apud Florentinum in Capitanata, 10 decembris.

(Edider. per partes valde etiam corruptas Matthaeus Parîs et Raynaldus, quibus adjungenda *Chronicon Sicil.* ap. MARTENE, *Anecdot.*, t. III, p. 13; *Chronic. Fr. Pipini* ap. MURATORI, *Scriptor.*, t. IX, p. 661; *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, in editione nostra, p. 228 et seqq.; correctina vero CARUSIUS, *Bibl. Sicul.*, t. II, p. 669, ex cod. ser. princ. de Fitalia ap. Panormum, et WURDTWEIN, *Nov. subsid. diplom.*, t. XI, p. 25, ex cod. Vatic. 6206. — Optimas nunc editiones sequimur datas tum ap. PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, t. IV, p. 357, tum ap. PAESANO, *Memor. della chiesa Salernitana*, t. II. — Autographum vero periit.)

In nomine Dei eterni et salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione millesimo ducentesimo quinquagesimo, die sabati XVII (1) die mensis decembris, none indictionis.

(*a*) In impresso *de Rocco*, male.

(1) In uno cod. *VII;* in altero *XIII;* in Chron. de reb. in Italia gest. *die sabbati XVII kalendas decembris*, pessime. Vera ut opinamur lectio ita restituenda est : *die sabbati decimo die mensis decembris;* de qua disseruimus in Chronico eodem, p. 228, not. (1).

ditur a maritima Terre Bari nsque ad Polinianum, et ipsum Polinianum cnm terris omnibus a Poliniano per totam Maritimam usque ad dictam portam Roseti, scilicet civitatibus, castris et villis infra contentis, cum omnibus jnsticiis, pertinentiis et rationibus omnibus tam ipsius principatus quam comitatuum predictorum. Concedimus etiam eidem civitatem Montis Sancti Angeli cum toto honore sno, omnibus civitatibus, castris et villis, terris, pertinentiis et justitiis et rationibus eidem honori pertinentibus, scilicet que de demanio in demanium et que de servitio in servitium. Concedimus etiam et confirmamus eidem quidquid sibi in imperio est a nostra majestate concessum; ita tamen quod predicta omnia a prefato Conrado teneat ac etiam recognoscat : cui Manfredo judicamus etiam pro expensis suis decem millia unciarum auri. — Item statuimus quod Fridericus nepos noster habeat ducatus Austrie et Styrie, quos a predicto Conrado teneat et recognoscat; cui Friderico judicamus pro expensis suis decem milia unciarum auri. — Item statuimus nt Heinricus filius noster habeat regnum Arelatense vel regnum Jerosolimitanum, quorum alterum dictus Conradus prefatum Heinricum habere voluerit; cui Heinrico judicamus centum milia unciarum auri pro expensis. — Item statuimus ut centum milia unciarum auri expendantur pro salute anime nostre in subsidium Terre Sancte, secundum ordinationem dicti Conradi et aliorum nobilium crucesignatorum. — Item statuimus ut omnia bona milicie domus Templi que curia nostra tenet, restituantur eidem, ea scilicet que de jure debent habere. — Item statuimus ut omnibus ecclesiis et domibus religiosis restituantur jura earum et gaudeant solita libertate. — Item statuimus nt homines regni nostri sint liberi et exempti ab omnibus generalibus collectis, sicut consueverunt esse tempore regis Guillelmi secundi consobrini nostri. — Item statuimus quod comites, barones et milites et alii pheudatarii regni gaudeant juribus suis et rationibus omnibus que consueverunt habere tempore regis Guillelmi in collectis et aliis. — Item statuimus nt ecclesie Lucerie et Sore et si que alie lese sunt per officiales nostros, reficiantur et restituantur. — Item statuimus ut tota massaria nostra quam habemus apud Sanctum Nicolaum de Aufido et omnes pro-

ventus ipsius deputentur ad reparationem et consummationem pontis ibi constructi vel construendi. — Item statuimus ut omnes captivi in carcere nostro detenti liberentur, preter illos de imperio et preter illos de regno qui capti sunt ex proditionis nota. — Item statuimus quod prefatus Manfredus filius noster omnibus benemeritis de familia nostra provideat vice nostra in terris, castris et villis, salvo demanio regni nostri Sicilie, et quod Conradus et Heinricus predicti filii nostri et heredes eorum ratum et firmum habeant quicquid idem Manfredus super hoc duxerit faciendum. — Item volumus et mandamus quod nullus de proditoribus regni in aliquo tempore reverti audeat in regnum, nec aliqui de eorum genere succedere possint; immo heredes nostri teneantur vindictam de eis sumere. — Item statuimus quod mercatoribus, creditoribus nostris, debita solvantur. — Item statuimus ut sacrosancte Romane Ecclesie matri nostre restituantur omnia jura sua, salvis in omnibus et per omnia jure et honore imperii, heredum nostrorum et aliorum fidelium, si ipsa Ecclesia restituat jura imperii. — Item statuimus ut si de presenti infirmitate nos mori contigerit, in majori ecclesia Panormi in qua divi imperatoris Heinrici et dive imperatricis Constancie parentum nostrorum memorie recolende tumulata sunt corpora, corpus nostrum debeat sepeliri; cui ecclesie dimittimus uncias auri quingentas pro salute animarum dictorum parentum nostrorum et nostre, per manus Berardi venerabilis Panormitani archiepiscopi familiaris et fidelis nostri in reparatione ipsius ecclesie erogandas.

Predicta autem omnia que acta sunt in presentia dicti archiepiscopi, Bertholdi marchionis de Hoemburg dilecti consanguinei et familiaris nostri, Riccardi comitis Casertani dilecti generi nostri, Petri Ruffi de Calabria maristalle nostre magistri, Riccardi de Montenigro curie nostre magistri justiciarii, magistri Johannis de Ytronto, Fulconis Ruffi, Johannis de Ocrea, magistri Johannis de Procida, magistri Roberti de Panormo imperii et regni Sicilie et magne curie nostre judicis, et magistri Nicolai de Brundusio publici tabellionis imperii et regni Sicilie et curie nostre notarii, nostrorum fidelium, quos presenti dispositioni nostre mandavimus interesse, per predictum Conradum filium et heredem nostrum et

alios successive sub pena benedictionis nostre tenaciter volumus observari; alioquin hereditate nostra non gaudeant. Id autem fidelibus nostris presentibus et futuris sub sacramento fidelitatis quo nobis et heredibus nostris tenentur, injungimus ut predicta omnia illibata teneant et observent.

Presens autem testamentum nostrum et ultimam voluntatem nostram quam robur firmitatis volumus obtinere, per predictum magistrum Nicolaum scribi et signo sancte crucis proprie manus nostre, sigillo etiam nostro et predictorum subscriptionibus jussimus communiri (1).

Actum apud Florentinum in Capitanata, anno, mense, die et indictione premissis, anno imperii nostri tricesimo secundo, regni Jerusalem vicesimo octavo, regni Sicilie quinqnagesimo primo (*sic*).

† Ego Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, dico et declaro hoc fuisse et esse meum solemne testamentum meamque ultimam voluntatem, actum et scriptum de mei ordine, voluntate et mandato per manus magistri Nicolai de Brundusio publici tabellionis curie, ac in presentia supradictorum et infrascriptorum testium nostrorum fidelium, quos omnibus predictis mandavimus interesse; ac in fidem omnium premissornm manu propria subscribimus nostroque solito imperiali et regio sigillo signavimus.

† Ego Berardus archiepiscopus Panormitanus rogatus premissis omnibus interfui, manu propria me subscripsi ac sigillo imperiali et regio signavi.

† Ego [Bertoldus] marchio de Hoemburg rogatus presens fui, manu propria subscripsi sigilloque imperiali me signavi.

(1) Ad hunc locum, ut putamus, singularis quaedam referenda est lectio quam ex cod. Vaticano 5985 exhibuit Pertzius, his verbis : « Jubentes et decernentes ex auctoritate nobis avito concessa quod illud testamentum inter filios et heredes nostros sit lex a nostra majestate autenticata, et quod juris robur omni tempore testamenti teneat, mandantes ut contradictores hujus rei ultimo supplicio tanquam nobis rebelles et proditores omnimodo vindicentur. Quare nos Fridericus, Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, ad majorem firmitatem et cautelam hoc signo sancte crucis propriis manibus imposuimus, quia plus vivere non valemus. »

† Ego Ricardus comes Casertanus rogatus supradicto imperiali testamento interfui, manu propria me subscripsi, supradictoque imperiali ac regio sigillo signavi.

† Ego [Petrus] Ruffus de Calabria rogatus supradictis omnibus interfui, manuque propria subscripsi ac imperiali sigillo me signavi.

† Ego magister Joannes de Hidronto rogatus interfui, manu mea subscripsi et imperiali ac regio sigillo me signavi.

† Ego Fulcuno Ruffus rogatus interfui, manu propria subscripsi et imperiali regioque sigillo signavi.

† Ego Johannes de Ocrea rogatus ut supra presens fui, me subscripsi manu propria ac supradicto imperiali sigillo signavi.

† Ego magister Joannes de Procida supradictis omnibus interfui, subscripsi, sigillavi et testor.

† Ego magister Robertus de Panormo rogatus me subscripsi et sigillavi ac omnibus interfui et testis sum.

† Ego Ricardus de Montenigro imperialis regieque curie magister justitiarius supradictis omnibus rogatus interfui, manu propria me subscripsi ac supradicto imperiali et regio sigillo me signavi et testis sum.

† Ego magister Nicolaus de Brundusio, publicus tabellio imperii et regni Sicilie ac imperialis curie notarius, rogatus a domino imperatore ut supradictum ejus testamentum suamque ultimam voluntatem conficerem, quia premissis omnibus et singulis una cum supradictis testibus interfui et publicavi ac in presentem publicam formam redegi, ideo subscriptione et signo meis solitis et consuetis subscripsi et signavi.

Magister Nicolaus de Brundusio notarius.

[Decembri.] Manfredus fratri suo Conrado, Romanorum et Siciliae regi, patris sui imperatoris Friderici mortem notificat, in hoc consolationis remedia afferens quod idem imperator victoriose vixit et christianissime obiit.

(Edit. ap. *Steph. Baluzii Miscellan. histor.*, t. I, p. 193, ex cod. quondam 635 bibl. Colbert., cum hæc rubrica : *Regi Conrado Manfredus per Nicolaum de Rocca de morte Frederici imperatoris.* — Ap. Caruso, *Bibl. hist. regn. Sicil.*, t. II, p. 319, et Daniele, *I reg. sepolchri del duom. di Palermo*, p. 93, not. *f*.)

Turbinis calicem quem nuper de patris et domini nostri casu non minus mentis quam oculorum infusione transumpsimus, vellemus libenter a poculis vestris excipere, velut qui mensam vestram gratis concupimus dulcorare deliciis, et precordia vestra placidis auxiamur gratificare pulmentis. Sed ut dolor quem exinde gustare vos novimus, nuntiantis sit contemplatione remissior, licet forsitan id fame velocitas que pennas consuevit in adversis assumere, magnitudini vestre predixerit, nuntiantes tamen alios elegimus prevenire ut eo sit casui medela proclivior quo nuntiatio nostra maturior ad vestram notitiam deducetur. Scimus etenim quod si patris virtutes attenditis, si ejus quem multipliciter natura dotaverat complementa pensatis, nedum vos qui caro de carne ipsius et os de ossibus descenditis, lugere cogimini, sed et oculi omnium universaliter ad lacrymas convertantur. Cecidit quidem sol mundi qui lucebat in gentibus, cecidit sol justitie, cecidit auctor pacis. Credimus tamen quod si circumstantias ejus consulte revolvitis, consolationis vicine remedia sentietis. Vixit enim dominus pater noster feliciter et victoriose dum vixit, et divine majestatis auctoritas que processibus ejus viventis adstiterat, morientis finibus voluit non deesse. In ipsis quidem mortis iudiciis, preter dona mirifica et beneficia gloriosa que in testamenti serie fidelibus gratanter indulsit, sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem suam in corde contrito, velut fidei orthodoxe zelator, humiliter recognovit, et damna que dudum ecclesiis invitus forsitan vel potius provocatus intulerat, integre restauranda sancivit. Mirabiliter etiam Deus ipsum beavit in exitu, quod liberis fecundatus adultis, sed persona vestra precipue, domine, in cujus humeris honorem et onus regiminis glorificatus appendit, ad patriam quo iter est omnibus, feliciter utinam victurus, accessit. Ex quo pulcra spes vel plenaria certitudo et certa fiducia datur in gentibus ut, licet occasum sol ille petierit, per cujusdam tamen continuationis ordinem relucescat in vobis, et licet fructificus cultor ille justitie, magnificus auctor pacis

operas et culturas suas moderantis omnia mortis severitate suspenderit, pacem tamen et justitiam semper excolat et operetur in vobis. Et sic pater abesse non creditur dum vivere speratur in filio, nec creditur tam pretiosa hereditas amisisse patronum, dum ejus confidit invenire dominium tam suave, tam placidum in herede. Immo si salva patris reverentia loquimur, satis consueto salubrius fideles vestri, scilicet regnicole, potissime sperant sub umbra vestri dominii protegi et sub vestro regimine confoveri, ex eo sumentes efficax argumentum ut qui nostis paternos mores nature generositate portendere, regnantis officium quod etas in vobis et natura consolidat, gerere velitis in subditis et sciatis. Vos igitur, gloriosissime domine, cujus adventum universorum mentes expectant et vota suspirant, sic vestrorum fidelium expectationibus consulatis ut spes que consuevit animam plus debito dilata conterere, ipsos in tam votiva prestolatione reficiat, et status pacificus regni vestri quod majestatis vestre presidium affectuose desiderat, ea tam grati regis presentia revirescat.

[Adest in cod. ornatissimi viri G. Settimi, principis Fitaliae, fol. 64, apud Panormum, altera de eodem argumento epistola cum hac rubrica : *Manfredus domini augusti imperatoris filius scribit populo Panormi de morte predicti imperatoris patris sui*. Incipit : *Etsi primi parentis meruerit, etc.* . . . . . . Explicit : *Data Fogie, etc.*]

[Decembri.] Allo 1 di decembre, quelli che passaro per Jovenazzo dissero che l'imperatore sta malissimo.

Alli 9 si sparse fama che era fore di pericolo.

Alli 13 che fo lo dì di Santa Lucia, moriò; e la sera innante avea mangiato certe pera con lo zuccaro, et disse che la mattina venendo se volea levare.....

Alli 16 di decembre alle 21 ore è venuta lettera da Manfredo prencipe di Taranto, che va avisando le terre da passo in passo della morte dello padre.....

Alli 28 del detto mese passao lo corpo dello imperatore che lo portaro a Taranto, et io fui a Bitonte per vedere. Et andao in una lettica coperta di velluto carmesino con la sua guardia delli Saracini a pede et sei compagnie di cavalli armate, che come intravano le terre, andavano chiangendo l'imperatore; et poi veneano alcuni baruni vestiti nigri, insieme con li sindici delle terre dello reame.

Diurn. di Matt. di Giovenazzo, § 28, 29, 30, 31, 33. Édit. de M. le duc de Luynes, 1839.

Et corpus ejus applicuit Messanae decimo tertio januarii dictae indictionis, et mansit corpus ejus de die in diem aliquantis diebus in ecclesia Pactensi, tempore domini Philippi episcopi ejusdem terrae; et fuit conductum postea apud Panormum, et ibi fuit sepultum. *Append. ad Galfr. de Malat.*, apud Caruso, t. I, p. 253.

ANNO DOMINICE INCARNATIONIS
M. CC. L, XIII DIE MENSIS
DECEMBRIS, NONE INDICTIONIS, OBIIT
DOMINUS NOSTER IMPERATOR FRIDERICUS
SECUNDUS, FILIUS MAGNI IMPERATORIS
HENRICI, ET FUIT POSITUS
IN SARCOFAGO VICESIMO QUINTO
MENSIS FEBRUARII EJUS INDICTIONIS
IN MATRE PANORMITANA ECCLESIA.

(Ex martyrologio quondam in capella regii palatii Panormit., nunc in bibl. commun. asservato, ap. de Cherrier, *Hist. de la lutte des papes et des emper. de la maison de Souabe*, t. II, p. 462, 2ᵉ édit.)

FRIDERICI SECUNDI PRIUS EPITAPHIUM.

SI PROBITAS, SENSUS, VIRTUTUM GRATIA, CENSUS,
NOBILITAS ORTI, POSSENT OBSISTERE MORTI,
NON FORET EXTINCTUS FREDERICUS QUI JACET INTUS.

EPITAPHIUM RECENTIUS.

QUI MARE, QUI TERRAS, POPULOS ET REGNA SUBEGIT,
CESAREUM NOMEN SUBITO MORS IMPROBA FREGIT.
JUSTICIE LUMEN, LUX VERI, NORMAQUE LEGUM
VIRTUTUM LUMEN JACET HIC, DIADEMAQUE REGUM.
SIC JACET, UT CERNIS, FRIDERICUS IN ORBE SECUNDUS
QUEM LAPIS HIC ARCET, CUI PARUIT UNDIQUE MUNDUS (1).

(1) Anno demum 1630, ut testatur Amatus, tertium epitaphium brevius tamen et concinnius appositum est, scilicet :

QUI MARE, QUI TERRAS, POPULOS ET REGNA SUBEGIT,
CESAREUM FREGIT SUBITO MORS IMPROBA NOMEN.
SIC JACET, UT CERNIS, FRIDERICUS IN ORBE SECUNDUS
QUEM LAPIS HIC, TOTUS CUI MUNDUS PARUIT, ARCET.

Cf. DANIELE, *I reg. sepolcr. del duom. di Palermo*, p. 99, not. *a*.

FINIS OCTAVAE ET ULTIMAE PARTIS.

CONRADI QUARTI

IN ROMANORUM REGEM ELECTI

HISTORIA DIPLOMATICA.

PARS SECUNDA

A MENSE SEPTEMBRI 1241 AD MENSEM DECEMBREM 1250.

CONRADI QUARTI

IN ROMANORUM REGEM ELECTI

HISTORIA DIPLOMATICA.

ANNO 1241. — INDICTIONE 14.

Conradus in Romanorum regem electus duci de Limburg mandat quod si Coloniensis electus castrum apud Remagen aedificare voluerit, illud toto posse impediat. Hall, 11 septembris.

(Edid. Guden., *Cod. diplom. Mogunt.*, t. II, pars II, p. 941, ex autographo.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, duci de Limburc, fideli et consanguineo suo, gratiam suam et omne bonum. Confidentes de tua constantia, rogamus attente quatenus si Coloniensis electus aliquod castrum apud Rimage (1) edificare cogitaverit, ut illud impedias toto posse, sicut imperio es astrictus, et Gerhardum de Sinzche sine tuo tamen dampno in nostris negotiis habeas commendatum.

Datum apud Hall, XI septembris, XIIII indictionis.

Conradus in Romanorum regem electus burgravio de Hammerstein, ministerialibus et imperii fidelibus, mandat quod juxta Hall, 16 septembris.

(1) Scilicet *Remagen*, super Renum, tribus leucis Bunna distans.

requisitionem Gerardi de Sintzig in comites de Nassau et de Isenburg aliosque imperii inimicos hostiliter insurgant.

(Edid. TROSS, *Westphalia*, 25 jun. 1825, p. 6.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia in Romanorum regem electus semper augustus et heres regni Hierusalem, burcgraviis (a) de Hamerstein, ministerialibus, vasallis ceterisque imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Cum comites (b) de Nassowe et de Isenbergh et alii imperii inimici nos temerario ausu molestarint, quos transire nolumus ullatenus incorrectos, mandamus devotioni vestre quatenus ob honorem nostrum et imperii, juxta requisitionem Gerhardi de Zinzich fidelis nostri, ad vindictam tante injurie, sicut de vobis confidimus, debeatis procedere contra eosdem.

Datum apud Hall, XV septembris, XIV indictione.

Apud Uberlingen, 26 septembris.

Conradus in Romanorum regem electus universis officialibus et civibus imperii mandat ut generalem ordinationem a patre suo in curia Moguntinensi factam circa ecclesiam de Salem observari faciant, scilicet quod nullus homo proprius personarum secularium seu ecclesiasticarum sine consensu domini sui in civitatibus imperii pro cive receptetur.

(Edit. in *Sartorii Apiar.*, p. 30, et apud LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XVIII, p. 504 : ambo autem omisso verbo *kalendas*, scilicet ad 6 octobris. — Collatum cum libr. privilegior. monast. Salemit. in arch. Karlsruh., vol. IV, fol. 422, 435, 455, ubi quoque adsunt confirmationes ab Henrico Luxemburgense, Friderico Austriaco dicto Pulchro et Carolo quarto imperatoribus concessae.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romano-

(a) Sic, rectius tamen ut opinamur *burgravio*.
(b) In impresso *comes*.

rum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, universis ministris, scultetis, officialibus sive civibus imperii gratiam suam et omne bonum. Cum a domino et patre nostro Romanorum imperatore in generali curia Moguntinensi, ad universalem peticionem tam ecclesiasticarum quam secularium personarum ordinatum extitit et statutum (1) ut in civitatibus nostris et imperii nullus homo proprie proprius personarum secularium seu ecclesiasticarum sine consensu domini sui receptetur in civem vel in eisdem aliquatenus foveatur, nosque idem statutum circa ecclesiam de Salem et ejus homines volumus jugiter observari, cum personas ejusdem monasterii, utpote quarum conversatio est in celis, speciali favore semper intendimus in suis juribus amplificare, universitati vestre per obtentum gratie domini et patris nostri et nostre precipimus firmiter et districte quatenus, si qui ex hominibus propriis predicti monasterii in civitatibus nostris inventi fuerint vel reperti, eosdem cum per venerabilem abbatem vel ejus nuntios requisiti fueritis, sine difficultate qualibet restituere non omittatis; in antea sollicite precaventes ne aliquis hominum dicti monasterii qui ei ratione proprietatis pertineat, in civem apud vos assumatur de cetero vel receptetur; certum habentes quod si eorum ad nos querimonia devenerit, illud in vobis arguere tanquam de mandati nostri transgressoribus cogeremur.

Datum apud Uberlingen, VI kalendas octobris, XV[a] indictione.

Conradus in Romanorum regem electus tractatum, de verbo in verbum insertum, quem Eberhardus, abbas de Salem, et ejus conventus cum Conrado de Ulma, notario, et ejus fratre Heinrico super quadam domo in Ulma usque ad vitae finem eorum tenenda habuerunt, confirmat. Apud Uberlingen, octobri.

---

(1) In constitutione tamen Moguntina, quae supra, t. IV, pars II, p. 740, hanc specialem legem non invenimus.

(Edit. ap. JAGER, *Uber Ulm*, t. I, p. 735, et *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 281, n° 768, ex originali unde tria sigilla cerae rubrae ex filis sericis rubri coloris appendent, scilicet Conradi regis, abbatis de Salem et Conradi de Ulma clerici. — Memoratum quoque a RAUMER, *Gesch. der Hohenstaufen*, t. II, p. 588.)

In nomine Domini. Amen. Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus, et heres regni Jerusalem. Ne quod pie geritur lapsu temporis valeat scrupulosa calliditas maculare, cautum est sic ea que fiunt, prout facta sunt, litterarum appicibus commendare. Tenore presentium notum esse cupimus tam presentibus quam futuris quod constituti coram nobis Eberhardus venerabilis abbas de Salem, pro se et suo conventu, et Conradus de Ulma notarius et fidelis noster cum Heinrico fratre suo cive Ulmensi supplicabant nobis ut tractatum quem inter se habuerant de domo quondam Marquardi notarii apud Ulmam, ratificare per nostras litteras dignaremur. Cujus forma talis est : predictus Conradus notarius dedit triginta marcas argenti claustro de Salem, eo pacto quod ipse et Heinricus frater suus eandem domum usque ad terminum vite sue teneant et possideant ad usus suos, et alter succedet alteri post mortem suam. Utroque vero Conrado et Heinrico deffunctis, nullus heredum ab eis descendentium quicquam juris in eadem domo sibi poterit vendicare, sed ad usus et proprietatem predicti monasterii libera revertetur. Memoratus quoque Conradus notarius seu frater ejus Heinricus sarta tecta domus fideliter reficient et emendabunt plenius ubi fuerint emendanda. Fratres autem de Salem ad opus suum in predicta domo unum cellarium et unum solarium retinebunt. Super premissis vero duo literarum paria conscribi debent, quorum utraque pars unum sub nostro et earum sigillis accipiet communitum. Nos itaque dictarum partium precibus annuentes, et ratificantes auctoritate regia tractatum eumdem, prout superius est expressus, sigillum nostrum cum sigillis predicti abbatis et Conradi notarii nostri hiis litteris duximus apponendum.

Actum apud Uberlingen, anno gratie millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense octobris, XV indictionis.

Conradus, Romanorum in regem electus, advocato et civibus Turicensibus mandat quod nullos denarios in praejudicium monetae abbatissae Thuricensis dari permittant, eamdemque in juribus suis manuteneant. Apud Schafusen, 11 octobris.

(Edit. ap. Neugart, *Cod. Alemann.*, t. II, p. 174, ex Cl. Dursteleri Mss. in Bibl. Turic.)

Cuonradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem (*a*), advocato et universis civibus Thuricensibus fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Supplicavit celsitudini nostre dilecta princeps et fidelis nostra venerabilis abbatissa Thuricensis, quia in moneta sua quam tenet a nobis et a culmine imperiali ratione feudi et in ceteris juribus suis, sibi derogetur in tantum quod in debitis pensionibus et consuetis sibi et ecclesie sue persolvendis defectum intolerabilem patiatur. Cum ergo hujusmodi injuriis et gravaminibus obviare debemus, mandamus vobis per obtentum gratie domini et patris nostri ac nostre firmiter et districte precipientes quatenus in vestro districtu nullos permittatis denarios dari in prejudicium et gravamen dicte fidelis nostre ac monete sue, nisi sub cambio competenti. In ceteris quoque juribus ipsam abbatissam et ecclesiam suam teneatis in debitis usibus et honorificentiis, ut deinceps in hac parte de vobis non possit habere materiam conquerendi.

Datum apud Scaph[usen], XI octobris, XV indictione.

Conradus, Romanorum in regem electus, libertates monasterio Apud Biundo, octobri.

(*a*) In impresso *Terlin*, male.

monialium Cisterciensis ordinis apud Baindt a Conrado pincerna de Winterstetten ejusdem fundatore concessas confirmat, idemque et praedia ejus ab omni jure advocatiae eximit.

(Extract. potius quam editum in *Beilage zum Archiv fur Kunde österr. Gesch.*, Notizenblatt, n° 20, 1851, p. 306, ex transumpto anni 1727. Integrum nunc edimus ex originali apud Baindt, cujus copiam nobiscum liberaliter communicavit vir eruditus Kausler.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, universis imperii fidelibus presens scriptum intuentibus gratiam suam et omne bonum. Regia sublimitas tunc praecipue sui nominis titulos ampliat et extollit, cum in virtute Dei per quem sublimata est personas religiosas et loca divino cultui mancipata pia mentis affectione protegit ac tuetur et eorum justis petitionibus se inclinat. Quapropter universitati vestre dignum duximus declarandum quod cum Conradus pincerna de Wintersteten, familiaris et fidelis noster, ad laudes Dei vivi sub cultu et religione Cisterciensis ordinis claustrum monialium in fundo proprietatis sue in villa Biunde, de domini et patris nostri Friderici divi Romanorum imperatoris secundi donatione et consensu, sicut in ejus litteris plenius continetur, et ex nostra licentia feliciter erexisset, petivit a nobis ut eumdem locum personaliter adiremus. Quo dum essemus in loco, idem pincerna protestatus fuit quomodo idem claustrum constituit liberum tam a se quam ab omni sua posteritate, nec in eodem juris sibi quippiam reservavit, sicut patet aperte per ejus privilegium quo munivit cenobium prelibatum. Supplicavit autem nobis humiliter et devote ut idem monasterium assumptum sub nostre et imperii defensionis presidium speciale, sanctasque Dei famulas in eo Domino famulantes aliquo libertatis scripto ampliare de nostra gratia dignaremur. Attendentes ergo fidem puram in qua dictus pincerna nobis et imperio semper adhesit fideliter et constanter, ipsius in hac parte ad honorem Dei precibus annuendum duximus favore pleno, auctoritate regia statuentes ut, sicut ordo Cisterciensis ab exordio sue institutionis nullis unquam fuit obnoxius advocatis, sic idem

monasterium in Biunde cum omnibus possessionibus ejus quas habet vel habebit, ab omni advocatorum ratione atque exactione tam de communi ordinis libertate quam de presenti nostra concessione sit liberum et exemptum. Paci insuper et immunitati ipsius de regia clementia providentes, inhibemus omnino ne qnisquam predicti monasterii aut ullius sui predii advocatiam in feudo a qnoquam habeat vel habere ullo nomine aut jure valeat, nec donationis alicujus predii ratione seu commisse aut expetite defensionis occasione nomen et jus advocati in idem cenobinm vel ejus bona sibi quispiam vendicet aut assumat, sed quodcumque predium eidem monasterio est hactenus vel amodo fuerit in elemosinam datum aut jnstis modis aliis acquisitum, eo ipso regie tditioni subjaceat, quia monasterii esse cepit. Statuimus ergo et presenti sanctimus edicto ut nulla persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, predictum monasterium aut personas in eo Domino famulantes contra tenorem presentis privilegii presumat aliquatenus perturbare. Quod qui presumpserit divine nltionis gladium in presenti et futuro seculo pertimescat ac nostre celsitudinis iram et indignationem se noverit graviter incursurum, correctione debita non exclusa. Ad hujns itaque rei evidentiam et stabilem firmitatem, presens privilegium conscribi fecimus et sigillo nostre celsitudinis roborari.

Datum apud Biunde (1), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense octobris, quintedecime indictionis, feliciter. Amen.

Conradus, in Romanorum regem electus, oppidum suum Düren pro decem millibus marcarum argenti Willelmo comiti Juliacensi obligat, ea conditione ut cum a se vel a suis successoribus de praedictis marcis fuerit plenarie satisfactum, ipsum oppidum libere ad imperium revertatur. [Coloniae?] octobri.

(1) Hodie *Baindt*, quondam conventus in Suevia juxta Ravensburg.

(Edit. ap. Christ. Jac. Kremers, *Urkund. zur Gülch. und Bergisch. Geschichte*, t. II, p. 82, n° LXIII.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex (1), universis imperii fidelibus gratiam suam et omne bouum. Ad presentiam universitatis vestre volumus pervenire quod nos habentes pre oculis grata, devota ac accepta servitia que Willielmus comes Juliacensis nobis et imperio hactenus exhibuit et in antea gratiora poterit exhibere, de innata gratia nostra ipsi oppidum nostrum Duren pro decem millibus marcarum argenti liberaliter duximus obligandum; et ipse et sui heredes dictum opidum a nobis et nostris successoribus imperatoribus et regibus Romanorum tenebunt, donec ei vel suis heredibus a nobis vel nostris successoribus de prescriptis marcis fuerit plenarie et per omnia satisfactum. Quo facto, dictum oppidum ad imperium libere revertetur, idemque comes et sui heredes pro tanta gratia eis impensa eo frequentius mandatis imperii perpetuo subjacebunt. Huic facto nostro interfuerunt Fridericus comes de Lininchen, Godefridus de Hohenlo (*a*), Conradus de Smedevelt, Crato de Bocsberc, Walterus pincerna de Limhurch, Wilhelmus Bonus, et alii quamplures. In cujus rei testimonium presens ei dedimus scriptum sigillo nostro munitum.

Datum Cremone (*b*), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense octobri, quinta decima indictione.

(*a*) In impresso *de Holo*, male.

(*b*) Quum hoc nomen minime itinerario Conradi conveniat, *Colonie* satis libenter restituendum proponimus, vel forsitan *Tremonie* (*Dortmund*).

(1) Notae chronologicae, ipsius documenti tenor et praesertim testium nomina docent hanc chartam ad Conradum Friderici filium rectius pertinére, sicut diserte monuit Boehmerus, *Uneinreihbare stücke*, p. LXXXV. Confusionem quae in codice irrepserat, non detexit Kremer.

ANNO 1242. — INDICTIONE 15.

Conradus, in Romanorum regem electus, notificat imperii fidelibus homagium per Warnerum de Bolandia comitissae Lucemburgensi praestitum contra quoslibet, excepto imperatore et imperio ac archiepiscopo Moguntinensi.

Apud Rotenburg, januario.

(Edid. Bertholet, *Hist. ecclés. et civ. du duché de Luxembourg*, t. V, preuves, p. 20, ex arch. civ. Lucemburg.)

Conrardus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre notum facimus per presentes quod Warnerus de Bolandia fidelis noster fecit homagium comitisse de Lucembourch ejusque heredibus, receptis ab ea titulo feodali monte Castrensi et curia apud Imsweiler valentibus (a) annuatim triginta libras Metensis monete, que tam ipse Wernerus quam sui heredes a predicta comitissa ejusque heredibus feodaliter possidebunt, eruntque eis homagio obligati et tenebuntur assistere eisdem contra quoslibet, excepto domino et patre nostro, nobis et imperio ac archiepiscopo Moguntinensi, in ea forma et juribus ad que jure tenentur. Ad cujus rei memoriam, presentes litteras fieri fecimus et sigillo nostre celsitudinis roborari.

Actum et datum apud Rotenberch, anno gracie MCCXLII, mense januario, XV indictione.

(a) In impresso *valentia*.

Apud Spiram, februario.

Conradus, in Romanorum regem electus, officiatis imperii caeterisque fidelibus mandat ut juxta tenorem privilegiorum Friderici imperatoris patris sui et aliorum imperatorum, cives Moguntinos exemptione novarum collectarum frui permittant.

(Inedit. ex originali in biblioth. publica Moguntina, cujus nobis copiam liberalitate sua solita nobis fecit Fr. Boehmerus.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gracia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, universis officiatis ceterisque imperii fidelibus quibus presentes littere ostense fuerint, graciam suam et omne bonum. Cum dominus et genitor noster Romanorum imperator civibus Maguntinis merito servicii eorum eam duxerit graciam faciendam, ut quoad vixerit Sifridus archiepiscopus Maguntinus et in serviciis imperii bene se gesserint, per omnes civitates imperii terra et aqua de omnibus rebus suis quas portaverint sint ab omni exactione thelonei liberi et exempti, et preterea bona ipsorum que in nostris habent jurisdictionibus, que ab antiquo ab omni stuira et precaria fuerint libera et exempta, maxime temporibus divorum augustorum avi ipsius imperatoris Friderici et patris sui Heinrici, memorie recolende, novis collectis et stuiris nullatenus impetantur, et antiqua libertate qua predictis temporibus usi sunt, felici ipsius tempore gaudeant et utantur, sicut in privilegiis exinde confectis hec omnia plenius continentur; universitati vestre per obtentum gracie paterne et nostre firmiter precipiendo mandamus, ne quis ex vobis predictos cives in predicta gracia ipsis facta contra tenorem presentium impetere vel molestare presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostram et imperii se sciat graviter incurrisse.

Actum et datum apud Spiram, anno gracie millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, mense februario, XV indictione.

Post venit Conradus rex Trevirim in quadragesima et honorifice susceptus est ab eo [archiepiscopus] Theodericus. Descendit autem rex Aquisgranum et episcopus Confluentiam. *Gest. Trevir.*, ap. Hontheim, p. 800.

Conradus, Romanorum in regem electus, pro solutione trecentarum librarum quas sibi Henricus praepositus de Pfalzel praestitit, ei tres Judaeos captos assignat ut per venditionem domorum et rerum Judaeorum eorumdem hanc pecuniae quantitatem extorqueat. Treviris, 1° martii.

(Edit. ap. *Gesta Treviror.*, edit. Wittenbach et Muller, t. I, *Additamenta*, p. 56. Appensum Conradi sigillum omnino idem est ut videmus impressum in altero ejusdem regis diplomate quod publicavit Zyllesius. Sequens videsis documentum.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jherusalem. Omnibus presens scriptum visuris volumus esse notum quod dilectus clericus noster Henricus prepositus Palatiolensis nobis prestitit trecentas libras Trevirenses, et nos eidem captos assignavimus nostros Judeos cum integritate rerum suarum, scilicet Helemannum et Heckelinum suum generum de Cogme et Aaron de Crone, ut ab eisdem accipiat cum accessoriis dicte pecunie quantitatem, dantes eidem preposito potestatem vendendi domos et res eorum quibuscumque sibi visum fuerit expedire. Si vero tantam ab ipsis non potuerit extorquere pecuniam, talem defectum eidem ex nostro erario promisimus verbo regis adimplere. In cujus

rei testimonium presens scriptum dicto preposito tradidimus sigilli nostri munimine roboratum.

Datum et actum Treveris, anno Domini M. CC. XLI, kalendis marcii.

Apud Treverim, martio.

Conradus, in Romanorum regem electus, abbatem et conventum Sancti Maximini apud Treverim sub sua et imperii protectione speciali recipit.

(Edider. Zyllesius, *Defensio abbat. imper. S. Maximini*, pars III, p. 60. — Lunig, *Reichsarchiv*, t. XVI, p. 284. — Hontheim, *Hist. Trevir. diplomat.*, t. I, p. 726.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Supplicaverunt celsitudini nostre venerabilis abbas et conventus Sancti Maximini Trevirensis, fideles nostri, ut ecclesiam et omnia bona eorum que juste tenent et possident, sub imperialis et nostre protectionis gratia recipere dignaremur. Nos igitur qui personas religiosas et loca Deo dicata de innata nobis pietate intendimus et affectamus defensare favorabiliter ac fovere, piis eorum supplicationibus legitime inclinati, eamdem ecclesiam cum omnibus bonis suis que in presenti juste tenent et possident vel que in antea justis modis poterunt adipisci, sub protectione nostra et imperii recipimus speciali; mandantes et per obtentum gratie domini et patris nostri et nostre firmiter precipientes quatenus nullus sit qui eamdem ecclesiam vel personas in ea Domino famulantes in bonis suis presumat vel audeat aliquatenus temere molestare. Quod qui presumpserit indignationem nostram et imperii se noverit graviter incurrisse.

Actum anno dominice incarnationis M. CC. XLII, mense martii, XV indictionis.

Datum apud Treverim, anno, mense et indictione prescriptis.

Conradus in Romanorum regem electus, pro devotis servitiis Henrici Brabantiae ducis, ei tria millia marcarum Coloniensis monetae in festo Sancti Remigii proxime venturo persolvenda promittit. Apud Coloniam, martio.

(Edider. Butkens, *Troph. du Brab.*, t. I, p. 84; — Lunig., *Cod. Germ. diplomat.*, t. II, p. 1102. Coll. cum *Reg. des chartes de Brab.*, B., folio 5 verso, in archivo reg. Bruxellensi.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Ierhusalem, universis presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium notum esse volumus et protestamur quod nos attendentes devotam sinceritatem per quam Henricus illustris dux Brabantie pro servitiis domini et patris nostri et nostris se sedulum exhibet jugiter et intentum (1), de plenitudine consilii nostri promittimus ei tria millia marcarum Coloniensis monete in festo Sancti Remigii proximo nunc venturo liberaliter persolvenda. Ad cujus rei robur presentes litteras fieri fecimus sigilli nostri munimine roboratas.

Actum apud Coloniam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, mense martii, XV indictione.

Revertente vero rege Confluentiae ad partes ante Pascha, mortuus est Theodericus archiepiscopus (2) quinto kalendas aprilis (28 martii). *Gest. Trevir.*, loco supra citato.

(1) Non diu autem duravit laudata ista fides, dum dux Brabantiae inter primos Germaniae magnates ad partes Sedis Romanae mox defecerit.

(2) Magnum abinde exortum est dissidium propter duplicem tum Arnoldi ecclesiae cathe-

Rotenburg, 1° mai.

Conradus, in Romanorum regem electus, consilio Heinrici lantgravii Thuringiae, procuratoris sui per Germaniam et aliorum, quemdam iniquum detentorem ecclesiae in Ellingen, Eystetensis dioecesis, ab administratione ipsius ecclesiae amovet, et eamdem fratribus hospitalis Sanctae Mariae domus Theutonicorum in Jerusalem, quibus olim sub Hermanno de Salza a Friderico II imperatore donata erat, adjudicat.

(Edit. in *Brandenburg. Usurpationsgesch.*, im Anhang, urk. 105, cum hac nota : *primo martii;* rectius vero in *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 283, n° 769, ex originali quod duplex exstat : unum cum sigillo integro et filis sericis flavi ac rubri coloris, alterum cum sigilli fragmento ex segmento membranaceo.)

Conr[adus], divi augusti imperatoris Fr[iderici] filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, et heres regni Jerusalem, universis imperii fidelibus imperpetuum. Ex tenore privilegiorum divi patris ac domini nostri Fr[iderici] serenissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, ad quem jus et proprietas ecclesie in Ellingen, Eystetensis dyocesis, pertinuisse certissime noscebatur, nobis constitit evidenter dictam ecclesiam ex munificentia ipsius magistro Hermanno de Salza bone memorie et domui sue, videlicet hospitali Sancte Marie domus Theutonice in Jerusalem, liberaliter pleno et integro jure esse donatam pariter et collatam (1). Verum cum . . . sacerdos dictus prepositus, qui eamdem tenebat ecclesiam, omni juri suo renuncians, ipsam ad dies vite sue de manu prefati magistri nomine domus Theutonice recepisset,

dralis praepositi, tum Rudolfi praepositi de Sancto Paulino electionem. Cujus Rudolfi rex Conradus partes amplexus, ipsi regalia contulit; sed post breve certamen, morte adversarii sui superveniente, vicit Arnoldus et fuit a papa confirmatus.

(1) Scilicet apud Nuremberg, 8 septembris 1216. Cf. t. I, p. 480.

idem minus sano ductus consilio, Deum non timens et hominem non reveritus, possessionem antedicte domus evertere cupiens et turbare, immo totum ipsius jus penitus enervare, jus alienum ad se non pertinens falso sibi usurpans veri dominii potestatem, quasi mercenarius et non pastor, preposito et monasterio in Bergkersgademe jus quod non habuit, furtive et clandestine recognovit, pactis et factis illicitis intervenientibus, ut dicitur, in prefate domus prejudicium, injuriam et gravamen; nichilominus iniquitatem addens iniquitati, et laxatis habenis voluptatum per campos abusive licentie evagans et discurrens, dotem ecclesie supradicte in dotem scorti et spurie prolis sue convertens, donando, inpignorando, et alias sub forma diversorum tytulorum alienaudo Jesu Christi patrimonium dilapidavit, et miserabiliter ac enormiter laceravit. Sane cum hujusmodi notoriam enormitatem jam non fratrum relatio, sed totius vulgi clamor in altum ascendens, et non solum publica fama, immo ipsa rei evidentia nostro culmini declarasset, cum ex debito regalis celsitudinis omnium quidem ecclesiarum ad nos pertineat sollicitudo, specialiter autem ex commissa divi patris nostri sepedicte domus cura, cujus fratres proprii sanguinis sunt prodigi pro ampliacione ac conservatione fidei orthodoxe, de prudentum et jurisperitorum consilio dilapidatorem antedictum, qui die sibi et fratribus a nobis prefixo tamquam de jure suo diffidens, nec comparuit, nec responsalem mittere curavit, nec quidquam de jure suo, si quod habuit, docuit, sicut facturum se coram nobis expressissime obligavit, cum predicti fratres ipso die de jure suo tam per privilegium serenissimi patris nostri, quam per vivos testes plenissime nos instruxerint et aperte, ab amministratione ipsius ecclesie, quam excessibus suis demeruit, duximus amovendum, cum privilegium teneatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Cum igitur fratres antedicti patri nostro et nobis suis exigentibus meritis dilecti pariter et accepti, possessionem ecclesie in Ellingen, quam in nostram, ut prediximus, defensionem suscepimus, ne inique machinationis studio deperiret, humiliter repeterent et devote, nos de consilio venerabilis episcopi Wormatiensis, dilecti ac familiaris principis nostri, necnon dilecti consanguinei et principis nostri Henrici lantgravii Thuringie,

comitis palatini Saxonie, quem augustus pater noster procuratorem nobis et imperio deputavit per Germaniam, necnon de consilio G. de Hohenlohe, C. de Cruthein, C. pincerne de Wintersteten et C. de Smidenvelt, consiliariorum et fidelium nostrorum, et quorundam virorum jurisperitorum, videlicet magistri Th. Herbipolensis canonici, magistri Jo. de Durlo, magistri E. Babenbergensis canonici, eisdem fratribus ecclesiam memoratam cum pleno et integro proprietatis et possessionis jure restituimus, et sicut exigente justicia debuimus, duximus assignandam; paterna et nostra auctoritate mandantes, et districte ac firmiter sub optentu ipsius et nostre gratie precipientes ne quis eosdem fratres in possessionibus et juribus ipsius ecclesie molestare quocumque modo audeat vel turbare. Scituris omnibus quod qui hoc presumpserit paterne [ac] nostre majestatis indignationem se incurrisse pena docente sentiet cum effectu. Ne igitur super premissis ulla questio vel ambiguitas in posterum oriatur, presentem paginam super hiis conscriptam impressione ac munimine sigilli nostre celsitudinis jussimus roborari.

Actum anno gratie millesimo ducentesimo quadragesimo secundo.

Datum Rotenburc, primo madii, quintedecime indictionis.

Apud Rotenburg, 2 maii.

Conradus, in Romanorum regem electus, notificat Gerardum de Sinzich rationem villicationis suae pro uno anno deposuisse, confiteturque se teneri solvere eidem octoginta octo marcas et dimidiam, praeter damna et expensas eidem Gerardo compensandas.

(Edid. Tross, *Westphalia*, 25 junii 1825, p. 6.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, heres regni Jerusalem. Tenore presentium notificamus universis quod Gerardus de Sinsigh fidelis noster coram officiatis nostris deposuit rationem villicationis sue (1) de uno anno.

---

(1) Evidenter pro castro de Landscron, cujus erat capitaneus.

Introitus :

Recepit idem Gerhardus in denariis de redditibus XXIX marcas floreno (?) minus.

Item recepit de Judeis V marcas.

Item de uxore prepositi XV marcas.

Item in precaria L marcas.

Item de Judeis XV marcas.

Item in exactionibus factis in hostes imperii CV marcas.

Item in annona in siligine XXXVIII maldra et dimidium et in avena XXXIII maldra et dimidium, que vendidit pro IX [marcis] minus fertone.

Item recepit in vino XVI carratas quas assignavit duci Brabantie. — Summa percepti CC marco, XXVII marce et dimidia (*a*).

Exitus :

Inventum est in apodixa sua quod nos debemus eidem Gerhardo de proxima computationo sua XXVIII marcas et VIII solidos Colonienses.

Debemus et de militia sua qua est accinctus XX marcas.

Item dedit Johanni Bono de feudo Castelli VIII marcas.

Item Everhardo de Mendorp de feodo Castelli VI marcas.

Item pro blidis faciendis XVIII marcas.

Item in expensa nostra Sinsich LXII marcas, XXVI denarios.

Item in expensa militum post nos venientium ad nostram expeditionem XXXII marcas, fertone minus.

Item dedit ad expensam messis et autumni VI marcas solidorum.

Item ad nostrum servitium tribus militibus pro dextrariis LX marcas.

Item duobus armigeris pro equis quos perdiderant in pugna ad nostrum servitium, XVI marcas.

Item pro tribus equis in exutione (*b*) ville Arwilre perditis XV marcas.

Item balistariis sex per tres menses detentis XVIII marcas.

Item in expensa nostra apud Treverim VIII libras Treverenses.

Item in expensa Aquis III marcas.

Item in expensa sua Colonie. . . . .

(*a*) In impresso *dua*, male.

(*b*) Sic ; verosimiliter *exustione*.

Item in expensa sua apud Maguntiam (a) IV marcas. — Summa dati CCCVI marce.

Computatis hinc inde singulis et universis, nos tenemur solvere eidem Gerardo LXX[X]VIII marcas et dimidiam marcam, et habebit officium usque ad festum Sancte Marianne proxime futurum. Dicit etiam idem Gerardus quod per sedecim septimanas tenebat quinquaginta armatos cum totidem equitatuum ad nostrum servitium, de quibus ipse nullas accepit expensas : domus sua Sintzig combusta, et vinum suum et frumentum dissipata sunt, et possessiones sue aduste. Captivos quos habebat dimisit ad mandatum nostrum solutos, de quibus poterat habere ut dicit XL marcas. Super his expectat gratiam imperatoris et nostram.

Datum apud Rodemburch, anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, in secundo die mensis maii, XV indictione.

Apud Rotenburg, maio.

Conradus, in Romanorum regem electus, civibus de Wetphlaria et de Frankenfurt jura, libertates et consuetudines eorum tam antiquas quam novas confirmat.

I.

(Edid. Guden., *Sylloge*, etc., p. 471, ex originali unde pendebat sigillum cereum cum inscriptione : CVNRADVS DIVI AVGVSTI IMPERATORIS FRIDERICI FILIVS DEI GRATIA ROMANORVM IN REGEM ELECTVS HERES IERLM. Cf. sigilli figuram in capite tomi quinti.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, universis imperii fidelibus ad quos presentes littere pervenerint gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre notum fieri volumus per pre-

(a) In impresso *Magnatiam*, male.

sentes quod nos civibus de Wetphlaria fidelibus nostris omnia jura, libertates seu consuetudines suas tam antiquas quam etiam novas, quas a domino et patre nostro Friderico Romanorum imperatore serenissimo hactenus obtinuerunt, de innata nobis benignitate eis per nostras presentes litteras duximus confirmandas. Mandantes et auctoritate paterna et nostra firmiter et districte precipientes quatinus nullus memoratos cives in suis juribus, libertatibus seu consuetudinibus hactenus licite obtentis contra hanc nostre confirmationis paginam quoquam ausu temerario molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit graviter incurrisse. Precipimus autem tibi, burcgravie, ac ceteris ibidem postmodum officiatis nostris existentibus ut eosdem cives in predictis auctoritate nostra manuteneas et defendas.

Actum et datum apud Rodinburc, anno Domini M.CC.XLII, mense maio, XV indictione.

II.

(Edit. ap. *Privileg. et pacta von Frankf.*, p. 4. — Lunig, *Reichsarchiv*, t. XIII, p. 558. — Boehmer, *Cod. diplom. Moenofrancof.*, t. I, p. 70.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, universis ad quos presentes littere pervenerint imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre notum fieri volumus per presentes quod nos civibus de Frankinvort fidelibus nostris omnia jura, libertates et consuetudines suas tam antiquas quam novas a domino nostro et genitore Friderico Romanorum imperatore serenissimo eisdem indultas, de innata nobis benignitate duximus confirmandas; mandantes et auctoritate paterna nostraque firmiter et districte precipientes quatinus nullus eosdem cives in suis juribus et libertatibus hactenus obtentis contra hanc nostre confirmationis paginam quoquam ausu temerario molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit graviter incurrisse. Precipimus autem tibi, burgravie (1), ac

(1) Tunc neque apud Wetzlar neque apud Francfort burgravii aderant. Sed arbitrari licet

ceteris officiatis nostris postmodum ibi existentibus ut eosdem in predictis auctoritate nostra manuteneas et defendas.

Actum et datum apud Rodinburc, anno Domini M. CC. XLII, mense maio, XV indictione.

Haguenau, 31 maii.

Conradus, in Romanorum regem electus, suarum primitias precum capitulo Hildelseimensis ecclesiae offert pro filio comitis Ludowici de Eberstein in canonicum recipiendo et de praebenda providendo.

(Edid. SENKENBERG, *De jure primarum precum*, p. 25, note *a*. (Francfort, 1784), Cod. probat., p. 9, cum fac simile. Sigillum tergo pergamenae impressum memorat, cum ista inscriptione : « Venerabili preposito, decano totique capitulo Hildensheimensis ecclesie dilectis fidelibus suis. »)

Conradus, divi imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, venerabili preposito, decano totique capitulo Hildensheimensis ecclesie dilectis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Si primitias precum nostrarum devotioni vestre offerimus pro hiis qui grati sunt nostro culmini et accepti, tanto reverentius illas a vobis credimus admittendas, quanto in eis cum sint nobiles et honesti, videtur et vobis et ecclesie salubrius provisum fore. Hinc est quod pro filio comitis Ludewici de Eberstein, clerico et fideli nostro, quem in favorem sue progeniei que semper nobis et imperio adhesit fideliter, diligimus ut devotum, primitias precum nostrarum vobis duximus offerendas (1), rogantes et monentes attente quatenus eundem

---

unum quasi idemque privilegium quatuor imperialibus de Wetteravia civitatibus fuisse concessum, cujus typum habemus in confirmatione Friedbergensibus, quos revera burgravius regebat, indulta.

(1) Senkenbergius et Boehmerus monent hoc esse antiquissimum quod a regibus Germaniae processerit, instrumentum, de primitiis precum pro clericis eligendis.

clericum et fidelem nostrum in ecclesia vestra recipiatis in canonicum et in fratrem, providentes ei de prebenda si qua vacat ad presens vel quam primum vacare contingerit pro nostre reverentia majestatis, ut exinde petitiones vestras quotienscumque nobis oblate fuerint, teneamur favorabilius exaudire.

Datum Hagene, ultimo maii, XV indictione.

Conradus, in regem Romanorum electus, civibus de Columbaria et Kaisersberg mandat ne abbatem et conventum de Paris in exactionibus aut collectis aliquatenus molestent, cum quadraginta carratas lapidum ad muniendas civitates suas dare consueverint annuatim. Wissembourg, 21 junii.

(Edid. Hugo, *Sacr. antiq. monum.*, t. II, p. 394, ex confirmat. Carol. IV, ann. 1354.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Hierosolimitani, scultetis et civibus de Columbaria et de Keisersperg fidelibus suis suam gratiam [et] omne bonum. Cum abbas [et] conventus de Paris, Cisterciensis ordinis, ab exactionibus, collectis et ab eo quod ungalt (*a*) vulgariter appellatur merito sint immunes, de potestate paterna et nostra vobis mandamus et districte precipimus quatenus abbatem et fratres ejusdem claustri in predictis aut in aliis que contra libertatem eorum dignoscuntur . . . . . nullatenus molestetis, maxime cum iidem nobis quadraginta carratas lapidum ad muniendas civitates nostras de bona voluntate et mera liberalitate suis sumptibus et expensis dare consueverunt annuatim.

Datum Wiseburg (1), XXI junii, indictione XV.

(*a*) Theutonico sermone *umgeld*.

(1) Sine dubio agitur de *Wissembourg-sur-Lauter* in Alsatia.

Haguenau, junio. Conradus, Romanorum in regem electus, privilegium ab imperatore patre suo hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum de bonis imperii feudalibus anno 1223 indultum, renovat et inserendo confirmat.

(Edit. in *Brandenb. usurpations Gesch.*, p. 102, coll. cum cop. authent. in arch. Stuttgart.)

Conradus, divi augusti imperatoris Frederici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jherusalem, universis Christi fidelibus presentem litteram cognituris in perpetuum. Tenore presentium cunctis fieri cupimus manifestum quod nos serenissimi patris et domini nostri divi augusti Friderici imperatoris presens scriptum non cancellatum, non viciatum, non abolitum nec in aliqua parte lesum, aurea bulla sigillatum, vidimus et audivimus in hec verba conscriptum :

(Sequitur de verbo ad verbum privilegium Friderici II, datum Capuae mense januario, anno dominicae incarnationis M. CC. XXIII, indictione undecima. Vid. supra, tom. II, p. 294.)

In cujus rei testimonium et majorem evidentiam, invictissimi domini et genitoris nostri Friderici Romanorum imperatoris semper augusti vestigiis inherentes, gratiam hospitali Sancte Marie de domo Theutonicorum indultam ratam et gratam habemus, presensque privilegium sigillo nostre majestatis fratribus de domo predicta dedimus roboratum.

Datum Hagenowie, anno Domini M. CC. quadragesimo secundo, mense junio, indictione quintadecima.

Apud Haguenau, 3 julii. Conradus, in Romanorum regem electus, Johanni episcopo Mindensi concedit ut omnia officia ad episcopatum pertinentia ipsi

de jure vacent, principalibus quatuor exceptis, potestatemque indulget constituendi duo oppida, quod vulgo wichbelede appellatur, cum jure gravis monetae in altero illorum cudendae.

(Edit. ap. LUNIG. *Reichsarch.*, t. XVII, p. 115, et in Mindens. episcop. Chron., ap. PISTORIUM, *Scriptor.*, t. I, p. 744.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici II filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Hierusalem, universis paginam presentem inspecturis dilectis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Constitutus in presentia nostre celsitudinis Joannes venerabilis Mindensis episcopus, dilectus princeps noster, per sententiam inquisitam obtinuit coram nobis quod omnia sibi jure vacarent officia ad episcopatum pertinentia, preter illa quatuor principalia que secundum constitutionem generalem et communem justitiam sunt excepta. Preterea eidem concessimus potestatem constituendi duo oppida, quod vulgo wichbelede appellatur, ubicumque eadem in sua diocesi duxerit construenda. Nihilominus etiam concedimus et donamus eidem libertatem in altero illorum oppidorum gravem monetam cudendi, sine gravi prejudicio juris alieni. Ad quarum donationum omnium evidentiam presentem litteram sibi dari fecimus, sigilli nostri munimine roboratam.

Datum apud Hagen., tertio julii, quinta decima indictione.

Conradus, in Romanorum regem electus, cives Trevirenses cum personis et omnibus eorum bonis sub imperii et sua protectione recipit. Hagnowiae, 14 julii.

(Edit. ap. BROWER, *Annal. Trevir.*, lib. XVI, p. 137, et ap. HONTHEIM, *Histor. Trevir.*, t. I, p. 729.)

Conradus, [divi augusti] imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Hierusalem. Te-

nore presentium notum facimus universis quod nos ad devota servitia que cives Trevirenses domino et patri nostro, nobis et imperio prestiterunt et frequenter poterunt exhibere, debitum respectum habentes, eosdem cum personis et omnibus bonis suis sub imperii et nostram protectionem recepimus specialem, per obtentum gratie domini et genitoris nostri et nostre firmiter precipientes ne quis eos contra presentis protectionis nostre tenorem ausu temerario molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram et imperii se sciat graviter incursurum. Ad cujus protectionis robur, presentes eis damus litteras sigillo nostre celsitudinis communitas (1).

Datum Hagnovie, XIIII julii, indictione XV.

In castris apud Wormatiam, 27 julii.

Conradus, in Romanorum regem electus, ad preces episcopi Wormatiensis, civibus Wormatiensibus indulget ut a theloneo ungelt nuncupato, quod apud Oppenheim ab eis in Reno recipi solebat, sint de cetero absoluti.

(Edid. Boehmer, *Fontes rer. Germanic.*, t. II, p. 224, n° 11.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus ac heres regni Jerusalem, universis imperii fidelibus tenorem presentium inspicientibus graciam suam et omne bonum. Ad universorum notitiam volumus pervenire quod attendentes devota servitia multotiens patri nostro et nobis per cives Wormatienses fideles nostros exhibita, eisdem civibus de plenitudine consilii nostri, ad preces venerabilis principis L. Wormatiensis episcopi fidelis nostri, de speciali favore nostro gracie indulgemus ut ipsi cives Wormatienses a theloneo nuncupato vulgariter *ungelt* quod apud Op-

---

(1) Adest alterum ejusdem quasi tenoris pro civibus Lubecensibus privilegium, datum Hagenowe, 14 julii, indict. XV, ap. *Urkundenbuch der St. Lübeck*, t. I, p. 15.

penheim ab eis hucusque recipi solebat in Reno, sint de cetero absoluti, sub obtentn gracie prefati domini ac patris nostri et nostre firmiter inhibentes ne quis huic gratie se opponat.

Testes L. Wormatiensis episcopus,... marcgravius de Homberg, G. de Hohenloch, Crafft de Boxsperg, Wolverath de Cricheim, Conradus de Smidefelt dapifer noster, Philippus de Hohinfels, Philippus de Valkensstein, Conradus dictus Croph burcgravius castri Trifels, Marquardus schultetus de Oppenheim, fideles nostri, et alii quamplures.

Ut igitur premissa supradicta civibus Wormaciensibus irrefragabiliter observentur, nos presens scriptum sigilli nostri munimine duximus roborandum.

Actum et datum in castris apud Wormatiam, anno dominice incarnationis millesimo CC. XLII, VI kalendas augusti, XV indictionis.

Anno M. CC. XLII, mense augusto, venit Conradus rex Wormatiam, petens auxilium ab eis in Ringoviam. Praeparaverunt itaque statim naves peroptime constructas propugnaculis bellicis, et descenderunt Ringawiam cum ducentis armatis et expensis honestissimis, sequentes regem per sex hebdomadas expensis propriis super civitatem Wormatiensem factis ad trecentas marcas et amplius. Postquam vero rex villas fere omnes succenderat (1), reversus est et cives cum eo in Nativitate Sanctae Mariae. *Annal. Worm.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 182. Augusto-septembri.

(1) Haec est prima mentio belli a Conrado contra archiepiscopum Maguntinensem et cives Maguntinenses illati, quod non ante tempus aestivum incoepisse arbitramur, quum mense februario ejusdem anni Maguntinenses adhuc in fide regis et imperatoris persisterent. Archiepiscopus autem bello quasi signum dedit, possessiones Ottonis ducis Bavariae et comitis Rheni palatini juxta Rhenum devastando.

ANNO 1243. — INDICTIONE I.

Hallis, 15 januarii.

Conradus, in Romanorum regem electus, Gerardo de Sinzig mandat ut a Judaeis de Sinzig quingentas marcas pro curia sua extorqueat.

(Edid. Guden., *Cod. diplomat. Magunt.*, t. II, pars 2, p. 943, ex autographo ita exterius inscripto : — *Gerardo de Sinzche fideli suo.*)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, Gerardo de Sinzche fideli suo gratiam suam et omne bonum. Districte precipimus tibi quatenus a Judeis de Sinzche, statim visis litteris, quingentas marcas debeas assignare curie nostre et per captivitatem si necesse fuerit extorquere.

Datum Hallis, XV januarii, prime indictionis.

Haguenau, 11 februarii.

Conradus, Romanorum in regem electus, sententiam fert qua jubetur ut quilibet infeudatus ecclesiae Salzburgensis sub testimonio infeudatorum ejusdem ecclesiae qui sint ejusdem conditionis, feudum suum evincere valeat.

(Memorat. ap. Kleinmayr, *Nachricht. von Juvavia*, p. 513. Nunc integrum edimus ex *Salzburger Kammerbücher*, fol., saeculi XIV, vol. VI, f. 22, in archivo Cesareo Vindobon., quod nobis liberaliter communicavit cl. vir. Fr. Boehmer.)

Chunradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, universis imperii fidelibus, presentes litteras inspecturis, graciam suam et omne bonum. Tenore presencium notum esse volumus et protestamur quod constituti coram nobis nuncii archiepiscopi Salzburgensis, dilecti principis nostri, obtinuerunt per sententiam exinde latam et ab omnibus approbatam : quod quilibet infeodatus ecclesie Salzburgensis vel alterius feodum suum, si necesse fuerit, cum infeodatis ejusdem ecclesie, qui sue conditionis fuerint et non aliis, evincere valeat et debeat optinere. Ad hujus itaque sententie robur, presentes litteras fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum Hagin., XI februarii, indictione I.

Conradus, in Romanorum regem electus, pro gratis servitiis Ottonis comitis de Ravensberg, facultatem ei concedit liberum forum apud Bugklo constituendi. Haginowe, martio.

(Edid. R. WILMANS, *Westfalisches Urkundenbuch*, vol. III, p. 221, n° 409.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jherosolimitani, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium notum facimus universis quod nos intuentes grata servitia que nobis Otto comes de Ravensbergh hactenus exhibuit et in antea exhibere poterit gratiora, talem ei gratiam duximus faciendam ut auctoritate nostri culminis liberum forum apud Bugklo (1) constituendi liberam habeat facultatem. Ad hujus itaque gratie memoriam in posterum valituram, presentes litteras fieri et sigillo nostro fecimus roborari.

---

(1) Verisimiliter *Bokel*, juxta Aschendorf.

Datum Haginowe, anno Domini M.CC. quadragesimo tertio, mense martii, pridie idus (a).

Apud Rotinburg, aprili.

Conradus, in Romanorum regem electus, hospitali Sanctae Mariae Teutonicorum in Jerusalem jus patronatus ecclesiae Novae Civitatis apud Mulhausen pleno jure confert.

(Inedit. ex originali in archivo Dresdensi, unde sigillum cereum appendet.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Licet majestas regia cunctarum ecclesiarum commoditatibus teneatur intendere, tamen devotis eorum meritis exigentibus, in favorem fratrum hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum in Jerusalem tenemur specialiter ad incrementum sue domus, utpote que divorum progenitorum nostrorum memorialis est plantula et que eisdem et nobis adhesit semper fideliter et constanter. Hac siquidem ratione per presens scriptum notum esse volumus tam presentibns quam futuris quod nos ad preces fratris G. venerabilis magistri predicte domus, auctoritate domini et patris nostri et nostra, jus patronatus ecclesie Nove Civitatis apud Mulhusen ad honorem Dei et sue Matris gloriose dicto hospitali contulimus pleno jure, ita videlicet ut cum primo vacaverit, fratres ejusdem hospitalis eamdem ecclesiam officiare valeant in spiritualibus, juxta modum quem in ecclesia Antique Civitatis hactenus servaverunt. Decimas autem et proventus cum aliis obventionibus ejusdem ecclesie ad usus suos recipiant et convertant. Ut igitur hec nostra collatio rata permaneat et inconvulsa, presentes litteras fieri fecimus et sigillo nostre celsitudinis roborari.

Actum apud Rotinburc, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo tercio, mense aprilis, prime indictionis.

(a) Vice *pridie idus*, legendum valde suspicamur *prime indictionis*.

Ulricus de Furthe confitetur se Henrico Babenbergensi electo villam Sterfridesdorf, quam sibi titulo pignoris Ekkebertus quondam Babenbergensis episcopus obligaverat, restituisse, et instrumentum renuntiationis sigillis Conradi in Romanorum regem electi et Wormatiensis episcopi communiri fecisse. Apud Nuremberg, 1° octobris.

(Edid. Hofler, *Archiv fur Kunde Oesterr. Gesch. Quellen*, t. I, p. 595 (1850), ex libr. privil. eccles. Bamberg.)

In nomine Domini. Amen. Notum sit universis presentem paginam inspecturis quod ego Ulricus de Furthe per presentes litteras coram testibus infrascriptis specialiter ad hoc rogatis, publice confiteor et protestor quod cum bone memorie Ekebertus Babenbergensis episcopus michi villam in Sterfridesdorf pro ICLIII (*sic*) libris et dimidia Nurenbergensis monete titulo pignoris obligasset, ipsam pecuniam a venerabili domino H. Babenbergensi electo integraliter et absque omni diminutione recepi, restituens villam predictam cum ejus pertinentiis pleno jure ecclesie prelibate et renuntians super hoc non numerate vel non solute pecunie omnimode exceptioni. Et volo ut si quod instrumentum super obligatione premissa apud quemcumque de cetero repertum fuerit vel quocumque modo apparuerit, sit inefficax et inane, omnique careat robore firmitatis. Ad cujus rei memoriam presentem paginam sigillis domini Chunradi, Romanorum in regem electi, et venerabilis Wormaciensis episcopi petii communiri.

Testes autem qui presentes fuerunt sunt hii Chunradus burgravius de Nuremberch, Chunradus de Smidelvelt, Ludewicus de Lunenburch, Chunradus de Pilversheim, frater Bertholdus de domo Theutonica, Gundelohus marschalcus, Ludewicus de Rotenhagen, Ulricus dapifer et Wolframmus de Newanstorf, et alii quamplures.

Actum apud Nuremberg in domo Marquardi butigularii, anno Domini M. CC. XLIII, primo octobris, prime indictionis.

Apud Nürnberg, 24 novembris.

Conradus, in Romanorum regem electus, testatur quod Heinricus Babenbergensis electus villam de Urbach a Marquardo butiglario de Nurinberc, fideli suo, cui per Bopponem quondam electum pro marcis ducentis fuerat obligata, pro centum libris denariorum Nurinbergensium redemit.

(Edit. ap. SCHULTES, *Histor. Schriften*, t. II, p. 370, n° 44, et in *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 291, n° 773, ex originali, unde duo sigilla, scilicet Conradi regis et Marquardi butiglarii de Nuremberg, appendent ex segmentis membranaceis.)

Conr[adus], divi augusti imperatoris Fr[iderici] filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis, gratiam suam et omne bonum. Constitutus coram nobis Marquardus buthiglarius de Nurinberc, fidelis noster, publice professus fuit quod venerabilis Heinricus Babinbergensis electus, dilectus princeps noster, redemerit ab eo villam Urbach, pro centum libris denariorum Nurinbergensium, que sibi a Boppone quondam electo pro marcis ducentis fuerat obligata. Et si quod etiam in posterum, immemor forsan professionis facte, idem M[arquardus] ostenderet instrumentum, inefficax esset omnimodis et inane. Ne vero in posterum super premissis aliqua contrarietas valeat suboriri, presentem cedulam sigillo nostri culminis et predicti buthiglarii sigillo fecimus communiri.

Actum apud Nurinberc, anno Domini M. CC. XLIII, XXIIII novembris, indictionis secunde.

Apud Nuremberg, 24 novembris.

Conradus, in Romanorum regem electus, testatur quod Heinricus Babenbergensis electus curias et bona in Affholdere, Mein-

gers, Bubenrode et Germanisdorf pro numerata pecunia redemit, quam recepisse publice coram se professi sunt ii quibus fuerant obligata.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, t. XXXI, pars I, p. 578, ex cod. copial. Babenberg., sec. XIII, fol. 116 b. memorat. ap. *Oestreicher über Tüchersfeld*, 4.)

Chunradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Constituti coram nobis subscripti publice sunt professi : videlicet quod in primis Ravelinus de Ravinstein pro hominibus de Affholdere et curia Meingers receperit ab Heinrico venerabili Babenbergensi electo, dilecto principe nostro, sexaginta sex libras Babenbergensis monete, pro quibus eadem sibi fuerant obligata. Item Chunradus filius quondam butiglarii de Nuremberch fatebatur se recepisse pro redemptione bonorum in Bubenrode decem libras Nurembergenses ab eodem; item Wolframus pincerna fatebatur se recepisse pro redemptione curie Germanisdorf viginti marcas, que sibi similiter fuerat obligata. Item relicta Cigenonis fatebatur se recepisse pro redemptione bonorum in Loubendorf XXXIV marcas et unam libram Nurembergensis monete. Et ne in posterum aliquis dubitationis scrupulus super premissis valeat suboriri, juxta requisitionem tam electi quam etiam predictorum, presentem paginam sigillo nostri culminis fecimus communiri.

Actum apud Nuremberch, anno Domini M. CC. XLIII, XXIV novembris, secunde indictionis.

Conradus, in Romanorum regem electus et haeres regni Hierusalem, custodiam castri Ascalonis cum pertinentiis ejus magistro et fratribus hospitalis Sancti Johannis Hierosolimitani commissam et alia omnia quae proinde de patris sui beneplacito processerunt, rata habet et ex certa scientia sua confirmat.

Apud Nurimberg. 30 novembris.

(Edid. Pauli, *Cod. diplomat. del sacr. ord. Ierosolom.*, t. I, p. 118, n° CXI.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanornm in regem electus, semper augustus et heres regni Jherusalem. Tenore presentium notum facimus universis quod nuper presentatas nobis pro parte venerabilis magistri et fratrum hospitalis Sancti Johannis Jherosolimitani nostrorum fidelium, patentes litteras ejusdem domini et genitoris nostri ipsius majestatis cereo sigillo munitas vidimus et intelleximus, continentie talis :

(Seqnuntur litterae Friderici secundi, dat. Melfiae, ultimo augusti, primae indictionis. Vide supra, t. VI, p. 116.)

Unde cum ex parte dictorum magistri et fratrum hospitalis Sancti Johannis Jherosolimitani nostrorum fidelium fuerit nostro culmini supplicatum ut commissam eis curam et custodiam dicti castri Ascalone cum pertineutiis suis, ut dictum est, et que proinde in predictis litteris imperialibus apertius continentur, rata habere et confirmare eis de nostra certa scientia dignaremur, nos cum de constantia fidei et devotionis eorum plenarie confidamus, supplicationibus pro parte eorum ipsorum nobis porrectis favorabiliter annuentes, custodiam et curam predicti castri Ascalone cum pertinentiis suis ipsis magistro et fratribus sancti hospitalis commissam et alia omnia que proinde fieri de predicti domini et patris nostri providentia et beneplacito processerunt, sicut ea omnia in predictis litteris suis per seriem continentur, rata et firma habemus et eisdem magistro et fratribus ex certa nostra scientia confirmamus. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presentes litteras fieri et nostre majestatis sigillo jussimus communiri.

Datum apud Nuorimberch, ultimo novembris, II indictionis.

Apud Nurimberg, decembri.

Conradus, in Romanorum regem electus, confirmationem ab imperatore patre suo fratribus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum indultam super commutatione bonorum inter Bertrandum Porcelet et fratres eosdem, renovat et inserendo confirmat.

(Edit. ap. Stillfried, *Monum. Zoller.*, I pars, p. 46; nunc vero coll. cum copia authentica in archivo Stutgartense.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Ierosolymitani. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod venerabiles fratres hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum in Jerusalem, dilecti nostri, subscriptum privilegium indultum eis a domino patre nostro Friderico Romanorum imperatore serenissimo semper augusto, nostre excellentie presentarunt, devote supplicantes ut idem privilegium innovare, ratum habere et confirmare de nostra gratia dignaremur. Hujus itaque privilegii tenor per omnia talis erat :

(Sequitur de verbo ad verbum privilegium a Friderico II indultum apud Augustam, anno 1235, mense novembri. Vide supra, t. IV, p. 793.)

Nos igitur devotis supplicationibus predictorum fratrum qui semper fide sincera domino patri nostro, nobis et imperio laudabiliter adheserunt, et ad exaltationem nostri nominis et honoris frequenter aspirant, favorabiliter annuentes, memoratum privilegium de verbo ad verbum transcriptum presenti privilegio nostro inseri jussimus; universa et singula que continentur in ipso innovamus, ratificamus et pro salute paterno et remedio peccatorum carissime matris nostre clare memorie liberaliter confirmamus, statuentes ne quis contra ejusdem privilegii tenorem aliquatenus venire presumat. Ut autem hujus facti nostri evidentia perpetuum robur obtineat firmitatis, presens scriptum fieri et sigillo nostri culminis jussimus roborari.

Testes autem hujus rei sunt : Heinricus venerabilis Babenbergensis electus, magister Philippus decretorum doctor, Rindesmulus custos Babenbergensis, Ulricus comes de Ultimis, Conradus burgravius de Norenberch senior et junior burgravius filius suus, Godefridus et Conradus fratres de Hohenloch, Conradus de Smidilvelt, Ulricus de Kunegeshein (*a*), Godefridus de Solzburch, et alii quamplures.

(*a*) Sive *de Kunegestein*.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tercio, mense decembris, indictione secunda.

Datum apud Norimberch, anno, mense, indictione prescriptis.

Apud Nurimberg, decembri.

Conradus, in Romanorum regem electus, privilegium ab imperatore patre suo et Isabella matre sua fratribus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum indultum, super variis possessionibus et juribus in terra sancta, renovat et inserendo confirmat.

(Inedit. e libro copiali ordinis Theutonicor. secul. XIII et XV, in archivo reg. Berolinensi.)

Cunradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerosolimitani. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod venerabiles fratres hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum in Jherosolima, dilecti nobis, subscriptum privilegium indultum eis a domino patre nostro Friderico Romanorum imperatore serenissimo semper augusto, de consensu et gratuita voluntate karissime matris nostre Ysabelle bone memorie quondam Romanorum imperatricis, Jherosolime et Sicilie regine, nostre excellentie presentarunt, devote supplicantes ut idem privilegium innovare, ratum habere et confirmare de nostra gratia dignaremur. Hujus itaque privilegii tenor per omnia talis erat :

(Sequitur de verbo ad verbum privilegium ab Isabella indultum, anno 1226, mense januario, quod supra edidimus ex eodem registro. Vide t. II, p. 536.)

Nos igitur devotis supplicationibus predictorum fratrum qui semper fide sincera domino patri nostro, nobis et imperio laudabiliter adheserunt et ad exaltationem nostri nominis et honoris frequenter aspirant, favorabiliter annuentes, memoratum privilegium de verbo ad verbum tran-

scriptum presenti privilegio nostro inseri jussimus, et universa ac singula que continentur in ipso innovamus, ratificamus et pro salute paterna et remedio peccatorum karissime matris nostre clare memorie liberaliter confirmamus; statuentes ne quis contra ejusdem privilegii tenorem aliquatenus venire presumat. Ut autem hujus facti nostri evidentia perpetuum robur obtineat firmitatis, presens scriptum fieri et sigillo nostri culminis jussimus roborari.

Testes autem hujus rei sunt : Heinricus venerabilis Babenbergensis electus, magister Philippus decretorum doctor, Rindesmulus custos Babenbergensis, Ulricus comes de Ultimis, Conradus burgravius de Norinberc, Godefridus et Conradus fratres de Hohenlo, Conradus de Smidelvelt, Ulricus de Kunegestein, Godefridus de Solzburc, et alii quamplures.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, mense decembris, indictione secunda.

Datum apud Norinberc, anno, mense et indictione prescriptis.

Conradus, in Romanorum regem electus, renovat confirmationem patris sui imperatoris Frederici, quam fecit super domum quam Teutonici emerunt a Johanne de Conchis, et quod licitum sit fratribus woltam aedificare ibidem. Apud Noremberg, decembri.

(Inedit. ex chartulario sive *copialbuch* ord. Theutonic., tum in Berolinensi, tum in Königsbergensi archivis asservato.)

Conradus, divi augusti imperatoris Frederici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod venerabiles fratres hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum in Ierusalem, dilecti nobis, subscriptum privilegium indultum eis a domino patre nostro Frederico, Romanorum imperatore serenissimo

semper augusto, nostre excellencie presentarunt; devote supplicantes ut idem privilegium innovare, ratum habere et confirmare de nostra gratia dignaremur. Hujus itaque privilegii tenor per omnia talis erat :

(Sequitur privilegium Friderici II, datum apud Accon, mense aprili 1229, quod supra edidimus, t. III, p. 128.)

Nos igitur devotis supplicationibus predictorum fratrum qui semper fide sincera domino patri nostro, nobis et imperio laudabiliter adheserunt et ad exaltationem nostri nominis et honoris frequenter aspirant, favorabiliter annuentes, memoratum privilegium de verbo ad verbum transcriptum presenti privilegio nostro inseri jussimus. Universa et singula que continentur in ipso innovamus, ratificamus, et pro salute paterna et remedio peccatorum carissime matris nostre clare memorie, liberaliter confirmamus; statuentes ne quis contra ejusdem privilegii tenorem aliquatenus venire presumat. Ut autem hujus facti nostri evidencia perpetuum robur obtineat firmitatis, presens scriptum fieri et sigillo nostri culminis jussimus roborari.

Hujus itaque rei testes sunt : Henricus venerabilis Babenbergensis electus, magister Philippus decretorum doctor, Rindesmulus custos Babenbergensis, Lodevicus comes de Othingen, Fridericus de Druhendingen, Godefridus et Conradus fratres de Hohenlo, Conradus de Smidevelt, Ulricus de Kunegestein, Godefridus de Solzburc, et alii quamplures.

Actum anno Domini M. CC. XLIII, mense decembris, indictione secunda.

Datum apud Noremberc, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Noremberg, decembri.

Conradus, in Romanorum regem electus, confirmat domum quam habent Theutonici apud Ierusalem quae fuerat Balduini regis Ierosolimitani, et VI carrucatas terrae et domum aliam quae fuerat Teutonicorum; quae omnia pater suus imperator Fridericus in elemosina eisdem dedit.

(Inedit. ex chartulario duplici sive *copialbuch*, tum in Berolinensi, tum in Königsbergensi archivis asservato.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Ierosolimitani. per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod venerabiles fratres hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum in Ierusalem, dilecti nobis, subscriptum privilegium indultum eis a domino patre nostro Friderico imperatore serenissimo semper augusto nostre excellencie presentarunt devote supplicantes, ut idem privilegium innovare, ratum habere et confirmare de nostra gratia dignaremur. Hujus itaque privilegii tenor per omnia talis erat :

(Sequitur privilegium Friderici II, datum apud Accon, mense aprili 1229, quod supra edidimus, t. III, p. 126.)

Nos igitur devotis supplicationibus predictorum fratrum, qui semper fide sincera domino patri nostro, nobis et imperio laudabiliter adheserunt, et ad exaltationem nostri nominis et honoris frequenter aspirant, favorabiliter annuentes, memoratum privilegium de verbo ad verbum transcriptum presenti privilegio nostro inseri jussimus, et universa ac singula que continentur in ipso innovamus, ratificamus, et pro salute paterna et remedio peccatorum carissime matris nostre clare memorie liberaliter confirmamus, statuentes ne quis contra ejusdem privilegii tenorem venire presumat aliquatenus. Ut autem hujus facti nostri evidencia perpetuum robur obtineat firmitatis, presens scriptum fieri et sigillo nostri culminis jussimus roborari.

Testes autem hujus rei sunt Heinricus, venerabilis Babenbergensis electus, magister Philippus decretorum doctor, Rindesmulus, custos Babenbergensis, Ulricus, comes de Ultimis, Conradus burgravius de Norinberc, Godefridus et Conradus fratres de Hohenlo, Conradus de Smidevelt, Ulricus de Kynegestein, Godefridus de Solzburc, et alii quamplures.

Actum anno Domini M.CC.XLIII, mense decembris, indictione secunda.

Datum apud Norinberc, anno, mense et indictione prescriptis

Apud Nuremberg, decembri.

Conradus, in Romanorum regem electus, confirmat privilegium patris sui Friderici imperatoris, datum apud Ravennam, decembri 1231, quo fratribus Sanctae Mariae Theutonicorum districtus conceditur apud Accon de horto Acconensis episcopi usque ad terminos terrae Januensium.

(Edidit Duellius, *Histor. ord. Teuton.*, p. 7. Quam confirmationem, quum sit tenoris ejusdem, brevitatis causa non denuo integram exhibemus. De privilegio Friderici secundi, videsis *Hist. diplom.*, t. IV, p. 278, 279.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, etc., *ut supra*.

Testes autem hujus rei sunt, etc., *ut supra*.

Actum anno Domini M.CC.XLIII, mense decembris, indictione secunda.

Datum apud Norimberc, anno, mense et indictione prescriptis.

ANNO 1244. — INDICTIONE 2.

Apud Bernum, februario.

Conradus, in Romanorum regem electus, priorem et conventum de Rūgisberg in districtu Bernensi cum bonis et hominibus eorum sub imperiali protectione recipit, et mandat universitati Bernensium ut predictam ecclesiam manuteneant et defendant.

(Edit. in *Schweiz. mus.*, anno 1786, p. 282, et *Soloth. Wochenblatt*, ann. 1828, p. 333, n° 32; coll. cum copia ex archivo Bernensi ap. Bibl. Cesar. Paris., *Franche-Comté*, coll. Droz, t. XLIII, fol. 80 verso, 81 recto.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, procuratori Burgundie pro tempore constituto, sculteto, consilio et universis civibus de Berno fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Devotioni vestre notum esse volumus per presentes quod venerabilis prior et conventus de Ruecgersberge, fideles nostri, in nostra presentia constituti, optulerunt celsitudini nostre ecclesie sue privilegia, ex quorum documentis perpendimus evidenter quomodo iidem nostrum et imperii dominium libero arbitrio amplexantes, dominum et patrem nostrum imperatorem et nos in advocatum sibi elegerint et tutorem, humiliter supplicantes ut libertates et jura quibus hactenus sunt gavisi, eis ratificare et confirmare ipsosque in nostram et imperii protectionem assumere ac vestre defensioni committere de nostra gratia dignaremur. Nos itaque predictorum prioris et conventus devotis supplicationibus benignius annuentes, ad imitationem divorum progenitorum nostrorum regum et imperatorum, universas libertates et jura quibus ut suis gaudet privilegiis ecclesia memorata, favorabiliter approbantes, assumptos eos et locum ipsorum cum bonis et hominibus que in presenti juste tenent vel in futurum legitime poterunt adipisci sub nostre et imperii protectionis presidio speciali, ea deffensioni vestre duximus committenda; mandantes et tam auctoritate paterna quam nostra precipientes districte quatenus prenotatam ecclesiam cum bonis et hominibus suis manuteneatis efficaciter et deffendatis, non permittentes quod aliquorum temerariis insultibus molestentur, certum habituri quod eque tanquam pro juribus et bonis nostris gratum recipimus et habemus si ecclesia supradicta efficaciter fuerit per vos defensa. Ad hujus itaque rei memoriam presentes litteras sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari.

Datum apud Bernum, anno dominice incarnationis M.CC.XLIV, mense februarii, secunde indictionis.

Conradus, in Romanorum regem electus, omnibus castrensibus de Oppenheim concedit quod ipsi, uxores et haeredes legitimi Apud Haguenau, 28 octobris.

omnia aedificia quae in castro de Oppenheim aedificaverint, pro feodo castrensi in perpetuum possidere debeant.

(Inedit. ex *Copialb. Oppenh. pzalg.*, n° 46, in arch. Carlsruhensi. — Cf. Mone, *ig er*, 1837, p. 138.)

Conradus, divi augusti imperatoris Frederici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Tenore presentium notum facimus universis et publice protestamur quod nos omnibus castrensibus de Oppenheim fidelibus nostris talem de plenitudine totius nostri consilii gratiam duximus faciendam, quod omnia edificia que edificaverint in castro nostro Oppenheim, ipsi, uxores eorum et heredes legitimi qui ab eis descendunt, quamdiu vixerint et fidem nobis et imperio servaverint, ipsa edificia a nobis pro feodo castrensi in perpetuum debeant possidere. In cujus facti robur et futuram memoriam presens scriptum fieri et sigillo nostri culminis fecimus communiri.

Datum et actum apud Hagenowiam, anno Domini millesimo CC. XLIIII°, vicesimo octavo die mensis octobris; indictione tertia.

Basileae, 3 decembris.

Conradus, in Romanorum regem electus, monasterio Lucellensi (Lützel) prope Basileam bonorum quorumdam venditionem factam confirmat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, *Uneinreihbare Stücke*, p. LXXXVII, ex Bernardini *Epitome fast. Lucell.*, p. 106.

Datum Basilee, anno Domini M.CC.XXXV (leg. M.CC.XLIV), III decembris, tertia indictione.

ANNO 1245. — INDICTIONE 3.

Conradus, in Romanorum regem electus, privilegium burgensibus Sancti Trudonis ab Henrico Lotharingiae duce quondam indultum, apud Dormale februario 1221, de inhibendis subadvocatorum oppressionibus, renovat et inserendo confirmat. Apud Nurinberc, 13 februarii.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 264, n° 66, ex originali apud S. Tron, cujus ipsi Bethmann notitiam fecit.)

Datum apud Nurinberc, anno Domini M.CC.XLIIII, XIII die februarii, indictione III.

Conradus, in Romanorum regem electus, fratribus Minoribus in Nurenberch Cunradum de Rothe, civem ejusdem urbis, procuratorem constituit, quem ab omni exactione liberat, quamdiu in servitio eorumdem fratrum exstiterit. Apud Nuremberg, 20 februarii.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 292. Sigillum illaesum appendet ex filis sericis viridis et rubri coloris.)

Conradus, divi augusti imperatoris Fr[iderici] filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et hères regni Jerusalem, butiglario, sculteto et universis civibus in Nuerenberc fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Dum justis pauperum Christi desideriis favorabiliter inclinamur, et proprie saluti consulimus, et juxta tradite nobis a Deo potestatis officium, alios ad karitatis opera provocamus. Cum itaque

fratres Minores propter Christum pauperem voluntariam elegerint paupertatem, nos ad eorum inopiam tam in edificiis quam in aliis eorum usibus necessariis sublevandam, ad sue peticionis instantiam et vestrum consensum, Cunradum de Rothe, civem in Nuerenberc, virum utique Deum pre oculis habentem et honestum, predictis fratribus in Nuerenberch degentibus procuratorem ad omnia eorum negocia juxta quod necessitas et utilitas exegerit promovenda, de plenitudine nostri consilii, videlicet Godefridi de Hoenlog, Craftonis de Boxperch, Conradi de Smidelvelt et aliorum nostrorum familiarium, duximus statuendum; ita quod idem C[unradus] quem propter fratrum negotia suas oportet frequenter utilitates obmittere, ab omni exactione et precaria liber sit penitus et immunis. Quam exactionem sive precariam ipsi pro anime nostre remedio duximus remittendam, ut fratrum negotiis vacet diligentius et intendat, salvo tamen eo quod per libertatem hujusmodi eidem C. audacia delinquendi non prestetur, cum peccata nocentum esse non debeant impunita. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis seu ordinationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Nam quicumque contra hanc ordinationem sive remissionem nostram sepedictum C. in exactione aliqua vel precaria seu alia quacumque vexatione, quamdiu in servitio fratrum existerit, molestare presumpserit, indignationem nostram se sentiet graviter incurrisse.

Datum apud Nuerenberch, anno Domini M. CC. XLIIII, XX die februarii, tercie indictionis.

Apud Nurinberc, 21 februarii.

Conradus, in Romanorum regem electus, se Conrado Sylvestri comiti pro gratis ejus servitiis CCCCLX marcas debere confitetur, ad quarum solutionem villam de Weilerbach eidem oppignorat.

(Memorat. et extr. ap. Kremer, *Gesch. des Wild-und Rheingraflichen Hauses*, p. 7.)

Datum apud Nurimberc, anno Domini M.CC.XLIV, XXI februarii, indictione tertia.

Conradus, in Romanorum regem electus, Guillelmum archiepiscopum Bisuntinum de regalibus investit, et omnibus mandat ut ei super omnibus juribus ejus devote intendant. Nuremberg, 16 maii.

(Edidit. SUDENDORF, *Merkwürdige Urkunden für die deuts. Gesch.*, erst. Theil, p. 108, n° LVII, ex diplomate imper. Rudolphi II, 24 septemb. 1588; coll. cum copiis recentioribus in collect. Droz, *Titr. de l'archev. de Besançon*, t. II, fol. 447, ap. Bibl. Cesar. Paris.)

Conradus, divi augusti imperatoris filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, heres regni Jerusalem, Sancti Johannis et Sancti Stephani capitulis, infeodatis, ministerialibus et universis hominibus ecclesie Bisuntinensis, dilectis fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Accedentem ad presentiam nostram Guillelmum, venerabilem archiepiscopum vestrum (a) de Bisuntio, dilectum nostrum principem, honoro quo decuit recepimus, et dum nobis de institutione ipsius juste facta per summum pontificem constitisset, ipsi regio sceptro regalium investituram porreximus juxta morem Bisuntinum, ipsum cum plenitudine nostri favoris et gratie ad propria remittentes. Devoto universitati vestre monemus autem (b) firmiter precipiendo mandantes quatenus eidem nostro principi supor universis juribus suis ita devote et concorditer intendatis ut exinde vestra possit devotio merito commendari.

Datum Nuremberge, decima sexta maii, tertia indictione.

Conradus, in Romanorum regem electus, sententiam notam facit qua Guillelmus archiepiscopus Bisuntinus unam auri mar- Nuremberg, 16 maii.

(a) Ap. Sudendorf *nostrum*.

(b) Hic locus male transcriptus sic adest in duobus.

cam pro jure capellae suae, sicut et alii archiepiscopi principes imperii, solvere tenetur.

(Ineditum ex collect. Droz, *Titr. de l'arch. de Besançon,* ibid. ut supra, fol. 445.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, universis presentes litteras intuentibus imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Constitutus coram nobis Willelmus, venerabilis archiepiscopus Bisuntinensis, dilectus princeps noster, cum a nobis investituram regalium recepisset, proposuit quod marcam auri pro jure capelle nostre solvere non deberet. Cum igitur idem archiepiscopus princeps sit imperii et civitas Bisuntina immediate ad imperium pertinere noscatur, sententiatum extitit quod ipse dictam auri marcam, sicut et alii archiepiscopi principes, pro jure capelle nostre solvere teneatur dictoque capellario nostro sicut debuit satisfacere. Ad hujus itaque sententie memoriam presentes litteras fieri fecimus et sigilli nostri karactere roborari.

Datum Nuremberch, XVI maii, tertie indictionis.

Augustae, maio. Conradus, in Romanorum regem electus, emptionem quam fecit abbas de Salem cum Alberto de Pfaffenhoven de bonis quibusdam apud Pfaffenhoven sitis gratam habet et confirmat.

(Inedit. ex libro privilegior. monast. Salemitani in archivo Karlsruhensi, vol. II, fol. 34.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per presens scriptum notum facimus universis et publice protestamur quod nos emptionem quam venerabilis abbas et conventus de Salem, dilecti fideles nostri, fecerunt cum Alberto de Pfaffenhoven de bonis quibusdam in Pfaffenhoven sitis, que idem Albertus tenens a nobis in feudo bona

eadem in manus nostre celsitudinis resignavit, precise renuncians omni juri quod in eisdem bonis sibi feodali titulo competebat, ob Dei reverentiam gratam habentes, quantum in nobis est presentibus confirmamus. Ad hujus itaque rei memoriam presentes litteras fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum Auguste, anno gratie M.CC.XLV, mense maii, III indictionis.

Conradus, in Romanorum regem electus, Gottofredum et Conradum de Hohenlohe certos facit quod eos nullo unquam tempore gravabit super possessione castri Sciphe, quod Ludovicus de Sciphe eisdem pro emenda et satisfactione contradidit. Veronae, julio.

(Edider. HANSSELMANN, *Landeshoh. Geschich.*, p. 407. — LUDEWIG, *Reliq. manuscr.*, t. II, p. 226.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia in regem Romanorum electus, semper augustus et heres regni Jerusalem et Sicilie. Per presens scriptum ad modernos protendi cupimus et ad futuros quod cum juxta precum instantiam Friderici illustris ducis Austrie, dilecti principis et consanguinei nostri, Ludovicus de Schiphe gloriosissimi Romanorum imperatoris domini et genitoris nostri gratie foret reformatus, assistentibus coram nobis Gottofredo et Conrado fratribus de Hohenlohe, dilectis fidelibus nostris, quorum fides et merita coram serenitate nostra continuata devotione perornantur, devotis [eorum] precibus favorabiliter annuentes, tam ipsos quam ipsorum heredes presenti scripto certos reddere duximus, quod eos nullo unquam tempore ex nobis vel viventis cujusdam supplicationibus aut inductu, per preces vel coercionem in castro Sciphe vel suis pertinentibus, que idem Ludovicus super illatis damnis et injuriis eisdem pro emenda et satisfactione per manus predicti domini et genitoris nostri contradidit, gravabimus aut aliquatenus offen-

demus. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M.CC.XLV, mense julio, indictione tertia.

Datum Verone, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Taurinum, 1° augusti.

Conradus, in Romanorum regem electus, magistro Friderico fabro imperatoris Friderici promittit quod custodiam forestae suae de Haginowe quandocumque vacare contigerit, Diemaro ejusdem Friderici privigno, alia persona omnino exclusa, liberaliter committet.

(Inedit. ex originali in biblioth. univers. Heidelberg., cujus copiam nobiscum cl. vir et amicus Boehmerus communicavit.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gracia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Tenore presentium notum esse volumus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos de speciali mandato serenissimi Cesaris, domini patris nostri, promittimus firmiter magistro Friderico, fabro ejusdem domini genitoris nostri, ut quandocunque custodiam foreste nostre de Haginowe ex obitu Veldungi, forestarii nostri in Haginowe, seu aliquo alio casu vacare contingerit, eam Diemaro privigno suo, fideli nostro, civi in Haginowe, juxta predictum imperiale mandatum, precibus cujuslibet alterius persone omnino exclusis, liberaliter committamus. Unde pro futura memoria et cautela ejusdem Diemari, presens scriptum inde fieri fecimus sigillo nostro munitum.

Datum apud Taurinum, anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, primo augusti, tercie indictionis.

Conradus, in Romanorum regem electus, exemptiones thelonei et passagii abbatiae Sanctae Mariae de Monte Veteri (Altenberg), juxta privilegia eidem conventui a praedecessoribus suis indulta, in praesentia consiliariorum suorum confirmat. Apud Nuremberg, 30 novembris.

(Edid. Lacomblet, *Urkundenb. fur die Gesch. des Niederrh.*, zw. band, p. 153-154, n° 295.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum a Brunone, venerabili abbate de Monte Veteri, et conventu ejusdem, ordinis Cisterciensis, multotiens fuerimus requisiti ut ex jure thelonei et passagii Reni et ubique in terris et aquis imperii, juxta tenorem privilegii serenissimi Cesaris domini patris nostri, habere dignaremur exemptos; nos quia de tenore ipsius privilegii nobis non aderat certitudo, et predicti abbas et monachi pre impedimento et discrimine viarum asserebant se non posse privilegium illud in authentica forma de partibus Colonie usque ad nostram presentiam secure deferre nostro conspectui ostendendum, petitiones eorum duximus suspendendas et commisimus per litteras nostras Gernando seniori, burgravio de Werda fideli nostro, qui est partibus Coloniensibus vicinus, ut eodem privilegio eidem monasterio ab imperatoria majestate indulto per eum diligenter inspecto, de verbo ad verbum fideliter et distincte transcribi faceret in sua presentia et nostre celsitudini sub suo sigillo destinaret. Qui super hoc mandatum nostrum exequi studens, scripsit nobis idem burgravius et Gernandus filius ejus sub eorum sigillis litteras in hac forma :

Serenissimo domino suo domino Conrado, divi augusti imperatoris Friderici filio, Romanorum in regem electo, semper augusto et heredi Jerusalem, Gernandus et Gernandus filius suus, burgravius Werdensis,

tam debitum quam paratum sue possibilitatis famulatum. Excellentie vestre mandatum devote recepimus super transscribendis privilegiis libertatum ecclesie Sancte Marie in Veteri Monte, Cysterciensis ordinis, de non solvendo theloneo, quod devotius adimplevimus. Vidimus enim ipsa privilegia integra et incontaminata, et eadem transscribi fecimus de verbo ad verbum per omnia, sicut vestra serenitas postulavit, quorum tenor talis est :

(Sequuntur privilegium Friderici secundi, Romanorum regis, datum Nussiae, anno dominicae incarnationis M.CC.XV, quarto nonas augusti, indictione III, quod videndum t. I, p. 412; — privilegium Henrici septimi, Romanorum regis, datum apud Werden, anno incarnationis dominicae M. CC. XXV, quinto kalendas octobris, indictione XIIII, quod videndum t. II, p. 857; — privilegium quoque Henrici sexti imperatoris, datum apud Maguntiam, anno Domini M.CXC.V, indictione XIII, XV kalendas novembris, et a Friderico secundo confirmatum, quod videndum t. IV, p. 767.)

Predictis itaque omnibus intellectis et diligenter inspectis, quia vidimus opera pietatis et misericordie debere per nos fieri et exequi, piis etiam votis et operibus progenitorum nostrorum inherere volentes, privilegia predicta sicut de verbo ad verbum pro immunitatibus et libertate prefati monasterii a prefatis progenitoribus nostris indulta sunt, astantibus et suggerentibus nobis consiliariis et familiaribus nostris, videlicet Gotfrido de Hohenloch, Conrado pincerna de Clingenburc, Walthero pincerna de Limpurc, Conrado de Smidelvelt, Conrado pincerna de Smalnegge (1) et Henrico de Rivello (2), divine pietatis intuitu confirmamus; firmiter inhibentes quatenus nullus sit qui libertates et immunitates in predictis privilegiis contentas infringere aliquatenus seu violare presumat. Quod qui presumpserit, indignationem serenissimi Cesaris domini patris nostri

(1) In documento de anno 1243, mense februario, secunde indictionis, iste Conradus de Smalnecke se intitulat *pincerna ducatus Suevie*, ap. Hansselmann, *Diplom. Beweiss. des Haus. Hohenl.*, t. II, p. 216.

(2) Cf. *Introduction*, p. CXLII et CLX.

et nostram se noverit incursurum. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem, privilegia nominata de verbo ad verbum conscribi fecimus et sigillo nostre serenitatis jussimus communiri.

Datum apud Nurimberc, anno dominice incarnationis M.CC.XLV, ultimo novembris, quarte indictionis.

ANNO 1246. — INDICTIONE 4.

Conradus, in Romanorum regem electus, universis imperii fidelibus notificat quibus conditionibus tractatus amicabilis supervenerit de discordia quae inter cives Wormacienses et Philippum de Hohenvels imperialis aulae camerarium vertebatur, promittens si aliqua partium contra pactum concordiae venerit, se viriliter alteri parti astare velle. Apud Spiram, 23 januarii.

(Edid. F. Boehmer, *Fontes rer. Germ.*, t. II, p. 225, n° 12.)

Cunradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gracia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per presens scriptum notum esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum inter cives et fideles nostros Warmacienses et Philippum de Hohenvels, imperialis aule camerarium, publica discordia verteretur, de mandato et plenitudine voluntatis nostre ac consiliariorum nostrorum, videlicet Kraftonis de Bocgesberg, Cunradi pincerne de Clinginberg et Walteri pincerne de Limborch, amicabili tractatu superveniente, ad hujusmodi pactum pacis et firme concordie pervenerunt in presentia nostra, videlicet quod Jacobus dictus Rapa de Alzeia, a quo ipsa discordia sumpsit exordium, feodum suum castrense ad Lapi-

dem (1) et omne jus quod habet ibidem, resignabit simpliciter et precise, et omni hostilitati et actieni quas habet adversus Landolfum, venerabilem episcopum Warmaciensem, principem nostrum, et ecclesiam Warmaciensem et universitatem ejusdem civitatis renunciabit omnino. Item dictus camerarius jurabit cum XIX aliis militibus quod ipse et omnes amici sui quos ista tetigit discordia, omni rancore et inimicicia contra eumdem episcopum et eosdem cives dimissis, deinceps eorum erunt amici et quod factum est nunquam vindicabunt nec vindicari procurabunt: tali videlicet condicione adjecta quod si ab aliqua partium concordia ipsa extiterit temere violata, per Karolum de Kidenheim, Heinricum de Hepheinheim et Symonem de Guntheim, ex parte ipsius Philippi, et per Wolframum militem, Cunradum Thirolfum et Eberhardum in vico Lane, pro parte civium Wormaciensium electos, et mediante Marquardo, sculteto de Oppenheim, fideli nostro, qui ad hoc ab utraque parte mediator electus est et provisor, videri debet ac plenius discerni rei veritas de violacione ipsins concordie. Et si ex parte ipsius Phylippi eadem concordia infringetur, idem Phylippus et alii XIX predicti milites secum jurati civitatem Wormaciensem intrabunt, inde non recessuri donec pars ipsius civitatis recipiat de violentia concordie satisfactionem debitam et condignam; et si forte idem Phylippus et secum jurati juramenti sui (quod absit) voluerint vel presumpserint fore immemores, promissam et statutam concordiam minime observantes, haberi debent ac publice dici persone infames, omni robore fidei et honoris carentes; nichilominus predicti cives ab eorum personis et rebus liberum habebunt arbitrium satisfactionem debitam repetendi. Nomina autem jurantium simul cum Phylippo, camerario predicto, hec sunt: Krafto, filius Embrichonis, Ludewicus de Richenstein, Wernherus, Heinricus, Joannes, fratres dicti Vulleschirzele, Wolfin de Suabesberg, Jacobus filins Rape de Alzeia, Dieterichus de Ensintheim, Jacobus de Dagisheim, Hermannus de Fleresheim, Cunradus de Epelnsheim, Karolus de Kidenheim, Heinricus de Eppilnsheim, Ludewicus de Valcenstein, Simon de Guntheim, Durinkart de Westhoven, Cuno de

(1) Id est *Stein*, locus versus septentrionem Wormatiae situs.

Guntheim, Nagil de Nittensheim, Henricus de Eppilnsheim. Si vero pars eorumdem civium contra pactum ejusdem concordie venerit eam presumptuosius infringendo, consilium ipsius civitatis locum qui dicitur *Mundat* intrabunt similiter, ab eodem loco non recessuri donec pari pena, satisfactione et infamia quibus dictus camerarius astrictus est, satisfaciant ut tenentur. Et si contigerit aliquem XIX juratorum predictorum cum eodem Philippo, sive predictorum sex qui electi sunt ad discernendam veritatem de excessibus partis utriusque, sive dictorum consiliariorum Wormaciensium, mortale tributum subire, statim alius loco ipsius debet sine mora qualibet subrogari ut nullatenus eorumdem numerus minuatur. De quodam autem puero qui in conflictu orte discordie occisus est, talis promissio intervenit quod dictus Phylippus procurare tenetur ut omnes consanguinei et amici ejusdem pueri ex parte matris remittere debent puro corde omnem noxam adversus quemlibet qui de ipsius morte posset merito conveniri, et aput consanguineos patris ipsius pueri fide bona partes suas interponet ut similiter nullam vindictam de morte predicti pueri querere moliantur. Preterea quilibet captivus detentus per cives Warmacienses qui in eodem conflictu capti fuerunt, jurabunt cum quatuor aliis, et Rupertus qui dicitur comes Hirsutus cum quinque aliis secum, quod nullam vindictam de ipsorum captione vel de dampnis illatis eis quereret vel queri faciet adversus Warmaciensem episcopum vel cives ejusdem, et semper de cetero bona fide pro amicis habebunt eosdem; et similiter juramentum facient omnes captivi qui in vinculis prefati camerarii detinentur. Promisit insuper idem Phylippus in presentia nostra dare litteras apertas civibus Warmaciensibus in quibus debent apponi sigilla Eberhardi et Ottonis fratrum de Eberstein, Friderici comitis de Liningen, Silvestris comitis et Embichonis filii sui, Heinrici Irsuti comitis, Cunradi Irsuti comitis, Wernheri de Bollandia, Philippi de Falcensten fratris sui, Wernheri dapiferi de Alzeia, quod si aliquando idem Phylippus contra pactum ipsius concordie venerit, predicti omnes excludent eum a consortio et amicicia eorum nec ei prestabunt aliquod auxilium contra Warmacienses predictos. Promisit insuper excellentia nostra utrique partium ut si aliqua ipsarum partium contra pactum nominate concordie venerit et eam

violare presumpserit, nos alteri parti astare volumus contra ipsam viribus et potentia celsitudinis nostre. Unde ad futuram memoriam similia duo scripta de verbo ad verbum scribi fecimus, quorum unum penes Warmacienses cives et aliud penes eumdem Phylippum servari debent, sigillo nostro munita.

Datum aput Spiram, XXIII januarii, quarte indictionis.

Schaffusae, 27 martii.

Conradus, Romanorum in regem electus, sacerdotes et clericos omnes, qui in celebratione divinorum civibus Ratisponensibus assistere voluerint, sub speciali protectione sua et imperii recipiens, promittit illis beneficia ecclesiastica et plenam gratiam papae et Ecclesiae, quando inter patrem suum et papam tractatum pacis fieri contigerit.

(Edit. ap. Ried, *Cod. diplom. Ratisb.*, t. I, p. 409, n° 424, et in *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 295. Sigillum nonnihil laesum appendebat ex segmento membranaceo.)

Conr[adus], divi augusti imperatoris Fr[iderici] filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus presentes literas inspecturis quod nos sacerdotes et clericos omnes, qui pro reverentia imperatorie majestatis, nostra et imperii, assistere volunt fideliter et devote in celebratione divinorum officiorum civibus et fidelibus nostris Ratisponensibus, recepimus sub protectionis et defensionis presidio nostro et imperii speciali; promittentes eis suo loco et tempore tam in beneficiis ecclesiasticis quam in largitione munerum et regie provisionis juxta meritum uniuscujusque liberaliter providere. De habundantiori quoque gratia nostra volumus predictos sacerdotes et clericos, quandocunque in posterum tractatus pacis inter magnificum Cesarem dominum patrem nostrum, nos et papam haberi contingerit, ejusdem tractatus pacis participes esse, ut in honore dignitatis, officiorum et beneficiorum cum pleni-

tudine gratie papalis et ecclesiastice debeant reconciliari. Ad cujus rei memoriam presentes litteras fieri fecimus sigillo nostro munitas.

Datum Schafuse, XXVII marcii, quarte indictionis.

Conradus, in Romanorum regem electus, ad supplicationem Gerchini de Sinzig castellani in Landscron, litteras Henrici quondam Romanorum regis de jure patronatus in Konigsfeld, renovari et rescribi jubet. Gmund, 9 aprilis.

(Edid. Tross, *Westphalia*, 9 jul. 1825, p. 12.)

Conradus, divi imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre volumus esse notum quod Gerchinus de Sinzigh, castellanus in Landtscron, presentavit nobis litteras in hac forma :

(Sequitur tenor litterarum recognitionis Henrici, Romanorum regis, dat. ap. Hayne, nonis octobr., indict. XV; quae supra, t. II, p. 885.)

Verum quia idem Gerchinus supplicavit excellentie nostre ut easdem litteras renovari et rescribi sub sigillo nostro mandaremus, nos ipsius precibus inclinati, prefatas litteras de verbo ad verbum transcribi jussimus et sigillo nostro muniri.

Datum Gamund, VIIII aprilis, IIII indictione.

Conradus, in Romanorum regem electus, jus advocatiae in Wetphlaria et jurisdictionem in Hittenberg auctoritate patris sui et sua Conrado et Widekindo de Merinberg, qui in servitiis patris sui et suis permanere promiserunt, possidenda concedit. Apud Esslingen, maio.

(Edit. ap. WENCK, *Hessische Landesgesch.*, 2 pars, Urkundenb., p. 164, n° CXXXIII.)

Conradus, domini augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per presens scriptum ad modernorum et futurorum notitiam cupimus pervenire quod nos C. et W. (1) de Merimberg dilectis fidelibus nostris, qui per patentes suas litteras se nostre celsitudini astrinxerunt quod in serenissimi Cesaris domini patris nostri et nostris serviciis auxilio et consilio perpetuo debeant permanere, jus advocatie in Wetphlaria et jurisdictionem in Hittenberg, prout hec ab imperiali gratia progenitores eorum antiquitus possiderunt, recognovimus et auctoritate prefati Cesaris domini patris nostri et nostra concessimus possidenda. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri fecimus, sigillo nostre celsitndinis communitum.

Datum apud Esselingen, anno dominice incarnationis millesimo CC. XL sexto (*a*), mense maii, quarte indictionis.

Apud Rotinburg, maio.

Conradus, in Romanorum regem electus, pro fide et devotione civium de Frankenfurt, de auctoritate et mandato imperatoris patris sui, eis omnem noxam et offensam remittit quam in caedem et exterminium Judaeorum de Frankenfurt, servorum camerae suae, negligenter potius quam voluntarie commisisse videntur.

(Edit. ap. *Privileg. et pacta von Frankf.*, p. 4. — LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XIII, p. 558. — BOEHMER, *Cod. diplomat. Moenofrancof.*, t. I, p. 76.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per

(*a*) In libro *CCLX sexto*, sed per impressionis mendam.

---

(1) Scilicet *Conradus* et *Widekindus*, ut refert Wenck in titulo documenti. Vide insuper documentum insequens in eodem opere, sub n° CXXXV.

presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod pro merito fidei et devotionis civium nostrorum de Frankenfurt, attendentes quoque eorum grata servitia que omni tempore domino patri nostro, progenitoribus ejus et nobis devotissime prestiterunt et in antea prestare poterunt gratiora, auctoritate ac speciali mandato serenissimi Cesaris domini patris nostri, nobis apud ipsum pro ipsis civibus devotissime supplicantibus, remisimus eis omnem noxam et si quam offensam visi sunt ipsi cives in cedem et exterminium Judeorum de Frankenfurt, servorum camere nostre, negligenter et contingenter potius quam voluntarie commisisse (1). De abundantiori quoque gratia celsitudinis nostre promittimus eis super hujusmodi scripto remissionis et gratie nostre privilegium imperatorie majestatis liberaliter impetrare, pro ipsorum civium et heredum suorum perpetua securitate. Ad hujus itaque remissionis nostre memoriam et robur in posterum valiturum, presens scriptum fieri et sigillo nostre serenitatis jussimus communiri.

Datum apud Rotinburc, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, mense maii, quarte indictionis.

Conradus, in Romanorum regem electus, Gerardo de Sintsig, pro expensis castri Landscrone centum marcas promittit, pro quibus census suos novos ultra Rhenum et nemus suum de Hoevile titulo pignoris obligat. Apud Ulmam, 31 maii.

(Edid. Tross, *Westphalia*, 9 jul. 1825, p. 12.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia [Romanorum] in regem electus, semper augustus, heres regni Jerusalem. Tenore presentium notum esse volumus quod nos in subsidium expensarum quas recepit necessario castrum Landscrone, Gerhardo de Zintzigh, fideli

(1) De ista caede, videsis *Chronic. Erphord.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 402.

nostro, promisimus centum marcas, pro quibus, dum ad manus nobis pecunia defuisset, census nostros novos ultra Renum, ex opposito ville que dicitur Lubsdorff, solventer (*sic*) quinque marcas denariorum, et nemus nostrum quod dicitur de Hoevile eodem titulo pignoris duximus obligare.

Datum apud Ulmam, ultimo maii, quarta indictione.

Hallis, 9 junii.

Conradus, in Romanorum regem electus, Gerhardo de Sintzig mandat ut Conrado de Bruneche fideli suo centum marcas de Judaeo quem tenet captivatum, assignare non omittat.

(Edider. GUDEN., *Cod. diplom. Magunt.*, t. II, pars 2, p. 943, ex autographo cujus a tergo sigillum membranae impressum superest. — HANSSELMANN, *Diplomatisch. Beweiss des Haus. Hohenl.* I, Beytrag., n° 38.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, Gerhardo de Sinzege, burgravio (*a*) et fideli suo (1), gratiam suam et omne bonum. Devotioni tue mandamus, precipientes districte quatenus juxta quod a nobis novissime recessisti (*b*), Conrado de Bruneche, dilecto et

(*a*) Scilicet *de Landscron*.
(*b*) Sic; sed verosimiliter, *recepisti*.

(1) Gerardus de Sinzig in fidelitate domus de Stauffen usque ad mortem Conradi perseveravit, sicut patet ex documentis a Gudeno relatis. Adest ibidem n° 17, charta Conradi Coloniensis archiepiscopi, data Coloniae, ann. 1248, sabbato quo cantatur *caritas Dei*, qua Gerhardum a captivitate dimittit sub certis conditionibus ibidem expressis, inter quas legitur : « Omnibus presentes litteras inspecturis Gerardus de Sinzeke, Theodericus et Suffridus fratres [ejus] notum esse volumus, etc. Hoc tamen nobis salvum protestamur quod nos *domino nostro Friderico quem pro imperatore tenemus ac domino Conrado ejus nato quem tenemus pro rege*, si personaliter aderunt citra Mosellam, servire possumus et in hoc contra juramentum nostrum non venimus . . . . . Salvum etiam est domino archiepiscopo *domino suo regi*, si personaliter affuerit, assistere, etc. »

fideli nostro, centum marcas Colonienses de Judeo quem detines captivatum, omni dilatione et occasione cessantibus, persolvere non omittas.

Datum Hallis, VIIII junii, quarte indictionis.

Ibique [apud Frankenfurt] facta est pugna et maximus conflictus inter duos reges in festo beati Oswaldi. Et Deus dedit victoriam Ecclesiae et regi Heinrico. Cunradus autem rex fugiens amisit multos milites et maxima bona, et imposuit Suevis qui cum eo venerant et cum ipsis multis amissis fugerant, quod ipsi eum infideliter prodidissent. *Annal. Argent.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 108. 5 augusti.

Godefridus de Hohenlohe, praesente Conrado Romanorum in regem electo, Ottoni Bogenario civi Augustensi, uxori et haeredibus ejus aream suam apud antiquam portam civitatis Augustae sitam, sub annuo censu et certis quibusdam conditionibus perpetuo possidendam, concedit. Augustae, 29 augusti.

(Edider. Hansselmann, *Diplomat. Beweiss des Hauses Hohenl.*, t. I, p. 407, n° XXXVII, ex copia collationnata in archivo. — Stetten, *Geschlechtergesch.*, p. 364.)

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Gotfridus de Hohenloch omnibus in perpetuum. Equum et idoneum esse censemus ut devotionis affectus cujuslibet virtutis non debeat premio carere, ne pia mens in studiis suis remissior fiat, dum sibi pro meritis non respondeatur. Hac igitur intentione, ut Ottonis Bogenarii, dilecti fidelis nostri, civis Augustensis, nobis exhibite fides et devotio non tepescant, suis meritis libera-

liter occurrere cupientes, aream nostram apud antiquam portam civitatis sitam in Augusta, quam a domino Ulrico de Porta, filio quondam Ebonis de Porta, cum omnibus pertinentiis suis comparavimus, sibi et Selindi, uxori sue, ac omnibus heredibus et successoribus ipsorum, presente domino nostro Cunrado illustri, Romanorum in regem electo, liberaliter concessimus cum omni jure, sicut eam emimus, pro censu annuo duabus caligis videlicet de sageto, quas nobis in recognitionem singulis annis solvent, a nobis et heredibus sive ceteris successoribus nostris hereditario jure perpetuo possidendam; eo duntaxat jure nobis et nostris heredibus in prefata area reservato, quod per dictum Ottonem et suos heredes vinum nostrum, quod in Augustam duxerimus transmittendum, in uno cellario ejusdem areo reservetur quo dum de vino ipso nostrum commodum ordinetur; et si personaliter Augustam pervenerimus vel heredes nostri, hospitium nostrum erit in domo quam super aream duxerunt construendam, in testimonium quod eadem area in feodo possideatur a nobis et nostris successoribus in futurum. Preterea idem Otto et sui heredes liberam facultatem habebunt, si necessitas ipsis ingruerit, vendendi dictam aream et omnia superedificata suo concivi vel cuilibet alteri, secundum jus commune civitatis Auguste, quod vulgaritor dicitur *Burchrecht*, videlicet due auce annuatim in festo sancti Michaelis. Ut autem affectuosa et liberalis nostra concessio a nobis et successoribus nostris stabilis maneat et inconcussa, notam eam facimus et protestamur universis tam posteris quam modernis presentes litteras inspecturis, et eas in argumentum memorie certioris, sub testimonio subscriptorum qui testes sunt ejusdem concessionis nostre, videlicet comes Fridericus de Zolre, comes Ludewicus de Spizenberch, dominus Eberhardus de Eberstain, dominus Heinricus de Nifen, dominus Ulricus de Gundolvingen, dominus Kraft de Bockesberg, dominus Wolfranus de Krutheim, dominus Conradus Kroph, dominus Waltherus, pincerna de Limpurch, dominus Cunradus, pincerna de Klingenburch, dominus Lupoldus, magister coquine de Rotenburch, dominus Hawardus, dominus Fridericus do Rindesmul, dominus Siboto Tanhuser, etc. (Sequuntur nomina quadraginta testium aliorum minoris momenti), cum sigillo nostro et civitatis Augustensis fecimus roborari.

Acta sunt hec in civitate Augusta, in domo predicta, anno dominice incarnationis millesimo CC° quadragesimo sexto, IIII kalendas septembris, quarta indictione.

Anno M. CC. XLVI Conradus rex duxit in uxorem filiam Ottonis palatini, kalendis septembris. *Annal. Wormat.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 185. — Chunradus, filius Friderici imperatoris, duxit uxorem dominam Elysabeth filiam Ottonis ducis Bawariae. *Herm. Altah. Annal.*, ibidem, p. 506.

Conradus, in Romanorum regem electus, consorti suae Elisabethae filiae ducis Bawariae, pro matutinali dono quod dicitur *Morgengab*, donat terram suam de Moringen et totam contratam quae dicitur Hibisch cum omnibus earum pertinentiis. Apud Augustam, septembri.

(Edit. ap. Chmel, *Fontes rer. Austr.*, *Diplomataria*, pars I, p. 1, ex archiv. Vindobon. — Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 266, n° 82.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos Elisabete, dilecte consorti nostre, filie Ottonis, comitis Palatini Rheni, ducis Bawarie, dilecti principis et soceri nostri, dedimus et donavimus terram nostram que dicitur Moringen, nobis hereditario jure pertinentem, et nominatim totam contratam que dicitur Hibishe (*a*), ipsi terre de Moringen et ejus pertinentiis attinentem, cum militibus, rusticis, agriculturis, pratis, terris cultis et incultis, silvis,

(*a*) Sub variis quoque nominibus *Hibische*, *Eibisch*, *Aybisch*, *Eysch*.

quesitis et inquirendis, cum omnibus pertinentiis, rationibus et proventibus ejus, pro matutinali dono quod in vulgari dicitur *Morgengabe*. Unde in futuram memoriam et robur in posterum valiturum, presens scriptum inde fieri et sigillo nostre celsitudinis jussimus communiri.

Datum apud Augustam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, mense septembri, quinte indictionis.

Apud Augustam, septembri.

Conradus, in Romanorum regem electus, collationem, per Ottonem comitem palatinum Reni, ducem Bawariae, socerum suum, monasterio in Wezilsprunne super ecclesia de Phetin factam, ratam habet.

(Edit. ap. Leutner, *Histor. Wessofontana*, p. 268, et ap. *Monum. Boic.*, t. VII, p. 399, ex *Monum. Wessofont.*, n° XXV. Cf. *ibidem*, t. XXX, p. 298. Sigillum fractum appendebat ex filis sericis rubri coloris.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Tenore presentium notum facimus universis quod (*a*) nos, ad preces Ottonis, comitis Palatini Rheni, ducis Bawarie, dilecti principis et soceri nostri, collationem factam per eum monasterio Sancti Petri in Wezisbrunen, de ecclesia in Phetine (1), pro reverentia Jesu Christi ratam et firmam perpetuo habituros. Unde ad futuram memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum inde fieri et sigillo nostre celsitudinis jussimus communiri.

Datum apud Augustam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, mense septembris, quinta indictione.

(*a*) Sic, sed vox *quod* abundare videtur.

---

(1) Posteriori vero tempore dicta est *parrochia de Landsberg*.

Swiggerus de Mindelberg monasterio de Raittenbuch jus patronatus quod habebat in ecclesia de Æglhofen et curiam suam villicalem ibidem post obitum suum donat. Apud Augustam [augusto vel septembri].

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. VIII, p. 28, n° XVIII.)

In nomine Domini, amen. Ego Swiggerus de Mindelberch omnibus presentem paginam inspecturis notifico quod, adhuc vivens, jus patronatus ecclesie quod habebam in Aeglhoven, ecclesie in Raittenbuch donavi, et curiam meam villicalem ibidem, post obitum meum, eidem Raittenbuchensi ecclesie ordinavi; ad indicium hujus donationis statuens ut, dum vixero, annuatim de redditibus ejusdem curie duos modios siguli dicta ecclesia percipiat.

Acta sunt hec apud Augustam, in palatio domini episcopi, presente inclito Romanorum rege Conrado et consentiente, anno Domini M.CC.XLVI. Testes autem sunt qui presentes audierunt Wiettego, prepositus de Raittenbuch, Cunradus Frisingensis, Ulricus archidiaconus Augustanus de Althaim; ex laïcis, Rudolfus, liber de Munsteren, Bertholdus, liber de Tannenberch, Hainricus Gula, advocatus Augustensis, Bertholdus de Bebengen, Conradus Spannagel, dapifer de Dornsperch, Engelscalcus et frater ejus Cunradus de Haeginberch, et alii quamplures.

Conradus, in Romanorum regem electus, fatetur Isengardim Philippi de Falkenstein dapiferi sui conjugem sibi tradidisse castrum Trifels et insignia imperialia quae ibidem servabantur, cum multis sacris reliquiis, jocalibus, missalibus libris, etc. Trifels. 17 septembris.

(Extract. potius quam editum ap. SCHEID, *Origin. Guelf.*, t. III, p. 843, n° 340, ex antiqua versione germanica chartularii Falckenst. — GEBAUER, *Über Richard König*, p. 244. — MURR, *Journal*, t. XII, p. 37. — Integrum exhibetur documentum in *Archiv Hessische Geschichte*, t. VIII, p. 234, ex copia a Boehmero transcripta in Falckensteinisches copialbuch, fol. 9, Mss. pergam. sec. XV apud archivium regale Monacense.)

Do man zalte nach Godes geburte zwolf hundert iar und sechs und vierzig iar in dem nunden mande an sant Lamprechtes dage. Wir Cunrad keiser Friderichs sun, von Godes gnaden zu eime Romeschen kunig gekorn, veriehen und bezugen mit diesem briefe daz Ysengard husfrawe Philips von Falkenstein, unsers lieben trosessen und getruwen; und sine undertanen uns geantwortet hant mit willen unsers herren und vaders keisers Friderichès : die burg Trivels und die keiserlichen zeichen, mit namen unsers herren holtz mit eime gulden cruce mit edelen steinen gezieret, sant Johanns des dofers zaen (1) in einem cristallen, sant Kunegunden arm, sante Mauricien sper, me unsers herren nahele und ein silberen fuder daruber, daz cruce mit der kedene und mit deme heilichdome, die guldene crone mit gulden cruce, zwei swert mit zwein scheiden gezieret mit edelem gesteine, daz gulden vingerlin mit deme robine unde vier saphire, den gulden appel mit dem cruce, den keiserlichen mantel mit edelen steinen, drie guldene sporen, ein albe von wissen samitte mit edeln steinen gezieret, siben guldin nalden mit sechs steinen, den balsam, ein wisse infule, zwene handschuhe mit edelen steinen, einen rochk von samitte, zwo scharlakens hosen und zwene verguldene schuhe mit steinen gezieret, zwo gulden . . . . . . mit zehen gulden schellen, drie siden gurtel, ein linen hemde. Geschehen in der burg Trivels, dabi warend und sahen : der priol von Engiltal, Eberhart und Otto gebruder von Ebirstein, Friderich grafe zu Liningen, Phil. von Hohen-

(1) Scheid (*ibid.*, p. 366, nota *pp.*) clare demonstrat hunc dentem in imperiali thesauro inter reliquias semper fuisse asservatum, et acerrime errorem Eccardi refellit qui Henricum Brunswici ducem incusat quod hunc Friderico imperatori inter caetera clenodia non restituerit, sed apud Brunswicum in ecclesia Sancti Blasii reposuerit.

fels, Wernher von Ouwe, Heinrich von Fleckenstein, und anders vil guder edeler lude. Des zugezugnisse han wir diesen brief dun besigelen mit unserme ingesigele. Dis ist daz da horet zu des kuniges capellen : der schirm mit dem heiligtome ubersilbert, das silbern cruce, der silberen keliche, ein silberen rouchvas, ein blasebalk, ein silberen vas und ein loffel zu wirouch . . . ., zwei silbern kenichen, vier bucher, ein silbern wikesel, ein silberen salczschussel, ein elterstein, zwei gancze meszgewand, ein rode casele, die ander wisz von samitte, ein gulden appel, des elteres gedecke, zwo hantzwehelen. Dise ding horend zu der capelle zu Trivels: ein kelch, messebuch, gancz messe gewand. Zu Nycastel : ein kelich, zwei messebucher, ein mettenbuch und ein messegewand. Zu Wachene : ein kelch. Item zu Trivels ein mettenbuch an (*sic*) zwei bucher.

Conradus, in Romanorum regem electus, fatetur Isengardim Philippi de Falkenstein dapiferi sui conjugem sibi tradidisse castra Trivels, Gutenburg, Falkenberg, Nicastel, Spigelberg, cum victualibus ibidem asservatis. Spirae [septembri].

(Edit. ap. *Archiv für Hessische Geschichte*, t. VIII, p. 233, ex copia a Boehmero transcripta in Falkensteinisches copialbuch, fol. 10, Mss. pergam. sec. XV.)

Wir Kunrad keiser Frideriches sun, von Godes gnaden in einen Romischen kunik erkorn und ein erbe des riches zu Jherusalem. Veriehen mit disem geinwortigen geschrift, daz Ysengrad huszfrawe Philip von Falkenstein trossesse des keiserlichen sales, unsers getruwen, nach gebode und volligen willen des allerlutersten keisers herren und unsers vaders, uns geantwortet in unser and : die burg Trivels, die burg Gutenburg, Falkenberg, Nicastel, Spigelberg, die burg Anbossen, daz wir die vortme nach unserme willen und ordenunge mit andern burgmannen und huderen mogen behuden und bewaren. Auch hat sie uns geantwortet

[in] diesen burgen etsliche koste, vit namen von weisse, von korne, von mele zwei tusend malder und dru und vierzig malder. Item hundert malder speleczen und zwo und funfzig malder, achte fuder wines, vierczehen bachen, zwolf eren duppen, siben kessel, zwo pannen, siben isen . . . . , siben und zwenzig hornen armbrust, zwo platen, zehen esel, hundert und achte und zwenzig schaf, ein und drissig bette. Und durch zukunftiger gedechtnisse und sicherheit unsers hofes und des vorgenanten unsers trossessen han wir dieses brief dun schriben und mit unserme ingesigele besigelen.

Gegeben zu Spire, nach Gottes geburt zwolfhundert iar in des sechs [und] vierczigesten iare.

Apud Spiram, 26 septembris.

Conradus, in Romanorum regem electus, cives Lubicenses fideles suos a jure thelonei quod ab eis in passagio apud Werdam requiri consuevit, usque ad quatuor annos completos eximit.

(Edit. in *Cod. diplomat. Lubec.*, pars I, p. 124, n° CXXVII, ex libro copiali de Bardewich, fol. 16.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, uuiversis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre volumus esse notum quod nos cives Lubicenses fideles nostros, pro merito fidei et devotionis eorum (1), ab omni jure theolonii quod ab eis requiri consuevit de passagio nostro

(1) Tunc temporis Innocentius papa plurimum nitebatur ut cives Lubicenses a fide Friderici imperatoris averteret; per litteras datas Lugduni, VIII kalendas maii, anno III (1246), eos exhortatur quod landgravio Thuringiae opem ferrent, « qui, ad honorem Dei et Ecclesiae ac christianae religionis praesidium paratus est assumere imperii negotium, postquam fuerit electus. » Post electionem lantgravii, eisdem VI idus julii ejusdem anni mandavit papa quod illum in regem Romanorum admitterent; alioquin, per electum Ferrariensem Apostolicae Sedis

apud Werdam, super flumine Reni, duximus eximendos, videlicet a festo beati Martini presentis anni, quinte indictionis, usque ad quatuor annos completos; mandantes quatinus nullus sit qui eosdem cives nostros contra presentis gratie nostre tenorem audeat de cetero aliquatenus molestare.

Datum apud Spiream, XXVI septembris, quinte indictionis.

Conradus, Romanorum in regem electus, notum facit quod cum Wilhelmus comes Juliacensis sub cautione fidei suae promiserit terram imperatoris contra quemlibet invasorem defendere, ipse eidem comiti tria millia marcarum assignavit sub certis terminis persolvenda. Aquis, 12 decembris.

(Edider. KREMER, *Akad. Beitr.*, t. III, p. 92. — LACOMBLET, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. band, p. 160, n° 306.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Ierusalem, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre notum esse volumus quod Wilhelmus, comes Juliacensis, dilectus fidelis noster, astare tenetur firmiter et servire, fidei sue data super hoc cautione, domino genitori nostro Friderico, Romanorum imperatori serenissimo, et nobis, Romanorum in regem electo, et promisit terram nostram secundum dictum E. de Eberstein,

---

legatum excommunicarentur. Civitas Lubicensis anno 1247 ineunte a Friderico defecisse videtur, si fidem adhibeamus litteris Innocentii, datis Lugduni III idus januarii anno IV, et cardinalis Sancti Georgii, datis Andernachi III nonas septembris 1247. Postea autem ad partes Staufficae domus rediit, sicut comperimus ex papalibus litteris, datis Lugduni, kalendis julii, pontificatus anno VII, sed mox in alteram partem postremo conversa est, ex alia epistola data Lugduni, III nonas novembris, anno VII (1249). Cf. *Cod. diplom. Lubec.*, pars I, nis CXI, CXIII, CXXI, CXXVI, CXLI, CXLIV.

A. sculteti Aquensis, H. de Ulmen, W. de Spanheim, G. de Diste, Christiani pincerne, G. marschalci et Reinhardi de Druva, fidelium nostrorum, defendere pro quolibet invasore nobis malum vel gravamen inferre volente. Quod si predicti octo in dictis suis non poterunt concordare, secundum dictum Heinrici de Luccelnburc, avunculi sui, et Walerami, fratris sui, premissa tenebitur adimplere; recepturus proinde sufficientem securitatem de tribus milibus marcarum a nobis ei assignandis hoc modo : quadringentas marcas ipsi ad manus persolvemus et opidum nostrum Duren habebit pro mille marcis titulo pignoris obligatum (1), et in Epiphania Domini proximo adveniente sexcentas marcas persolvemus eidem, et in festo Purificationis beate Marie Virginis proximo mille marcas. Si vero predicta memoratis terminis ei non fuerint adimpleta, dicte quadringente marce et prefatum opidum nostrum Duren pro sexcentis marcis ipsi sine contradictione titulo pignoris remanebunt, et ab omnibus predictis conditionibus seu conventionibus erit penitus absolutus. Tenebimur insuper eundem comitem Juliacensem, dilectum fidelem nostrum, a fidejussione pro nobis facta ab ipso, secundum veram computationem, reddere liberum et solutum. In cujus rei testimonium presentes litteras sigillo nostri culminis communitas sibi fecimus exhiberi.

Datum Aquis per familiarem et dilectum nostrum Eberhardum de Eberstein, anno Domini M.CC.XLVI, in vigilia beate Lucie virginis.

ANNO 1247. — INDICTIONE 5.

Apud Esslingen, 9 martii.

Conradus, in Romanorum regem electus, Friderico comiti de Liningen villam Sancti Pauli prope Wissemburg et omnia feodalia quae quondam tenuit B. de Wedeglenbert, concedit.

---

(1) Vid. supra, p. 824, documentum de oppignoratione oppidi Duren.

(Inedit. ex quodam apographo sec. XV ineunte exarato, cujus copiam Boehmero fecit reverendus vir Lehmann apud Nussdorf juxta Landau, et eam ipse Boehmerus nobiscum liberaliter communicavit.)

Cunradus, divi augusti imperatoris filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Tenore presencium notum facimus universis quod nos, ad multam supplicationis instantiam Fr. comitis de Lyningen, dilecti familiaris et fidelis nostri, concedimus ei villam que dicitur Sancti Pauli, prope Wissenburg, in Spirigovia, et omnia feodalia que hactenus tenuit a nobis quondam B. de Wedeglenbert, qui sine liberis dicitur decidisse, usque ad principalo mandatum serenissimi Cesaris domini patris nostri.

Datum apud Esselingen, IX marcii, V ydus (*a*).

ANNO 1248. — INDICTIONE 6.

Istos haereticos [Hallis in Suevia] fovit et defendit Conradus et patrem suum se per talia venena credidit defensare. Sed res lapsa est in contrarium, quia catholicis praedicatoribus audacter resistentibus et fideles exhortantibus, liberi et ministeriales a Conrado recesserunt, ita quod quasi exul et profugus de Suevia in Bawaria moraretur. *Albert. Stadensis Chronic.*, ad ann. 1248.

Conradus, in Romanorum regem electus, possessiones et jura omnia monasterii in Weingarten confirmat, tum de jure censualium sive morticinorum ejusdem ecclesiae, tum de jure super novalibus in sylva Altorfensi excultis. Augustae 10 maii.

(*a*) Evidenter legendum et intelligendum est *V indictione.*

(Inedit. ex originali in archivo Stuttgart., Weingart., n° 14, unde fragmentum sigilli pendebat e filis sericis rubri coloris; quod nobiscum liberaliter communicavit eruditus vir Kauslerus. Documentum non omnino fictitium dicimus, sed saltem rescriptum fuisse arbitramur; unde lectorem precamur ut conferre velit quae supra animadvertimus, t. IV, p. 625.)

Conradus, divi augusti imperatoris Fridrici filius, Dei gratia in Romanorum regem electus, semper augustus et heres regni Hierusalem et Sicilie (*sic*). Licet ad omnes ecclesias serenitatis nostre aciem, etc.

[Sequitur de verbo ad verbum sicut in privilegio Henrici septimi, dato anno 1234 apud Hagenowe, 8 kal. febr., indictione septima, quod supra edidimus, t. IV, p. 626 et seqq., usque ad :]

Testes sunt hii S. venerabilis Augustensis episcopus, Ber. abbas de Utinburrun, comes Ul. de Schalkelingin, comes Wolfradus de Veringen, Eberhardus de Eberstain, H. de Nifin, C. pincerna de Winterstetin, Otto. Ber. de Walpurc dapifer, H. et Ul. dapiferi de Warthusin, H. de Ravinspurc, Eber. de Walse, et alii quamplures.

Datum Auguste, anno Domini M. CC. XXXIIII (*lege* XLVIII), X die maii, indictione VI.

Anno 1248, mense octobri, cives Wormacienses in subsidium regis Conradi copiam armatorum ad partes Spirae et Oppenheim versus Nordtlingen (?) miserunt contra Sifridum Moguntinum archiepiscopum qui bellum regi Conrado intulerat. Quorum auxilio Moguntinus Brussellam usque [Bruchsal?] agitatus est. Ista expeditio constitit cives ducentas marcas. *Zorns Chronic. Wormat.*, Mss., ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 267.

ANNO 1249. — INDICTIONE 7.

Conradus, in Romanorum regem electus, sculteto et civibus de Solodoro mandat quod praepositum et capitulum ecclesiae Solodorensis contra oppressiones quorumdam adversariorum protegant et conservent. Haguenau, 27 februarii.

(Edit. ap. *Solothurn. Wochenblatt.*, ann. 1822, p. 479.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerosolimitani, sculteto et civibus de Solodro fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Supplicationibus venerabilium prepositi Solodorensis et capituli, dilectorum fidelium nostrorum, favorabiliter inclinati, de plenitudine nostri consilii mandamus vobis auctoritate paterna et nostra firmiter precipientes quatenus presumptionem quorumdam ex vobis qui juri predicte ecclesie videlicet se opponunt, auctoritate nostri culminis reprimentes, predictos prepositum et capitulum super suis hominibus juxta tenorem privilegii exinde confecti, quod plene perspeximus et approbamus, ad utilitatem prenotate ecclesie conservetis; tantum facturi super premissis ut eidem preposito et capitulo non detur contra vos materia conquerendi.

Datum Hagenau, XXVII februarii, septima indictione.

Conradus, in Romanorum regem electus, pro gratis fidei meritis Rudolfi de Habesburg lantgravii Alsatiae, ei theloneum apud Vroudenowe (Freudenau) concedit. Nuremberg, augusto.

(Edid. LICHNOWSKY, *Gesch. des Hauses Habsburg*, t. I, regest. n° 1, p. 158, ex originali ut dicitur in archivo Vindobonensi, unde sigillum pendebat.)

Conradus, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus Jerosolime et Sicilie rex (*sic*). Tenore presentium notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris quod nos attendentes pura et grata fidei merita que comes Rudolfus de Habesburch, lantgravius Alsatie, dilectus familiaris et fidelis noster, culmini nostro exhibuit et que in antea de bono in melius exhibere poterit gratiora, ut continua sua servitia liberalitatis nostre gratiam semper sentiat (*sic*) ab effectu, ecce theloneum apud Vroudenowe predicto comiti R. duximus concedendum; ita quod de souma Gallica tres solidi, de vase magno vini denarii sedecim, de curru denarii octo et de sarcina unius equi denarii duo Basiliensis monete jugiter exsolvantur. Ad cujus rei memoriam presentes litteras sigillo nostro fecimus communiri.

Datum apud Nuremberch, anno Domini millesimo CC. quadragesimo nono, [mense] augusto, octave indictionis (1).

Apud Nuremberg, augusto.

Conradus, in Romanorum regem electus, pro gratis fidei meritis Rudolfi de Habesburg lantgravii Alsatiae, ei theloneum inter colles et Rheni fluvium concedit.

(Inedit. ex originali ut dicunt in archivo Cesar. Vindobon., quod nobiscum clarus vir et amicus Boehmerus communicavit.)

Conradus, Dei gracia Romanorum in regem electus, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex (*sic*). Tenore presentium notum esse volumus

---

(1) Recte tamen *septime indictionis*. Licet ad fidem originalis instrumentum depromptum esse dicatur, libenter suspicamur id non esse plane genuinum. Ex titulis Conradi regis melius anno 1251 conveniret, quo vir iste princeps mense augusto apud Nuremberg certissime commoratus est.

universis, tam presentibus quam futuris, quod nos attendentes pura et grata fidei merita, que comes Rudolfus de Habesburch lantgravius Alsatie, dilectus familiaris et fidelis noster, culmini nostro exhibuit, et que in antea de bono in melius exhibere poterit gratiora, ut continua sua servitia liberalitatis nostre gratiam semper sentiat (*sic*) ab effectu, ecce theloninm inter colles et Rheni fluvium, quod in vulgari *zwischen Under-Bueheln unde deme Rine* nuncupatur, predicto comiti R. duximus concedendum; ita quod [de] souma Gallica tres solidi, de vaso magno vini denarii sedecim, de curru denarii octo, et de sarcina unius equi denarii duo Basiliensis monete jugiter exsolvantur. Ad cujus rei memoriam presentes litteras sigillo nostro fecimus communiri.

Datum apud Nuerembergh, anno Domini millesimo CC. quadragesimo nono, mense augusto, octave indictionis (1).

Conradus, in Romanorum regem electus, monasterium de Seligenpforten in sua protectione suscipit, mandatque butiglario et burgravio de Nuremberg ut eidem conventui ubi opus fuerit astare debeant. Apud Nurembereh, ...

(Memorat. et extr. apud Kohler, *Hist. comitum de Wolfstein*, p. 273.)

Datum apnd Nurembereh, anno Domini M. CC. XLIX.

---

(1) Cf. quae supra monuimus, p. 886, not. 1.

ANNO 1250. — INDICTIONE 8.

Augustae, martio.

Conradus, Romanorum in regem electus, monasterio in Bollingen [Pollingen] usum nemoris Aicholz prope Mozmul concedit.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. X, p. 51, ex monum. Polling., n° XV. *Cf. ibidem*, t. XXX, p. 307. Sigillum quod appendebat periit.)

Couradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per presens scriptum notum facimus universis quod nos pro reverentia Dei usum nemoris quod vocatur Aicholz (*a*) prope Mozmyl, monasterio Sancti Spiritus in Pollingen duximus misericorditer concedendum, jus advocaticium ejusdem nemoris nobis nostrisque futuris heredibus et successoribus reservantes. Ad cujus rei memoriam presens scriptum inde fieri et sigillo nostro jussimus commuuiri.

Datum Auguste, anno dominice incarnationis M. CC. L, mense martii, octave indictionis.

Nordlingen, martio.

Conradus, Romanorum in regem electus, hospitale Sanctae Mariae in Nordlingen ab omnibus precariis, exactionibus et quibuslibet publicis servitiis curiae suae perpetuo eximit.

(Edid. Dan. Eber. Dolp, *Gründlicher Bericht von Nordlingen*, Anhang, n° LXIV.)

(*a*) In impresso minus recte *Licholz*, hodie *Eichholz*.

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Tenore presentinm notum facimus universis quod nos ob reverentiam Jesu Christi, hospitale Sancte Marie in Nordelingen, ad refugium pauperum fundatum, ab omnibus precariis, exactionibus et quibuslibet publicis servitiis curie nostre duximus perpetuo eximendum; mandantes ministris et civibus nostris de Nordelingen tam presentibus quam futuris quatenus nullus sit qui dictum hospitale occasione alicujus precarie, contra tenorem presentis gratie nostre indulte sibi, offendere de cetero vel molestare presumat : nam (*sic*) qui presumpserit indignationem imperialem et nostram se noverit incursurum. Ad cujus rei memoriam presens scriptum inde fieri et sigillo nostre celsitudinis jussimus communiri.

Datnm apud Nordelingen, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo, mense martii, octave indictionis.

Conradus, Romanorum in regem electus, Ludewico seniori comiti de Oettingen civitatem suam de Nordlingen titulo pignoris sub certo tempore obligat, pro diversis pecuniae summis tum civibus Ratisponae, tum pincernae de Ering et dapifero de Rechenberg excomputandis et persolvendis. In castris prope villam Elsach, maio.

(Edid. Lang, *Materialien zur Oettingischer Geschichte*, t. II, p. 231, ex copia antiqua.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jherusalem. Per presens scriptum notum esse volumns universis fidelibus nostris quod nos pro bonis ablatis civibus Ratisponensibus per Fridericum de Monesenek fidelem nostrum, sub pretextu debitorum pro quibus noster extitit fidejussor, sub conductu Ludwici senioris comitis de Otingen di-

lecti familiaris et fidelis nostri, obligamus eidem comiti nomine pignoris civitatem nostram de Nordlingen tenendam et defendendam loco et vice nostra ab omnibus infestationibus emulorum nostrorum, ita tamen quod usque ad proximum futurum festum beate Walpurge [hujus] anni, none indictionis, nullum emolumentum debet ex ipsa civitate percipere, et cives nostros ejusdem nullis precariis vel exactionibus sive aliquibus aliis servitiis agravare. Et si usque ad eumdem terminum predicti cives de Ratispona nunciaverint eidem comiti plenariam satisfactionem de prefatis bonis eorum in nostra curia obtinuisse, idem comes eamdem civitatem nostram tenetur nobis relinquere liberam et solutam. Si vero eisdem civibus per nos sicut dictum est satisfieri non posset, tunc in predicto termino beate Walpurge Rudolffus et Hermannus fratres de Hurnheim et Cunradus Kroppfo, fideles nostri, de plenitudine nostre voluntatis et ejusdem comitis taxare tenentur et estimare summam capitalis pecunie de memoratis bonis civium Ratisponensium per predictum Fridericum de Monsenek ablatis et detentis : quam pecuniam solvere ipsis civibus serenitas nostra spopondit, et si forte ad eorumdem estimationem bonorum iidem fratres de Hurnheim et Kroppfo donec ad eumdem terminum minime convenient, ex tunc (*a*) eamdem civitatem nostram ipsi comiti obligatam esse cognoscimus pro quingentis marcis argenti, de quibus annuatim percipere tunc debet a civibus prefatis civitatis nostre idem comes marcas argenti centum quinquaginta, medietatem videlicet in festo Pentecostes et reliquam in festo beati Martini, predictis civibus Ratisponensibus persolvendas et excomputandas a prefato Friderico de Monsenek pro debitis in quibus sibi tenemur. Item debet idem comes percipere singulis annis de ipsa civitate nostra, donec fuerit in manibus ejus in pignore, viginti libras Hallensium ad satisfaciendum expensis et excomputandum Rabnoni pincerne de Ering et dapifero de Rechenberg, militibus ejusdem comitis, pro debito sexaginta marcarum in quibus eis de promissione nostra tenemur, et in nullo alio tam minister quam cives nostri predicti tenentur eidem comiti respondere. Facta

(*a*) In impresso hic adest *ad* : quod abundare videtur.

itaque solutione predicte pecunie secundum predictum et per terminos constitutos, eadem civitas ad manus et dominium nostre curie sine contradictione cujuslibet libere revertatur. Unde pro futura cautela tam curie nostre quam ejusdem comitis, presens scriptum nostrum fieri fecimus sigillo nostro munitum.

Datum in castris prope villam Altzenach (1), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo, mense maii, octava indictione.

Permansit dominus Conradus rex apud Oppenheim. Ibi primo in julio castrametatus est ante civitatem versus Dynenheim [Dienheim] . . . . . Continue sine mora exsurgens processit versus Moguntiam, et quasi in suburbio civitatis prope claustrum quod dicitur Dalen castrametatus est. Et combussit omnes villas civibus Moguntinis et episcopo attinentes, exceptis tamen illis quae se pecunia graviter redemerunt. Et cum ibi per dies quinque permansisset et interea novo rege [Guillelmo] in Moguntia existente, Conradus rex cum suis accedens Vlanheim (2), illud totaliter subvertit; mittens interea pro civibus Wormaciensibus, qui suis precibus annuentes miserunt ei medietatem civitatis feria sexta ante Assumptionem Mariae Virginis (3) . . . . . Primo autem mane die sabbati progressi sunt in provinciam Silvestris comitis, devastantes et concremantes totaliter eam. Reversus exinde [rex] venit Mouwenheim (4) prope Bolandiam, volens ibi Wernhero de Bolandia omnia sua devastare; quod Philippus de Falkenstein renuit omnibus modis defendendo fratrem suum. Julio-augusto.

(1) Monet Boehmerus nunc agi de Elzach in Breisgau, ubi verisimiliter rex Conradus tunc temporis copias colligebat.

(2) Scilicet *Flonheim*, duobus leucis ab Alzeia distans.

(3) 12 augusti mensis.

(4) Hodie *Mauchenheim*.

. . . . . Inde venit Heppenheim prope Wormatiam et ibi castrametatus est . . . . . et mansit sex diebus . . . . . Rex processit sabbato ante Decollationem Baptistae (1) Didensheim, comburens illud et omnia quae attinebant episcopo Spirensi. *Annal. Wormat.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 187, 188.

ANNO 1251. — INDICTIONE 9.

Wormatiae, 20 martii.

Conradus, in Romanorum regem electus, Gerardo de Sintzig burgravio in Landseron mortem imperatoris Friderici patris sui nuntiat, monens quod damna ejus mox liberaliter refundet, et exhortans ut in fidelitate solita perseveret.

(Edid. Tross, *Westphalia*, 9 Jul. 1825.)

Conradus, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Gerhardo de Sinzigh burggravio in Landescron, fideli suo, gratiam suam et omne bonum. Doloris immensitas, que cor et precordia nostra mordendo lacerare non cessat, ad significandum tibi processus nostros animum nostrum compescuit (*a*) usque modo. Cum igitur inviti loquamur et ulterius tacere nequeamus, significamus tibi Romanorum cesarem, dominum genitorem nostrum, viam universe carnis ingressum. Qui sic christianissime obiit et in ea dispositione ad honorem Dei super Ecclesiam (*b*) ejus dicitur obiisse, quod de ipsius obitu merito

(*a*) In impresso *compescant*.

(*b*) In impresso *superlatum*, quod omni sensu caret. Lectionem vero proponimus quam ipsius Friderici testamento et Manfredi litteris optime consonam arbitramur.

---

(1) 27 augusti mensis.

gaudere poteris et ulterius non tristari. Preterea super dampnis et gravaminibus tibi ab hostibus nostris illatis, noveris nos plurimum tibi condolere, nec dubitare te convenit, cum ibidem Domino concedente [venerimns], tibi omne dampnum et gravamina illata ab eisdem hostibus, per pecuniam qnam subito nos speramus habituros, juxta beneplacitnm tnnm liberali provisione refundemus. Unde non tedeat te fidem, et devotionem progenitoribus nostris observatam per te, nobis de te confidimns inviolatam observari.

Datum Wormatie, XX martii, VIIII indictionis.

FINIS PARTIS SECUNDAE.

ADDITAMENTA

AD SEPTIMAM ET OCTAVAM PARTEM

HISTORIAE DIPLOMATICAE

QUIBUS ACCEDUNT DOCUMENTA SUSPECTA SEU SPURIA.

ADDITAMENTA

AD SEPTIMAM ET OCTAVAM PARTEM

HISTORIAE DIPLOMATICAE.

Fridericus, Romanorum imperator, Marino de Ebulo, vicario imperii a Papia superius, notum facit quomodo miratur quod non sibi significaverit prospera nova de partibus Januae. [1241 septembri.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. V, cap. LXXVII, coll. cum codicib. Guelferbitano et Phillippsensi.)

Fridericus, etc., Marino de Ebulo, sacri imperii a Papia superius vicario, etc. Cum scias nos libenter intendere et gratius aspirare circa successuum tuorum noticiam, admiratione inducimur non injusta quod solutionem exercitus Januensium et ipsorum ruinam (1) nobis significare distuleris, et alia prospere contingentia que nostram audientiam delectarent. . . . (Caetera desunt.)

Quidam archiepiscopi Franciae Fridericum Romanorum imperatorem exhortantur quod praelatos Franciae quos in carcere tenet liberare velit, quum id possit esse viam reconciliationis ad Ecclesiam et ad Deum. [1241 octobri circiter.]

(1) Alluditur ad clades quas sub anno 1241 circa mensem augustum Ansaldus de Mari ex parte una et Obertus Pallavicinus ex altera Januensibus intulerant. Cf. *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. 186.

(Edit. ap. De Cherrier, *Hist. de la lutte des papes et des emper. de la maison de Souabe*, 2e édit., t. II, p. 455, e cod. orn. viri Petri Settimi principis Fitaliae apud Panormum, fol. 51 verso.)

Excellentissimo Romanorum imperatori Friderico, Jerusalem et Sicilie regi, B. et D., Dei gratia archiepiscopi, salutem et ad pacem Ecclesie inclinari, et per hoc gratiam in presenti et gloriam consequi in futuro. Si per diem et noctem merore afficimur, si corda nostra pro dolore et tristitia deficiunt, si oculi nostri flendo obducuntur caligine, non est mirum. In corpore enim Christi, quod est Ecclesia, sic fideles Christi jungit unio charitatis quod, sicut uno membro patiente cetera membra corporis patiuntur, sic in membris suis non solum patitur universalis Ecclesia nostra, [sed] etiam ipse Christus qui ejus dignoscitur esse caput, qui cum nudis nudum, cum incarceratis incarceratum et cum famelicis se reputat esurire. Quare nos qui servi et utinam utiles Christi sumus, attendentes quod honorabilia membra Ecclesie, imo Christi, videlicet venerabiles sancte Romane Ecclesie cardinales, archiepiscopi, episcopi, abbates, religiosi et quamplures viri ecclesiastici, qui superioris arctati (*a*) preceptis pro bono obedientie, omne rerum et personarum periculum contempserunt, sine culpa sua in carcere detinentur, non possumus non dolere, cum eorum afflictio ad universalem Ecclesiam per quemdam compassionis spiritum derivetur. Quis enim dolorem supprimere, quis gemitum occultare, quis lacrimas dissimulare valeat in hoc statu in quo dolet clerus, lamentatur religio, populus et nobilitas anxiantur? Non enim potest omnium merore non plangi, quod communiter medullitus omnes tangit. Igitur non immerito tacti dolore cordis intrinsecus ac graviter animo consternati pro eo quod in eorum afflictione in luctum conversus est chorus noster, ad excellentiam majestatis vestre clamare cogimur et pre nimia cordis amaritudine emittere ululatus; presertim cum pedes sanctorum, qui ad Evangelium Domini calceati esse debuerant, humilientur carceribus, et ipsi, quasi non essent uncti pontificali oleo, proh dolor! captiventur. Majestatem igitur imperialem tenore presentium rogamus,

(*a*) In codice *arcari*, sed potius *artati* pro *arctati*.

monemus et hortamur per viscera misericordie Jesu Christi, quatenus hoc prudentius sicut convenit attendentes, quam horrenda et quam abhominabilis Christi fidelibus videatur detentio predictorum, fame vestre et saluti anime, que temporalibus est omnibus preponenda, salubriter consulatis, ipsos, immo Christum in ipsis, quos constat apud Deum et homines propter hoc premiis dignos esse, restituendo divine pietatis intuitu libertati. Hoc enim potest esse viam reconciliationis ad matrem et ad Deum per consequens, quem in hoc graviter offendistis. Ex hoc etiam poterit relevari imperii vestri status, et acquiretur vobis titulus magne laudis et favor ad posteros vestros successores imperii derivandus. Moveant itaque clementiam vestram singultus et lacrime ecclesie Gallicane; moveant itaque imperialem mansuetudinem reverentia Jesu Christi et nihilominus justitie rectitudo, qua regum et principum solium roboratur. Stent etiam in conspectu conscientie vestre timor Domini, ignis gehenne, vite brevitas et incertitudines ejus finis, et super omnia timor tremendi judicii, in quo nec excusatio nec supplicatio locum sibi poterunt vendicare. Audite et exaudite benigne preces Ecclesie supplicantis. Si enim ad ipsius clamorem, quod absit, obturaveritis aures vestras, verendum est ne ipsius singultuose lacrime una cum compeditorum gemitibus Domini patientiam excitent ad vindictam, et devotio fidelium Ecclesie audita, quod non optamus, imperiali duritia, spiritu Domini excitata, cum membrorum suorum tam miserabilem lesionem sustinere non valeat, zelo sincero (?) accendatur ad tantam injuriam Dei et Ecclesie relevandam. Nam licet, peccatis exigentibus, Dominus (*a*) populo suo ad tempus videatur irasci, quantumcumque Petri navicula turbari dicatur, excitatus tamen Dominus clamore suorum iratus misericordie nunc recordabitur, et surgens ventis et mari pariter, cum sibi placuerit, imperabit, fietque magna tranquillitas, ita [ut] videntes divinam patientiam non mirentur. Proprium enim Ecclesie solet esse ut tunc vincat cum leditur et affligitur, tunc intelligat cum arguitur, tunc secura [sit] cum sola relinquitur, tunc obtineat cum superata videtur. Tempore enim diluvii, archa, per quam Dei Ecclesia

(*a*) Hic additur *papa*, quod sensum turbat.

designatur, inundationibus concussa, elevata est in sublime. Quare confidimus quod ille qui post nubilum dat serenum, inclitam sponsam suam succedentibus turbationum fluctibus agitatam oculo (a) clementiori ex alto respiciet, non ferens eam in sui nominis injuriam diutius conculcari. Utinam autem Deus omnipotens, in cujus manu sunt omnium corda regum et quo voluerit vertit, etiam ad faciendum quod petimus cor vestrum inclinet; in quo, si fiat, non minus honori et utilitati imperii provideatur quam saluti eorum qui tenentur captivi. Quia vero omnia que ad presens spectant negotium, non esset tutum vel facile litteris commendare, in ore viri venerabilis et discreti ac religiosi C., prioris Karitadensis (1), latoris presentium, de cujus discretione confidimus, posuimus verba nostra, cui, si placet, tamquam nobis benignam audientiam prebeatis.

[1241, anno exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, Benzlao (Boleslao) Silesiae duci rescribit quod gratanter litteras ejus acceperit, et si quae in imperio et regnis suis eidem grata resideant, ei libenter offert.

(Inedit. ex cod. univ. Breslaw., class. IV, nº 102, in cujus indice rubrica seu titulus epistolae ita exaratur: « *Fridericus Benczlao duci Silesie* (2) *rescribit quod littere sue impetraverint quod petebant.* »

Devotionis pure prenunciam et preconcepte puritatis interpretem benigne serenitas nostra recepit epistolam ex parte tua nostro culmini presentatam, que cum mittentis essentiam beneplacitis nostris exponeret, quondam ducis Henrici avi tui serenitatis indicium, cujus te semitas op-

(a) In codice *oleo*, male.

(1) Verisimiliter *la Charité-sur-Loire*, Benedictinorum prioratus.

(2) Hanc epistolam missam fuisse credimus Boleslao, cognomine Calvo, qui post mortem patris sui Henrici ducis Silesiae in conflictu contra Tartaros 9 aprilis 1241 occisi, in ducatum de Liegnitz successerat. Haec verba « in imperio et regnis nostris » optime Friderico secundo convenire videntur.

tulit exsecuturum ad memoriam recordationis nostre [revocaret] et benivolentie nostre clementiam, que te tanquam consanguinitate et affinitate sinceris affectibus amplexatur, satis sibi propiciam flagitaret, et epistola lecta (*a*) complacuit et legentis industriam tanto nobis (*sic*) circumspectam (*b*) quanto nostri honoris avidum te fore cognovimus, et devotionis avide propaginem transfusam perpendimus in nepotem. Ut sciat igitur se littera quod petiit impetrasse, scire te volumus quod tue circumspectionis ymaginem nostrarum cogitationum animo (?) conscripsimus et quasi presentem nostris aspectibus intuemur. Nuntios autem tuos, quos ut ad cesareas redeant relationes ad nostre majestatis potentiam asseris te missurum, tanto gratanter et honorifice proponimus recipere quanto personam transmittentis favore complectimur speciali. Si qua vero sunt in imperio et regnis nostris que tibi grata resideant, in gratie nostre fecunde presagium libenter offerimus, et oblata libentius operis exhibitione complebimus, cum super hiis imperatoriam requirere volueris majestatem.

Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis servitiis quae homines Tragurii, de partibus Dalmatiae ultra mare, sibi exhibuere studuerunt, eis concedit ut ubique per regnum Siciliae salvi et securi incedant in personis et rebus eorum. 29 decembris.

(Edit. ap. JOANN. LUCIUM, *De regno Dalmatiae et Croatiae*, lib. IV, p. 164, et ap. DUMONT, *Corps diplomat.*, tom. I, p. 179; ambo tamen quoad anni notationem attinet incerti.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis in regno Sicilie constitutis quibus presentes littere fuerint ostense, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Noverit universitas vestra quod nos benignius attendentes grata ser-

(*a*) In codice *legata*.
(*b*) In codice *circumscriptam*, et infra *circumscriptionis*, male.

vitia que universi homines Tragurii de partibus Dalmatie ultra mare, fideles amici nostri, nobis ad mandatum nostrum exhibere devotione solita studuerunt, concessimus eis ut ubique per regnum nostrum salvi et securi incedant in personis et rebus eorum. Quocirca fidelitati vestre mandamus atque precipimus quatenus ubicumque et apud quemcumque vestrorum aliquis hominum predictorum pervenerit, nullus vestrum presumat de eo . . . . ipsum tam in persona quam rebus suis offendere. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum.

Datum apud Sanctum Sal. . . . . L . . . . . . (1), XXIX decembris, XIIII indictionis.

Apud Chazma, 19 januarii 1242.

Bela, rex Hungariae, Dalmatiae, Chroatiae, etc., papae supplicat ut cum denuo ad ipsum fratres praedicatores pro negotio regni Hungariae nuntios mittat, ipse crucesignatos convocare velit qui Tartaros ultra Danubium in magnum totius christianitatis periculum transire prohibeant.

(Inedit. ex tertio rotulo Cluniacensi, nº 11, cujus copia a Lamberto de Barive exarata in Bibl. Cesar. Paris. asservatur.)

Sanctissimo in Christo patri ac domino . . . . (2), divina providentia

---

(1) Omni ope destituti qua numerum anni restituere possimus, ad ann. 1241 exeuntem mandatum reponendum esse non absonum arbitramur. Cum enim hoc tempore, licet de anno 1241 seu 1242 non bene constet, Iadrenses, Polenses, ceteraeque Dalmatiae civitates a Venetis defecerint, conjectari potest Fridericum imperatorem hanc defectionem rebus suis secundam plurimum adjuvisse. Qui quidem mense februario anni 1242, validam classem contra Venetos, teste Riccardo de Sancto Germano, comparari fecit. Unde notas chronologicas hujus documenti sic restituendas arbitrati sumus.

(2) Nomen papae seu littera hujus nominis initialis deest, dum rex Bela credere tunc temporis posset novum papam creandum fore, antequam sua Romam perveniret epistola, Sede Apostolica vacante scripta.

sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, B., eadem gratia Hungarie, Dalmatie, Choroatie, Rame, Servie, Gallitie Cumaneque rex, filialem in omnibus reverentiam ut debitam sic devotam. Summi Patris sapientia, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter, sponsam suam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, redemptam precioso suo sanguine quem de latere suo produxit in crucis patibulo, ad hoc super firmam petram fundare voluit, ne porte Inferi adversus eam prevalentes ipsam faciant ancillare, et specialiter solius Petri ac successorum ejus regimini committere, ut omnes qui se vere ejusdem Ecclesie profitentur filios, eidem tanquam membra capiti obediant ac utriusque hominis consolationem fiducialius recipiant tempore opportuno. Porro cum divina providentia, que in sui dispositione non fallitur, vos ad apicem hujus dignitatis elegerit nosque (*a*) recognoscamus omnes antecessores nostros et nosmetipsos fuisse semper et esse ejusdem Ecclesie obedientem filium et devotum (*sic*), specialem figentes in vobis spei anchoram, oppressi paganorum multitudine qui Tartaros se appellant hiis novissimis temporibus, nec valentes per nos et nostros eorum obviare conatibus, nisi freti vestro et Ecclesie ac catholicorum principum auxilio, Domino desuper adjuvante, misimus ad sedem Apostolicam primo venerabilem patrem episcopum Waciensem (1) pro tribulationibus Hungarie ac ecclesiarum Christi inibi existentium exterminio exponendis, secundo Lucam, prepositum Jeuriensis ecclesie, et Stephanum archidiaconum qui, ut intelleximus, sunt maris fluctibus prefocati. Ecce jam tertio misimus ad vestram paternitatem carissimos nostros fratres predicatores, latores presentium, de suorum voluntate et beneplacito prelatorum; supplicantes vestre paternitati quatenus ascendant ad cor vestre sanctitatis gemitus compeditorum, singultus merentium viduarum, pupillorum et orphanorum, maxime zelus Ecclesie cujus novella plantatio fuerat in Hungaria ne tam miserabiliter penitus extirpetur, milites qui sciant et

(*a*) In copia L. de Barive *vosque*.

(1) Cf. epistolam datam Zagrabiae (Agram) 18 maii 1241, ap. Fejer, *Cod. diplom. Hungar.*, pars IV, p. 214, et supra, *Histor. diplomat.*, t. V, p. 1141, 1142, 1150.

velint ac possint se murum pro domo Domini opponere una nobiscum et nostris, quorum adhnc provisione divina non modica superest multitudo, in Hungariam citius destinantes; presertim ne flumine Danubio transvadato per quod ipsorum transitum prepotens Dominus hactenus impedivit, nominis Christi memoria et nostrè corone gloria, quam nos et patres nostri de benedictione Romane Ecclesie tenuimus et tenemus, amodo deleatur (a), et eisdem via pateat liberior per diversas provincias undique discurrendi. Dicti siquidem nominis Christi blasphemi nostris terminis non contenti, parant omnia regna christianorum ferali immo furiali crudelitate invadere et ecclesias Dei subvertere, si sinantur. Rogamus igitur vestram sanctitatem quatinus apud Venetos, qui propter balistarios nobis plurimum essent necessarii, maxime ad transitum dicti fluminis observandum, et per alia regna catholicorum principum crucem predicari facientes, sollicitius eisdem significetis hec ipsa mala imminentia in opprobrium nominis christiani, exhortantes ac in remissionem peccaminum injungentes ut quilibet unanimiter communi utilitati Ecclesie et suis propriis negotiis consulentes, assumpto salutifere crucis signaculo, usque ad medium quadragesime manu armata in Hungariam accedere non omittant. Speramus enim firmiter, si sic super premissis vestra sanctitas vigilarit, de ipsis paganis Dei adjutorio triumphum victorie reportare. Ad hec, quoniam carissimis nostris fratribus etiam quarumdam ecclesiarum destructarum negotia, et nominatim Strigonensis, Coloensis et Jeuriensis, vestre paternitati deferenda commisimus, rogamus attentius quatinus ipsos in omnibus efficaciter dignemini exaudire.

Datum apud Chazma, XIIII kalendas februarii.

Apud Sanctonas, 17 junii et 5 julii 1242. Henricus, Angliae rex, Friderico Romanorum imperatori scribit et omnibus notum facit se Petrum de Burdigala et Bartholo–

(a) In copia L. de Barive *debeatur*.

meum Peche nuntios mittere cum potestate ineundi foedus inter se et imperatorem eumdem.

(Edit. sp. RYMER, *Foedera, litterae et acta publica*, t. I, p. 247. Cf. alteram epistolam quam supra edidimus, p. 52.)

Domino imperatori Henricus, Dei gratia rex Anglie, etc., salutem et fraterne dilectionis semper augmentum. Mittimus ad vos magistrum Petrum de Burdegala et Bartholomeum de Peche ad tractandum vobiscum super quibusdam articulis, de quibus aliquando per nuncios vestros tractatus habitus fuit nobiscum; serenitatem vestram rogantes quatenus super illis que ex parte nostra vobis exposuerint, fidem indubitatam adhibere velitis eisdem.

Teste rege apud Xanctonas, XVII die junii [anno XXVI].

Rex omnibus, etc., salutem. Sciatis quod plenam potestatem dedimus magistro Petro de Burdegala et Bartholomeo Peche vel alteri eorum, si ambo presentes non fuerint, ineundi fedus inter carissimum fratrem nostrum serenissimum principem Fredericum Romanorum imperatorem et nos : quod nos ipsum imperatorem juvare debeamus ad jura sua perquirenda contra omnes homines, et quod idem imperator vice versa juvare debeat nos ad jura nostra perquirenda contra omnes homines. In cujus rei testimonium, etc.

Teste rege apud Xanctonas, V die julii, per comitem Marchie, per comitem Flandrie et Hanonie et per comitem Ricardum.

Henricus, Angliae rex, Friderico imperatori conqueritur quod comes Tolosanus post foedus solemniter initum a fidelitate sua recesserit et regi Franciae adversario suo adhaeserit, supplicans quod sibi consilium praebeat opportunum et ultima verba Isa- Apud Burdegalam, 8 januarii 1243.

bellae imperatricis sororis suae ad memoriam revocare velit. De re eadem scribit quoque Petro de Vinea et Eymae de Gumpeis.

(Edit. ap. RYMER, *Foedera, litt. et acta publica*, t. I, p. 250.)

[Henricus rex] domino imperatori salutem et sincere dilectionis incrementum. Solatium nobis arbitramur et levius tangere nos videtur, si causas adversitatis nostre serenitati vestre communicamus; utpote qui de magnificentia vestra specialiter confidimus quod ex affectione fraterna nobis compati debeatis. Hinc est quod serenitati vestre cupimus innotescere quod cum nuper nos et R. comes Tholosanus consanguineus noster inter nos fedus speciale iniremus, et ita essemus ad invicem confederati quod alter alterum contra omnem hominem, vobis exceptis, totis viribus mutuo juvaret ad inimicos nostros gravandos et jura nostra communiter recuperanda, nec nos sine ipso aut ipse sine nobis pacem cum rege Francie aut treugam iniremus : quod quidem scripto et sacramento fuerat inter nos utrinque firmatum; idem comes, dum de ipso tanquam de nobis ipsis confideremus quod nobis nullatenus deesset, nobis inconsultis aut per ipsum non premunitis, tanquam fame sue prodigus et immemor juramenti nobis prestiti, dicto regi Francie adhesit, a fidelitate nostra penitus recedens. Hujus rei eventum, sicut nec seditionem nobis factam a proditoribus nostris Pictavie, imperialem celsitudinem latere nolumus sicut nec velle debuimus. Nos quidem nichilominus moram trahimus in partibus Wasconie, inimicis nostris gravandis sicut possumus insistentes et reformationi status nostri intendentes. Placeat igitur serenitati vestre tam ad casum presentem quam ad incommoda que nobis acciderunt per comitem Marchie et complices suos, diligenter respicere, et in nobis voluntatis vestre beneplacito omnino submissis consilium apponere, quod vobis ad gloriam et nobis, cui de jure deesse non debetis, cedat ad honorem. Velitis etiam verba felicis memorie Isabelle quondam imperatricis consortis vestre, sororis nostre, que ante obitum suum pro nobis ultimo vobis dixit, ad memoriam revocare et opere si placet adimplere. Super hiis et aliis beneplacitum vestrum nobis in omnibus placere cupientibus, rescribere dignemini.

Teste rege apud Burdegalam, octavo die januarii.

Rex magistro Petro de Vinea, magne imperialis aule judici, salutem. Scripsimus nuper domino vestro, sororio nostro carissimo, Frederico Dei gratia Romanorum imperatori, significantes ei seditionem nobis factam per comitem Marchie et complices suos, et eventus nostros dum essemus in Pictavia (1). Nunc vero levitatem, immo potius infidelitatem comitis Tholosani eidem domino vestro intimamus, qualiter idem comes, cum nuper inter nos fedus iniremus et ad invicem confederati fuissemus quod alter alterum totis viribus juvaret contra omnem viventem, excepto predicto domino vestro, nec nos sine ipso vel ipse sine nobis pacem vel treugam iniremus cum rege Francie; tandem nobis inconsultis et non premunitis, eidem regi adhesit, inter nos fedus non attendens, tanquam fame sue prodigus et juramenti nobis prestiti immemor effectus. Igitur vestram amicitiam rogamus attentius quatinus, juxta fiduciam quam de vobis reportamus, litteras nostras eidem domino vestro et statum nostrum diligenter exponere et penes ipsum commodum et honorem nostrum procurare velitis; ita quod diligentia vestra fructuosa nobis existat et ad grates inde vobis teneamur speciales.

Teste, *ut supra.*

Rex Eymae de Gumpeis salutem. Rogamus vos quod ad memoriam reducatis id de quo locuti fuimus ad invicem, presente dilecto avunculo nostro P. de Sabaudia; et de eo expediendo penes dominum imperatorem partes vestras et diligentiam quam poteritis interponatis; renunciantes nobis litteratorie per presentium latorem quid super hoc feceritis.

Teste, *ut supra.*

Henricus, rex Sardiniae, sacri imperii in Italia legatus, civibus Mantuanis mandat quod nuntios plena potestate suffultos ad se — Cremonae, 26 novembris 1243.

(1) Haec apud Rymerum epistola deest; quam alibi reperire non potuimus.

mittant qui coram se armorum suspensionem inter civitatem eorum et Veronam pertractent.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 275, n° 5, ex copia seculi XIII apud Mantuam.)

Datum Cremone, XXVI novembris, secunda indictione.

[Anno 1243 exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, [Henrico filio suo in Italia imperii legato] mandat quod inquisitionem fieri faciat de salario potestati Cesenae soluto, et partes ad imperialem curiam citare non omittat.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. V, cap. XLVI, coll. cum cod. Phillipps. ap. Middlehill et cod. Vespasian. Cotton. in Bibl. Mus. Britann.)

Fridericus, etc. Pro parte universitatis Cesene, nostrorum fidelium, nostre fuit celsitudini nuper oblata querela quod cum per te ipsum G. de . . . fidelis noster extiterit in ipsorum potestatem electus, deinde eodem G. amoto, alium eidem in ejusdem potestarie officio duxeris subrogandum, predicto G. primo electo pro rata temporis quo in eodem officio steterat, salario per ipsos, sicut dicunt, integre persoluto; tu ad ipsius G. postulationem, juris ordine non servato, potestati et ambasiatoribus civitatis illius mandasti ut eidem G. de toto salario, ipsi per totum annum primo statuto, satisfactionem integram facere non postponant. Asseritur etiam coram nobis per eosdem quod per literas tuas Thome de Materia (*a*), sacri imperii in Romaniola vicario generali, dudum dedisti firmiter in mandatis pro G. superius nominato, quod mandatum ipsum executioni debeat demandare, in eorum grave prejudicium et gravamen;

(*a*) In impresso *de Mar., etc.*; in cod. Phillipps., *Thoplemo de Marste;* in cod. vero Vespas. Bibl. Mus. Britann., recte, *Thome de Mater*, cum abbreviationis signo.

ex eo quod residuum salarium anni prefati alteri subrogato per ipsos extitit integre persolutum. Verum cum pro parte ipsius civitatis in nostre majestatis presentia proponatur se super eisdem gravaminibus a predicto mandato tuo ad nostram audientiam appellasse; devotioni tue precipiendo mandamus quatenus, si premissis veritas suffragatur, processum totum coram te habitum de predictis, sub tui impressione sigilli, nostre curie debeas destinare : eidem Thome nihilominus mandaturus ut alium processum questionis ejusdem, coram ipso habitum, si apud te non fuerit per eum videlicet ad tuam audientiam destinatum, similiter certo prefixo termino ad nostram curiam destinare procuret; utrique parti per te ipsum certo prefixo termino quo sub peremptorio se nostre curie representent, in causa eadem processuri, prout postulat ordo juris. Volumus etiam ut de die citationis et termino prefigendo tuis literis curiam nostram debeas edocere, et quod appellatione pendente, contra ipsam communitatem nullam facias vel fieri permittas quomodolibet novitatem, cum appellatione pendente nihil debeat innovari.

Fridericus, Romanorum imperator, pro fide et devotione Cremonensium, ratam habet et confirmat concessionem terrae Roncaroli, quam filius suus Henricus rex Sardiniae, imperii legatus in Italia generalis, eisdem jam fecit. Grosseti, Januario 1244.

(Edid. hujus privilegii italicam versionem Ant. Campo, *Histor. di Cremona*, p. 40. Licet originale non appareat vel saltem illud invenire non potuerimus, de ejus sinceritate nulla dubietas exoritur.)

Federigo, per gratia di Dio imperatore Romano, re di Gierusalemme e di Sicilia, etc. Risulta à gloria dell' Altezza imperiale il remunerare con favori degni et ampliare con doni di liberalità gratiosa la divotione de' fedeli, et allhora con maggior gloria vien essaltata la liberalità augusta, quando non per prieghi supplichevoli, ma per proprio moto si

recompensano i servigi e l'obedienza de' suoi fedeli. Noi dunque che tenemo nelle mani i freni del Romano imperio, mossi da questa consideratione, mentre vediamo la città de' Cremonesi nostri fedeli, capo e fondamento dell' imperio Romano in Italia, di fede e di obedienza esser la principale fra tutte l'altre fedeli dell' imperio, tenendo per fermo che quanto loro liberalmente doniamo, tutto ceda à nostro profitto, ratifichiamo e per special gratia della nostra liberalità confermiamo la concessione della terra di Roncarolo fatta alli già detti nostri fedeli Cremonesi dal diletto nostro figliuolo Arrigo, illustre rè di Sardegna e legato generale del sacro imperio in Italia, come piu amplamente appare nella scrittura a loro fatta dall' istesso rè nostro figliuolo. E per memoria e fermezza perpetua di questa nostra ratificatione e confermatione habbiamo fatto fare le presenti e fattole segnare col sigillo della maestà nostra.

Dato in Grossetto, [anno dominice incarnationis] M.CC.XLIII, in mese di gennaro.

Apud Aquampendentem, 14 martii 1244.

Fridericus, Romanorum imperator, universis hominibus Dalmatiae fidelibus suis mandat quod omni piratica in regnum suum Siciliae abstineant et damna ab eis in regnicolas illata integre restitui faciant.

(Inedit. ex originali in archivo Cesar. Vindob., cujus copiam nobiscum solita sua humanitate F. Boehmerus communicavit.)

Fridericus, Dei gracia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis hominibus Dalmacii, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Ex his que ad audientiam nostram de Apulie partibus fidelis relatio pertulit, de vobis ad nos turbacionis occasio cum ammiratione pervenit, dum pro fructibus devotionis et fidei quam majestati nostre debetis, aborsum opinionis bone, quam dudum de vobis conceperamus, offertis. Cum enim ex receptis a nobis humanitatis exemplis

et vestrorum obsidum datione, fideles nostri de regno fidem a vobis plene ac debite securitatis expectent, nonnulli ex vobis sub velamento fidelium per Apulie maritimam discurrentes, piraticam in regnicolas fideles nostros exercent, et quo magis movemur et dignins, vascella specialiter navigantia cum rebus nostris offendunt, mentitis in hiis victricium aquilarum nostrarum insigniis, ut navigantes intrepide dolosas ipsorum insidias non evertent (*sic*). Cum igitur, sicut pro certo tenemus, committi predicta non valeant, quin ipsis conniventia vestra vel consensus accedat, devotioni vestre mandamus quatinus infra duos menses a receptione presentium numerandos, dampna queque, que Ugo de Lilla magister procurator curie in Apulia, fidelis noster, per litteras suas vobis ascribet, nobis et regnicolis fidelibus nostris illata faciatis cnm omni integritate restitui. Scituri quod, si presenti mandato nostro non fuerit a vobis debita satisfactione provisum, fidelibus nostris et nobis digne mandabimus fore cautum.

Datum apud Aquampendentem, XIIII martii, secunde indictionis.

Henricus, rex Sardiniae, sacri imperii in Italia legatus, civibus Mantuanis mandat quod Rainerium de Moregnana captivum apud eos detentum liberum abire permittant. Cremonae. 29 junii 1244.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 275, n° 6, ex copia secult XIII, apud Mantuam.)

Datum Cremone, XXIX junii, secunda indictione.

Henricus, rex Sardiniae, sacri imperii in Italia legatus, civibus Mantuanis scribit quod Leonardum de Caserta in possessionem feudorum imperii eidem assignatorum inducant. Parmae. 1° octobris 1244.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 276, n° 7, ex copia sec. XIII, apud Mantuam.)

Datum Parme, primo octobris, indictione III.

Apud burgum Camberi, 24 novembris 1244.

Innocentius papa Wencezlaum regem Bohemiae liberat a quavis excommunicationis vel interdicti sententia in eum aut terram ejus promulganda.

(Cf. supra, p. 243; nunc sub integriore et rectiore forma documentum edimus ex originali in arch. capit. Wissegrad., ap. Erben, *Regest. Bohemiae*, pars I, p. 524.)

[Innocentius, etc., Wenceslao, etc.] Sincera devotio et inconcussa constantia, quibus circa Romanam Ecclesiam inter principes alios specialiter claruisse dinosceris, nos inducunt ut personam tuam favore apostolico multipliciter prosequentes, ipsam uberioris privilegio gratie honoremus. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati, excellentie tue, ut nullus Sedis apostolice delegatus, vel delegati subdelegatus ipsius, in personam excommunicationis aut in terras tuas interdicti sententiam valeat promulgare, auctoritate presentium indulgemus.

Datum apud Burgum Camberi in vallibus Maurianis, VIII kalendas decembris, pontificatus anno II.

Apud Ferentinum, 6 octobris 1244?

Fridericus, Romanorum imperator, officialibus et omnibus fidelibus suis per regnum Siciliae constitutis mandat ut abbatem

et conventum Sancti Modesti apud Beneventum in nullo indebite aggravent, sed in omnibus eorum juribus eos manuteneant.

(Edit. ap. Ughelli, *Ital. sacra*, t. VIII, p. 129, ex tabulario coenobii.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, comitibus, baronibus, magistris justiciariis, justitiariis, magistris camerariis, camerariis, bajulis, catapanis, comestabulis, castellanis, judicibus et universis suis fidelibus per regnum Sicilie constitutis, gratiam suam et bonam voluntatem. Ex querela venerabilis abbatis et conventus Sancti Modesti (1), fidelium nostrorum, nuper nostra serenitas intellexit quod vos eos in collectis, exactionibus et angariis. . . . . . . procurationibus, trahendo in civilibus et secularibus ad judicium seculare, nec non et aliis multipliciter offenditis et gravatis, quod tantum nostre displicet pietati quanto abbatem et monachos et monasterium ipsum in suis libertatibus et rationibus volumus conservari. Verum quia ejus intuitu per quem feliciter vivimus et regnamus, tam abbatem ipsos et monachos quam etiam dictum monasterium cum obedientiis, hominibus et omnibus bonis suis manutenere volumus et favere, nec pati possumus vel debemus quod a nobis vel officialibus ut supra, fidelibus nostris (*sic*), debeant molestari, quos tenemur in propriis libertatibus et honoribus et ex commisso nobis regimine conservare, fidelitati vestre, sub pena amissionis gratie nostre, districte precipiendo mandamus quatenus tam abbatem et monachos memoratos quam monasterium ipsum, obedientias, homines et omnia bona sua in nullo indebite aggravantes (*a*), immunitates quas tempore regni Guillelmi II, consobrini nostri, habere consuevit (*sic*) eis integre conservetis, et in omnibus judiciis et juribus suis sic manuteneatis eosdem quod in nullo de cetero se sentiant gravatos, et nos devotionem vestram amplius commendemus. Nos enim tanto eos in omnibus volumus

(*a*) In impresso hic irrepsit *et*, quod abundat.

(1) Monasterium apud Beneventum situm. Unde conjectari licet has litteras post Beneventi expugnationem scriptas fuisse.

protegere et in suis rationibus specialiter conservare, quanto nos divina clementia pre aliis omnibus principibus exaltavit.

Datum apud Ferentinum, VI mensis octobris, indictione X (1).

[1244 anno exeunte.] Henricus, rex Cypri, [Friderico Romanorum imperatori] scribit de lacrymabilibus Terrae Sanctae eventibus, requirens ut de prosperis suis rescribere velit.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindobon. *Philologus* dicto, n° 383, fol. 22 verso.)

Excellentissimo, etc., Cypri rex, etc. Quoniam continuis desideriis affectamus audire votivos successus magnifici status vestri, cujus prosperitas ad magnam indubitanter consolationem cederet lacrymabilium eventuum Terre Sancte (2), imperialem excellentiam vestram affectu quo possumus imploramus quatenus prosperos rerum que circa vos aguntur eventus, quos indesinentibus optamus prospicere incrementis, nobis sepius per desiderabiles vestras litteras significare velitis, vestra beneplacita et mandata fiducialiter injungentes; scientes quod in confectione presentium plena vigebamus per Dei gratiam corporis sospitate; hoc idem affectuose de vestra magnificentia desiderantes audire et affectuosius, si possibile foret, corporalibus oculis intueri. Statum vero Terre

---

(1) Indictio III esse deberet quae anno 1244 conveniat. Quum vero nota chronologica quae ad annum 1221 vel 1236 se refert admitti non possit, annum 1244 non sine dubitatione proponimus, quo tempore mense octobri Fridericus imperator in Capitanata morabatur. Ferentinum enim credimus esse locum qui dicitur quoque Florentinum juxta Luceriam. Referre tamen licet ad ann. 1241, quo etiam mense octobri Fridericus in Apuliam rediit.

(2) De excidio Jerusalem, Kharismiorum invasione et clade christianorum apud Gazam nunc agi arbitramur, praecipue cum nuntius A. hunc esse videatur Arnulphum cujus mentio fit in epistola praelatorum Terrae Sanctae, ap. Matt. Paris, p. 428. Ad annum 1247 vel 1248, has litteras reponendas censuit De Mas Latrie, *Hist. de Chypre*, Docum., t. I, p. 37, hoc caussatus quod post annum 1233 rex Cypri nullum cum imperatore Friderico commercium habuerit. Rem tamen adhuc in ambiguo habemus.

Sancte prefate et ea que nnnc sunt ibi nova per A. majestatis vestre imperialis magnificentia scire et intelligere poterit, et quedam que sibi injunximus proponenda.

Fridericus, Romanorum imperator, universitatem hominum castri de Colle sub sua et imperii protectione recipit, eisque bonos usus et approbatas consuetudines confirmat. Grosseti, Januario 1246.

(Inedit. ex originali in arch. diplomat. Florent., cujus nobis cl. vir F. Boehmerus copiam fecit. Hujus privilegii argumentum tantummodo exhibuimus. Vid. supra, p. 385.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris, quod universitas castri de Colle, fideles nostri, majestati nostre humiliter supplicarunt ut tam ipsos quam possessiones et bona eorum, que nunc tenent et possident, et in antea justo titulo poterint adipisci, sub nostra et imperii protectione recipere, et confirmare eis omnes bonos usus et approbatas consuetudines quibus temporibus divorum augustorum avi et patris nostri memorie recolende usque nunc usi fuisse noscuntur, de nostra gratia dignaremur. Nos itaque, attendentes fidem puram et devotionem sinceram hominum dicti castri, pro gratis quoque servitiis que nobis et imperio exhibuerunt hactenus fideliter et devote et que exhibere poterunt in antea gratiora, ipsorum supplicationibus benignius inclinati, predictam universitatem et homines dicti castri de Colle, fideles nostros, cum possessionibus et bonis eorum omnibus, que nunc tenent et possident et adipisci justo titulo poterunt in futurum, sub nostra et imperii protectione recepimus speciali, omnes bonos usus et approbatas consuetudines, quibus temporibus predictorum avi et patris nostri felicis memorie usque nunc nsi fuisse noscuntur, eis de nostra gratia confirmantes. Mandantes

etiam et imperiali sanctientes edicto, quatinus nullus sit qui predictam universitatem et homines, fideles nostros, in fide et devotione nostra et imperii persistentes, contra presentis protectionis et confirmationis nostre tenorem molestare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque protectionis et confirmationis nostre memoriam et robur valiturum, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Grosseti, anno dominico incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, mense januarii, quarte indictionis (1).

Apud Ciriacum, 27 januarii 1246.

Amedeus, comes Sabaudiae, ab imperatore Friderico arbiter constitutus, dat sententiam ut Bonifacius marchio Montisferrati promittat Henzio regi Sardiniae legato imperatoris se daturum milites et alia adjutoria imperatori contra rebelles Lombardos, donec arserit bellum et rebellio. Idem promittit marchio Salucensis et spondet Amedeus pro marchione Montisferrati, donec sit in concordia cum Astensibus; praesentibus Thoma de Sabaudia comite, P. de Plosascho et aliis.

(Memorat. et extr. ap. Wurstemberger, *Gesch. der Thom. von Sabaud.*, t. IV, p. 106, n° 192, ex Zibaldone Pingoniano.)

[Actum anno] M.CC.XLVI, januarii die XXVII, apud Ciriacum (2), in domo marchionis.

---

(1) In ora inferiori pergamenae legitur nomen *Philippus*, quod signum notarii repraesentare credimus. Cf. quod supra monuimus, p. 313, 329, et *Introduction*, p. CXXXV.

(2) Verisimiliter *Cherasco*, in partibus Pedemontis.

Nomina quorumdam baronum quorum castra fuerant infiscata [Ad ann. 1246.] pro eorum rebellione in Fridericum imperatorem, tempore expugnationis Capaccii.

(Edid. de Saint-Priest, *Hist. de Charles d'Anjou*, t. IV, p. 314, Append.)

Notamentum ex archivio regio Siciliae, Caesaris Pagani ex littera, ex libro inquisitionum Caroli primi pro feudatariis regni (1269), apud Johannem de Florio, archivarium regiae camerae, pro rebellione Capudacii.

. . . .

Domino Ligorio Caraczulo et uxori sue fuit restitutum a domino rege castrum Pissote, quod fuit quondam Bartholomei de Alicio, patris dicte uxoris sue : qui Bartholomeus fuit exul *tempore rebellionis Capudacii* et fuit spoliatus ab imperatore Friderico, et dominus princeps Manfridus concessit ipsum castrum domino Amico, militi comitis Galvani, qui tenuit eumdem (*sic*) castrum usque ad adventum dicti domini regis.

Domino Henrico de Tanrasio fuit restitutum Tanrasium, Petra Accarda, Rocca Sancti Felicis, que princeps Manfridus concessit quondam comiti camerario.

Jacobo de Conturso et fratribus domini Philippi de Conturso fuit restituta medietas unius terre partis Contursi, quam tenuit comes Galvanus; alera pars fuit restituta Pandulfo . . . ., de qua fuerat spoliatus a Galvano.

Comiti Rogerio de Sancto Severino fuit restituta Rocca Alenti cum casalibus, quam imperator Fridericus concessit domino Guillelmo de Villano.

Pandulfus de Fasanella habet restitutionem baronie Fasanelle cum casalibus, quam tenuerunt tempore principis Manfridi dominus Princivallus et dominus Petrus de Potentia.

Roberto de Caiano, filio quondam Guillelmi, fuit restituta baronia Caiani; qui quondam Guillelmus rebellis fuit *tempore Caputacii*, et impe-

rator revocavit dictam baroniam, et princeps Manfridus concessit Joanni de Procida, et consistebat in Caiano, Sancto Angelo et Silvitella.

Domino Goffrido de Laviano fuit restitutum castrum Laviani, quod imperator Fridericus abstulit domino Odoni, patri dicti Goffridi, *in rebellione Caputacii*, et princeps Manfridus concessit domino Petro de Sancto Severo.

Riccardo, filio quondam magistri Rogerii de Camera, fuit restitutum castrum Fegore, quod tempore principis Manfridi tenuit Franciscus de Hermiterio, pro parte domine Sibilie, uxoris sue, que fuit uxor dicti magistri Rogerii.

Manerius de Baiano et Jacobus frater habent restitutionem castri Qualette, quod castrum tempore principis Manfredi tenuit comes Galvanus.

Domino Riccardo de Bisacciis fuit restituta Bisaccia, de qua fuit spoliatus ab imperatore Friderico, *tempore rebellionis Caputacii*, dominus Riccardus de Bisacciis, ejus avus, et fuit donata a principe Manfrido domino comiti Acerrano et postea domino Mattheo de Monticulo, et medietas casalis Sancti Leonardi et castrum Corbane in excambium castri Labelle, quod retinuit dominus rex Carolus primus; et fuit concessum ab imperatore Frederico domino Riccardo, avo domini Riccardi ut supra, et dominus Riccardus maritavit sororem suam tempore turbationis Corradini, sine licentia regis, et dedit in uxorem domino Mattheo de Monticulo, proditori regis, cum medietate Bisacciarum.

Domine Zaffredine, filie quondam Marini de Ebulo, et domino Thomasio de Aquino, ejus viro, fuit restitutum castrum Sancti Martini in valle Caudina cum casalibus, etc., etc.; quod castrum Sancti Martini fuit domini Marini de Ebulo, et princeps Manfridus fecit eum cecari et revocavit dictum castrum et concessit domino Corrado Capicio, et deinde fuit facta dicta restitutio dicte Zaffredine a Carolo primo; et dictus princeps fecit carcerare dominum Marinum et filium Riccardum in castro Sancte Marie [de] Monte, et fecit eos cecari, et mortui fuerunt; et dominus Marinus emit dictum castrum ab Adelagia, ejus uxore. Comitisse Casertane fuit restitutum castrum Montoris cum casalibus, quod erat pro medietate, tempore imperatoris Frederici, de demanio.

Domino Mattheo de Luciis restitutum castrum Lucii, casalia Piscarie et Modis et medietas casalis Ordicani, annui valoris unciarum XX cum juribus distinctis; que castra fuerunt confiscata occasione *conspirationis suprafate* per dominum Perrum, fratrem majorem dicti domini Matthei, qui captus fuit et missus in insulam Malte ubi mortuus fuit. Et ob dictam conspirationem imperator Fridericus capi fecit duas sorores domini Perri et eas comburi cum aliis pluribus apud Neapolim. — *Archiv. Neapolit.*, fascic. 46, fol. 123.

Fridericus, Romanorum imperator, civibus Urbeveteris nuntiat victoriam a se de rebellibus imperii reportatam. [1247 februario.]

(Ined. ex cod. Bibl. Athen. Taurin., D. 38 (784), fol. 69 verso.)

Fridericus imperator, etc. Quum gloriosi triumphi sublimitas fortune nostre participes equa sorte universos amplectitur, felicem exaustam de hostili bello victoriam ad vestram optamus notitiam pervenire, quod intrante februarii die VIIII°, ad furoris bellici vocem arma producuntur ad bellum, hostibus victricia vexilla minantur, et concertantium virtus unitur ad prelium, et assumpta victoriosa potenter audacia in hostes potenter insurgitur, impugnantur et expugnantur, et cedunt gladiis et recedunt, succumbunt, procumbunt, in prelio disparent, et solita usi confusione non parent; quare ad castra postmodum victoriosi redivimus, et ut ad glorie triumphalem montem amicorum universitas nostra conscenderet, carcere nostro castrali detentos, desperationi mortis addictos (*a*), longiorem amplius vite lineam non sperantes, pro mortuis dignos morte recepimus, et ut nobiliori palma glorie frueremur, pietatis arte moniti, merituris (*b*) vite lineam dedimus, et vinculis ferreis alligatos censuimus carceribus mancipandos. Igitur inexausta favente clementia, tripu-

(*a*) In codice *aditos*.

(*b*) Sic, sed forsitan *mori merituris*, seu potius *merito morituris*.

dium de tanta concessa exultatione festiva suscipite; arrideat Urbeveteris civitas (1), dentur manus ad celum, laudem corda concipiant, ora resonent, et gratias dignas digno Judici referamus, qui justitie defensores munitos justitia et pro justitia nos fecit esse victores.

Cremonae, 5 maii 1247.

Fridericus, Romanorum imperator, B. de Palude sacri imperii a Papia superius vicario mandat ut cives Papienses, si necesse fuerit, constringat ad censum per eos pro loco Besati monasterio Sancti Salvatoris de Papia debitum exsolvendum.

(Inedit. ex copia authentica de anno 1247, 11 maii apud Papiam, quam nobiscum communicavit cl. vir Boehmerus. Cf. argumentum quod supra dedimus, p. 532.)

Fridericus, Dei gracia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, B. (2) de Palude, sacri imperii de Papia superius vicario, fideli suo, gratiam suam et bonam voluntatem. Querelam venerabilis abbatis et conventus monasterii Sancti Salvatoris de Papia, nostrorum fidelium, recepimus continentem quod cum commune civitatis Papie occasione ficti pro loco Besati, territorio et aliis rebns ejusdem teneatur eis nomine dicti monasterii in certa pecunie quantitate, commune ipsum nedum eis pecuniam ipsam procurat exolvere, sed alias super summa pecnnie quam omni anno pro sue voluntatis arbitrio ab eis exactionis occasione requirit, ipsos plurimnm aggravat et molestat, recusans eam compensare in quantitate debiti supradicti. Propter quod damus potestati, conscilio et eidem communi Papiensi nostris litteris in mandatis, ut, si est ita, vel debitum predictum in quo predictis abbati et conventui

---

(1) Forsitan agitur de quadam victoria ab imperatore de Perusinis vel aliis rebellibus reportata, tempore quo a regno Siciliae ad partes Tusciae et Lombardiae iter faceret. Annus vero 1247 ad id optime convenit.

(2) Scilicet *Bonacursus*; littera initialis quae supra exaratur *P.* corrigenda est.

nomine supradicto commune predictum tenetur, ut justum est, exolvant eisdem, vel in summa ipsius pecunie, quam annuatim ab ipsis occasione exactionis requirunt, debeant compensare. Tibi vero mandamus quatinus, si premissa juxta mandatum nostrum adimplere neglexerint, tu ipsos ad ea complenda efficaciter moneas et inducas, et si expedierit, qua convenit districtione compellas.

Datum Cremone, V° madii, V° indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Vatacium Graecorum imperatorem acriter objurgat quod a foedere dilectionis consuetae defecerit, monens ut per semitas hujus erroris amplius ambulare dediscat. [Anno 1247.]

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindob. *Philologus* dicto, n° 305, fol. 102 verso, quibusdam mendarum quibus scatet ad meliorem sensum redactis.)

Fredericus, etc., Battacio Grecie, etc. Ex illa fidelitatis regula que de Grecorum actibus vulgo depromitur, ut tunicam induas veritatis, tuorum munimenta processuum argumentum tam efficax prebuerunt, dum de Grecorum stirpe progenitus, ne specialiter pereat quod generaliter predicatur, dilectionis fedus quod cum in instantia fratris inhereat, sine causa rationabili violans, roborate fidei mysterium, quod inter utrumque caritas communicata conjunxerat, variasti (1). Qualia ergo dilectionis indicia de te sumet extraneus, quod amicorum puritas fiducie sumat

---

(1) De tempore quo haec scribi potuerit epistola, non bene constat. Anno 1247, mense junio, Innocentius papa in Orientem fratrem Laurentium poenitentiarium suum misit, qui Graecos in unitatem Ecclesiae reduceret. Videsis RAYNALD., *Annal. Eccles.* ad ann. 1247, §§ XXX, XXXI et seqq. Friderico autem id valde displicuisse satis compertum habemus ex altera ejusdem ad Vatacium epistola quae supra, p. 775. Nomen vero fratris quo frequentius Vatacium nunc alloquitur, huic tempori potius convenire videtur quo matrimonium Vatacium inter et Friderici filiam nondum fuerat celebratum.

exemplum, si dilectio confisa confunditur, si processus contempnitur in amore continuus, si caritas aret solito viridis, si amicus amico (*a*) loquitur, si amor fervidus perpenditur viciatus? Suntne ista insignia que requiruntur in fratribus? Suntne ista misteria que puritas exigit in amicis? Hos forsan vetusta Grecorum et approbata sinceritas de arbore fidei fructus legavit ad posteros, ut tu, quem tanquam (*b*) successor ydoneus stipitem dediscere nescimus, ejusdem legis semitas imiteris. Recogita ergo, frater, et pensa quid feceris; cogita si gerere sic cnm amico te decuit, si de fratris amplexu sine justa causa sinum discutere civile vel utile videatur, ubi fratris presertim incorrupta serenitas ex amoris odore, quem caritas (?) in fratrem inseruit, eque dilectionis meritum expectabat. Revertere ergo ad primeve caritatis interulas, et cum satis per hujus semitas erroris incesseris, amplius ambulare desipias. Sic hactenus gessisse te pudeat, ac novum induas hominem qui reconciliationis virga (*c*) te corrigat, et cum per ingratitudinis (*d*) vicium in fratrem peccaveris, eneo dominationis (*e*) baculo te castiget.

[Anno 1247, exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, vicario seu capitaneo suo respondet, commendans eum de processu habito per eum circa civitatem Taurini, et mandat qualiter sit processurus de militibus jurisdictionis suae in equis et armis instruendis.

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. LXXXIIII, et lib. V, cap. CII.)

Consueta benignitate recepit excellentia nostra literas per te nostro culmini destinatas, et vidimus ipsarum continentiam diligenter. Super

(*a*) Sic; rectius tamen ut videtur, *inimico*.
(*b*) In codice *tutam quam* : quod omnino sensu caret.
(*c*) Ibidem *juga*.
(*d*) Ibidem *magnitudinis*.
(*e*) Ibidem *eneum donationis*. Credimus ad virgam aeneam alludi.

eo sane quod scripsisti te propter quedam diversimode intellecta de statu civitatis Thaurini (1), que tibi videbantur obliqua, cum magna militum et peditum comitiva, personaliter ad terram ipsam gressus tuos cum festinantia direxisse, et ibidem hinc inde diligenter exquisitis et caute que ad cautelam servitiorum nostrorum exquirenda pensasti, quosdam qui videbantur magis esse suspecti, per personas capi statuens, ipsos facias cum diligentia custodiri, tunm exinde studium et industriam evidentem, que circa nostre celsitudinis augmentum in his et aliis te apponere plene cognoscimus, non immerito commendamus. Verum cum tam propter rebellium nostrorum depressionem, ad quam efficacius inferendam te studiosum fore credimus et attentum, quam propter fidelium nostrorum salutarem defensionem, milites tue jurisdictionis dudum impositos equis et armis volumus esse munitos, ita quod per defectum armorum et equorum servitia nostra non remaneant imperfecta; devotioni tue precipiendo mandamus quatenus sic instanter procures et facias quod omnes tue jurisdictioni subjecti, qui equos retinere debent et arma, sint ipsis, ut convenit, sine mora qualibet preparati, ad nostrum servitium tecum laudabiliter processuri. Super aliis vero que scripsisti, celsitudo nostra providere curabit, prout honori nostro viderimus expedire. Tu autem in his et aliis servitiis nostris, et maxime circa diligentem custodiam civitatis Thaurini, taliter pervigil et studiosus intendas, quod ipsa operum patens efficacia in excellentie nostre oculis te juxta solitum commendabilem representet.

Fragmentum de rebellione et obsidione Parmae, ex scriptore coaevo. [1247-1248.]

(Excerptum e *F. Salimbeni Chronic.* in Bibl. Vaticana, n° 7260, 8° pergam., a fol. 288 recto col. 2 usque ad fol. 295 verso, omissis tantum locis qui non recte

(1) De rebellione sive motu civitatis Taurini, sub anno 1247, cf. *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 214, et quae nos ipsi monuimus, supra, p. 585 et not. 1.

ad narrationem pertinent. Hoc chronicon inter *Monumenta Placent. et Parmensia* recentius typis editum fuisse comperimus. Nondum tamen illud volumen ad manus nostras pervenit.)

Anno Domini 1247, pauci milites de Parma banniti imperatoris, qui habitabant Placentie et erant viri cordati, robusti et fortes, et ad bella doctissimi, et erant amaro animo tum quia domus eorum destructe in Parma, tum quia vita nequam hospitandi de domo in domum (erant enim exules et banniti, et habebant familiam grandem et modicam pecunie quantitatem, ex insperato enim exiverant de Parma ne involveret et caperet eos), venerunt de Placentia et intraverunt Parmam, et expulerunt partem imperatoris die XV intrante junio. Cum autem de Placentia pervenissent ad villam Nuceti, in quodam pinto (*a*) congregati et armati in equis, concionati sunt ibi et elegerunt dominum Ugonem de Sancto Vitale suum capitaneum et vexilliferum. Erat autem ibi dominus Ghibertus de Gente, magnus concionator et magnus prolocutor, qui ait : « Hic cum » inimicis nostris congrediamur; verum Dominum preponamus. » Dixit autem dominus Gerardus de Ancili : « Habeamus audaciam et simus » parati aut vivere (*b*) aut mori fortiter, et nullus retrocedat aut pavore » formidet. Dominus enim in fortibus dimicabit et auxilium suum vobis » de celo impendet. » Talibus igitur sermonibus animati, venerunt et fecerunt magnum prelium cum potestate et militibus Parme, ad Burghettum de Taro (*c*), et ibi interfecerunt potestatem Parme, scilicet dominum Henricum Testam de Aretio, qui fuit notus et amicus meus et omnes fratres minores intime diligebat, et militem suum similiter interfecerunt, et dominum Manfredum de Cornazano, et dominum Ugonem, dominum Magnarotti de Vincedominis, et plures alios. Et fuit ibi vulneratus dominus Bartholus Tabernerius, qui fugit ad Costam Mezanam cum quibusdam suis amicis. Et tunc Theutonici imperatoris dixerunt bannitis imperatoris : « Venite ad Parmam et capiatis civitatem secure, quia non « resistemus vobis. » Et incontinenti venerunt isti milites Parmenses ab

(*a*) Verosimiliter *prato*.
(*b*) Verosimiliter *vincere*.
(*c*) In codice *Tauro*, male.

imperatore banniti ad dictam civitatem, nemine contrastante, et eam ceperunt et tennerunt; et concilium et concionem congregaverunt Parmenses et elegerunt dominum Gerardum de Corigia in potestatem Parmensium; et hoc fuit die dominica XVI, intrante mense junii; et die lune tempestive dicti Parmenses miserunt ambaxadores communi Regii, dominum Armannum Scotum et alium cum eo, qui petebant captivos Parme sibi dari qui Regii detinebantur in vinculis. Et tunc dominus Bosus, potestas Reginus, noluit eos audire. Potuerunt autem isti forbanniti Parmam faciliter invadere et capere triplici ratione : prima quia rex Hentius, cui pater custodiam Parme commiserat, iverat cum Cremonensibus ad obsidendum quoddam castrum in episcopatu Brixiensi, quod dicebatur Quinzanum. Secunda ratio est quod imperator erat in quadam civitate Lombardie que appellatur Taurinum; ibat enim Lugdunum ut caperet cardinales et papam; et prout dicitur, aliquis promiserat Romanam curiam tradere in manus ipsius. Tertia ratio est quia dominus Bartholus Tavernerii illa die tradebat filiam suam, dominam Mariam, nuptui cuidam Brixiensi qui venerat Parmam pro ea; et illi qui occurrerunt Parmensibus venientibus in illo convivio comederant et vino et affluentissimis dapibus pleni erant; et surrexerunt a prandio et primo congressu credebant omnes involvere, et ideo, quia quasi ebrii erant, tam in Burgetto quam glarea fluminis Tauri (*sic*) fuerunt ab eis mortui et profligati. Quarta est quia Parmensis civitas undique erat aperta; nullam enim habebat clausuram. Quinta ratio est quia hi qui ad ingrediendum veniebant, occurrentibus cancellatis manibus signum crucis faciebant, dicentes : « Amore Dei et beate Virginis matris ejus, que in hac civitate est » domina nostra, placeat vobis ut redeamus ad civitatem nostram, quia » sine culpa fuimus expulsi et forbanniti, et cum omnium pace revertimur, » nec alicui aliquam injuriam facere intendimus. » Audientes hoc Parmenses, quia per stratam sine armis eis occurrerant, ad misericordiam flexi sunt propter humilitatem eorum, cognoscentes etiam quod pacifice veniebant, dixeruntque eis : « Ingredimini civitatem securi in nomine Domini, » quia etiam manus nostra vobiscum erit in omnibus istis. » Sexta ratio est quia hi qui in civitate erant non intromittebant se de negotiis istis,

quia nec cum istis qui venerant erant, nec pro imperatore pugnabant, sed sedebant trapezite sive campsores ad teloneum suum, et alii artiste non dimittebant propter hoc quin operarentur in stationibus suis, ac si nihil esset. Septima ratio est quia nobiles et potentes qui erant in civitate ex parte imperii, statim, relicta civitate, diffuderunt se per episcopatum ad castra in fortitudines suas, timentes eas amittere. Octava ratio est quia etiam Theutonici imperatoris audientes quia potestas Parme erat ab istis occisus, timentes mori, invitabant istos ut pacifice de civitate facerent quidquid vellent. Idem etiam fecerunt custodes Palatii communis et turris, quasi duo reges fuerunt dominus Henricus Testa, potestas Parme, et dominus Bartholus Tabernerius, qui pro imperatore erat capitaneus in Parma partis imperii. Nona ratio est quia maximum sperabant in hujusmodi adversis habere auxilium : primo a papa Innocentio quarto, qui multos propinquos et affines habebat in Parma, et quia Parma contra imperatorem, inimicum suum, pugnare volebat et jam inchoaverat pugnam; secundo a Gregorio de Montelongo, in Lombardia legato, qui Mediolani erat paratus venire cum domino Bernardo Rolandi Rubei de Parma, cognato domini pape Innocentii quarti, et cum Mediolanensibus quibuscum (?) mitteretur pro eis; tertio a Placentinis, etc. . . . .

Cum igitur audisset rex Hencius, qui cum Cremonensibus erat in obsidione Quinzani, quod forbanniti imperatoris patris sui qui habitabant Placentie, violenter Parmam intrassent, dissolute sunt manus ejus, et dimissa obsidione Quinzani, festinavit et venit tota nocte non cantando, sed sub silentio gemebundo, veluti cum exercitus post fugam solet reverti de bello. Habitabam tunc temporis in conventu Cremone, in ordine fratrum minorum, quia frater minor eram, et ideo optime cognovi hec omnia (1). Nam summo diluculo statim fuerunt Cremonenses cum rege Hencio in consilio congregati et usque ad altissimam tertiam illud consi-

(1) Noscimus ex ipso Salimbenii testimonio hunc virum relicta Cremona Parmam se contulisse cum jam obsidio incoepisset, et postea inde exiisse ut iret Lugdunum, ubi cum Papa quem anxium invenit, solus cum solo confabulatus est. Advenit autem Lugdunum in festo Omnium Sanctorum, hujus anni.

lium est protractum. Postmodo comederunt festinanter, et precedente carrotio, unanimiter sunt egressi. Non remansit in Cremona ex eis quisquam qui armatus posset incedere et in bello confligere. Et est in conscientia mea quod si sine mora Parmam venissent et viriliter dimicassent, absque dubio eam recuperassent, tum quia Parma totaliter undique erat aperta, nullam clausuram habens, tum quia nondum venerat eis auxilium, tum etiam quod illi qui erant in civitate prius indifferenter se habebant. Collocavit se rex Hentius cum exercitu Cremonensium juxta Tarum Mortuum et non venit ad Parmam, ut induceret Dominus super eos mala. Volebat enim ibi expectare quousque pater suus imperator veniret, qui erat in civitate Taurini. . . . . Porro Tarus Mortuus appellatur quedam aquarum congregatio que egreditur de Taro vivo, tempore quo superinundat, et facit congregationem aquarum ad modum lacus vel stagni. . . . . . . Cum autem rex Hencius ibidem cum Cremonensibus patris prestolaretur adventum, Parmensibus qui civitatem intraverant cotidie undique superveniebat auxilium; nam dominus Rizardus, comes Sancti Bonifacii, de Verona, strenuus miles et probus valde, quando Parma rebellavit imperatori, primus fuit qui Parmensibus dedit succursum, qui veniens per Guastallam cum multis armatis ingressus est Parmensium civitatem. Et Parmenses, hoc servitium cognoscentes, dederunt ei palatium imperatoris quod est in Arena ad inhabitandum, et dixerunt quod esset dominus cum suis ad custodiendam civitatem ex parte Reginorum. Sequenti die venit militia Placentinorum, et erant trecenti milites quoad equos et arma optime preparati. Hi fuerunt custodes civitatis in glarea fluminis Parme, interdum quando necesse erat armati sedendo in equis; et erat labor iste potius ad solatium quam ad gravedinem; aliis vero diebus et morabantur in hospitiis suis, et ibant per civitatem solatiando, quando volebant. Porro tertia die post introitum comitis Sancti Bonifacii venit dominus Gregorius de Montelongo, legatus domini pape, et dominus Bernardus Rolandi Rubei, cognatus domini Innocentii pape quarti cum mille militibus de Mediolano; et hi custodiebant civitatem versus montes in glarea fluminis Parme, quando necesse erat. Parmenses vero locaverunt se cum legato extra civitatem, in strata

que vadit ad Burgum Sancti Donini et fecerunt sibi foveam et palancatum, ut clausuram haberent propter timores hostiles. Imperator vero, furibundus et totus inflammatus ex ira propter illa que sibi acciderant, venit ad Parmam, et in contrata que dicitur Grola, in qua vinearum est multitudo, et ubi vinum nascitur bonum, et vinum terre illius optimum est, fecit fieri unam civitatem cum magnis foveis in circuitu quam etiam Victoriam appellavit in presagium futurorum; denarii vero monete Victorini dicebantur et major ecclesia Sanctus Victor. Erat ergo ibi Fridericus cum exercitu suo et rex Hencius cum exercitu Cremonensium. Et misit imperator omnibus amicis suis ut festinanter venirent ad adjutorium sibi dandum. Primus qui venit fuit dominus Ugo Boterius, civis Parmensis, domini Innocentii pape quarti ex sorore nepos, qui, cum tempore illo potestas Papiensium esset, cum omnibus Papiensibus venit qui ad bellum utiles videbantur. Non potuit papa istum suum nepotem nec precibus nec promissis ab amore Friderici divellere, et plus dilexit matrem istius quam alias suas sorores duas quas similiter habuerat maritatas in Parma. Post istum venit Icilinus de Romano, qui tunc temporis dominabatur in Marchia Trivisina, et maximum exercitum duxerat secum. Hic plus quam diabolus timebatur : pro nihilo enim habebat occidere homines, mulieres et parvulos. . . . . Porro post Icilinum in adjutorium Friderici venerunt multe gentes ut Regini, Mutinenses, qui erant in civitatibus suis pro imperio, Bergamenses etiam et alie civitates tam de Tuscia quam de Lombardia et aliis partibus mundi que cum Ecclesia non erant; et fuerunt cum eo et de Burgundia, et de Calabria, et de Apulia, et de Sicilia, et de Terra Laboris, et Greci, et Sarraceni de Nuceria, et fere ex omni natione que sub celo est, et factus est exercitus nimis grandis valde, circiter XXXVII [millia]. . . . . . (1). Cum tota gente sua non potuit occupare nisi illam stratam que vadit a Parma ad Burgum Sancti Donini : alia vero civitas nihil sentiebat de sua obsidione. Et cum disponeret imperator civitatem Parmensem totaliter destruere et eam transferre ad

(1) Habebat X millia militum cum innumerabili populo diversarum civitatum. (*Chronic. Parm.*, p. 772.)

Victoriam civitatem quam fecerat, atque in Parma destructa in signum rebellionis et sempiterni opprobrii et exempli, salem seminare in sterilitatis signum, cognoscentes hoc, mulieres Parmenses, maxime divites, nobiles et potentes, totaliter se contulerunt ad beatam Virginem deprecandam nt civitatem suam Parmam a Friderico et ab aliis inimicis penitus liberaret, eo quod nomen et vocabulum suum in matrice Ecclesia a Parmensibus in reverentia maxime habebatur. Et ut melius exaudirentur ab ipsa, fecerunt fieri unam civitatem totam argenteam, quam vidi, atque beate Virgini obtulerunt et donaverunt; et erant ibi majora et precipua edificia civitatis fabricata totaliter de argento. . . . .
Porro in illo meditulio temporis, antequam de Victoria civitate a Parmensibus victoria haberetur, exibant cotidie hinc et inde ad preliandum balestarii, arcarii sive sagittarii et fundibularii, et fiebat valida pugna, ut vidi oculis meis; sed et beruarii discurrebant qualibet die per episcopatum Parmensium, omnia depredando et comburendo, et idem faciebant illi de Parma Cremonensibus et Reginis. Mantuani etiam venerunt tempore illo et totum Casale Majus combusserunt, ut vidi oculis meis. Imperator vero qualibet mane veniebat cum suis et in glarea fluminis Parme decollabat tres vel quatuor vel etiam plures, sicut sibi videbatur, de Parmensibus et Mutinensibns et Reginis qui erant ex parte Ecclesie, quos habebat in vinculis, videntibus Parmensibus qui erant in civitate, ut tristitiam inde haberent. Et hoc fiebat in glarea fluminis Parme, versus montes, ultra pontem Domine Egidie, in loco qui dicitur Ridhuzanum (*sic*). Et tunc tota militia imperatoris ibi armata cum imperatore stabat, timens ne Parmenses cum suis qui intrinsecus e regione stabant armati, ad eos irrumperent. . . . . Multos innocentes mala morte occidit, quod patuit in domino Andrea de Trezo, qui fuit nobilis miles de Cremona, et in Conrado de Berceto, qui clericus erat et probus in armis, quos diversimode tormentavit et cum igne et aqua et suppliciis variis. Ducenti etiam milites, antequam Parma a Friderico recessisset, missi erant a Parmensibus Mutinam ut civitatem custodirent, quos Mutinenses, qui erant ex parte imperii, statim conclnserunt in carcere et posuerunt in vinculis, postquam audierunt Parmam ab imperio recessisse.

Idem fecerunt Regini de Parmensibus quos ob similem causam habebant. Pro his ergo militibus misit imperator et vinculavit eos in Victoria, et ex illis occidebat quando volebat, et maxime quando insultum faciebat contra Parmeusium civitatem verbis injuriosis et pugna, et male cedebat ei. . . . . . . Aliquando etiam aliqui milites de Marchia Anconitana deseruerunt exercitum imperatoris et fugiendo ingressi sunt Parmam, dicentes quod ex parte Ecclesie esse volebant, et fuerunt libenter et gratanter recepti; fecerunt autem hoc quia initio rebellionis Parme, imperator faciebat custodiri plures milites de Marchia Anconitana in civitate Cremone, aliquos in custodia publica, aliquos vero in aliqua domo libera, timens amittere Marchiam, et illis qui erant sine vinculis et in custodia libera incumbebat deterius signum, quamvis non cognosceretur ab eis. Venit ergo nuntius ex parte imperatoris qui dixit V militibus de Marchia qui erant Cremone in quadam domo et lavabant manus suas, volentes cenare, ut incontinenti sine mora ascenderent equos et cum eo ad imperatorem pariter irent. Cumque pervenissent ad quemdam campum qui est extra civitatem Cremone et appellatur Mosa, duxit eos ad locum suspendii et suspensi fuerunt, et dicebant carnifices « quia sic mandat imperator ut fiat, pro eo quod proditores estis. » Et tamen venerant in adjutorium ejus. Sequenti die venerunt fratres minores, et deposuerunt et sepelierunt eos, et vix potuerunt lupos abigere ne comederent eos dum adhuc in patibulis dependerent. Hec omnia vidi, quia Cremone habitabam tunc temporis similiter et in Parma. Longum esset referre de omnibus quos tempore illo ex parte Ecclesie interfecit et fecit interfici. Nam dominum Gerardum de Canale de Parma in Apuliam misit et fecit demergi in profundissimum mare cum mola asinaria ad collum ejus ligata; et tamen fuerat prius amicissimus ejus, et multas potestarias ab eo habuerat, et semper cum eo in exercitu foris Parmam mansit. Hoc solum suspicionis signum imperator habuit contra eum, quia turris ejus non destruebatur in Parma. Unde et dicebat ei imperator, quanquam sub falso et simulato ludo ridendo : « Multum diligunt nos Parmenses, domine Gerarde, quia » cum alia edificia destruant civitatis illorum qui ex parte imperii extite- » runt, nec turrim vestram destruxerunt adhuc nec palatium meum quod

» habeo in Arena. » Hoc dicendo yronice loquebatur; sed dominus Gerardus non intelligebat. Credebat enim quod omnia tempora equaliter currerent. Cum autem tempore illius obsidionis exivi de Parma ut irem in Franciam, transivi per Fontanam Latam que est villa in qua dominus Gerardus de Canali tunc temporis habitabat; et vidit me libenter et dixit mihi quia valde utilis erat Parmensibus qui habitabant in Parma; et ego dixi sibi : « Cum imperator sit in obsidione Parme, aut omnino sitis cum » eo aut cum Parmensibus qui in civitate morantur, et nolite claudicare » in duas partes, quia non expedit vobis. » Non audivit me et neglexit facere quod dixeram sibi, et ideo cum mola asinaria ad collum ejus ligata in profundum maris fuit submersus, ut superius dixi. Et nota quod dominus Bernardus Rolandi Rubei de Parma, qui fuit cognatus domini pape Innocentii quarti, habuit enim sororem pape uxorem, melius intellexit verbum imperatoris sibi metaforice dictum quam dominus Gerardus de Canali. Cum enim quadam die cum imperatore equitaret et equus suus cespitasset, dixit ei imperator : « Domine Bernarde, malum equum » habetis; sed spero et promitto vobis quod usque ad paucos dies dabo » vobis unum meliorem, qui non cespitabit. » Et intellexit dominus Bernardus quod de suspendio patibuli diceret sive furcarum, et inflammatum et indignatum est cor ejus contra imperatorem, et absentavit se ab eo. Porro dominus Bernardus compater fuit imperatoris et amicissimus valde et dilectus ab eo, et cum volebat ingredi ad eum, nulla erat ibi clausura; sed imperator nullius amicitiam conservare sciebat. . . . . Porro de domino Bernardo Rolandi Rubei sciendum est quod nunquam vidi hominem qui melius personam magni principis representaret, habebat enim apparentiam et existentiam; nam quando erat in bello armatus et cum clava ferrea hostes percutiebat, hinc inde sicut a facie diaboli, ita divertebantur et fugiebant ab eo.

Nunc ad Fridericum revertamur cujus afflictio et maledictio qua contra Parmam ex toto inflammatus exarsit, duravit a M. CC. XLVII exeunte junio usque ad M. CC. XLVIII duodecima die exeunte februario in die martis, in qua capta est Victoria civitas. Nam Parmenses et omnes milites et populares armati et preparati ad pugnam exiverunt de Parma

et mulieres eorum egresse sunt cum eis similiter et pueri et puelle, juvenes et virgines, senes cum junioribus, et violenter expulerunt imperatorem de Victoria et omnes suos milites et pedites, et multi fuerunt ibi mortui et multi capti et reducti in Parmam, et suos liberaverunt captivos quos imperator in Victoria in vinculis detinebat, et carrocium Cremonensium quod in Victoria erat in Parmam duxerunt et in Baptisterio honorifice posuerunt; sed hi qui Cremonenses non diligebant, ut Mediolanenses et Mantuani et alii plures quos Cremonenses aliquando offenderant, quando veniebant ad baptisterium videndum et videbant ibi inimicorum suorum carrocium, ornatum berte abstulerunt ut haberent pro reliquiis, dicebatur enim berta, sed rote remanserunt ibi tantummodo et lectus plaustri in pavimento Baptisterii, columna vero vexilli sive pertica erecta stabat ad murum. Item Parmenses abstulerunt imperatori totum thesaurum suum quem magnum habebat in auro et argento et lapidibus pretiosis, vasis et vestibus, et omnem ornatum et supellectilem suam habuerunt, et coronam imperii que erat magni ponderis et valoris et tota erat ex auro et lapidibus pretiosis intexta, multas habens imagines fabrefactas et elevatas. . . . . Quod quisquam rapere poterat suum erat, nec quisquam alteri audebat vel presumebat auferre, nec unum verbum contentionis seu injuriosum ibi fuit auditum. Coronam illam emerunt Parmenses ab illo concive suo et dederunt ei pro ea ducentas imperialium libras et unum casamentum prope ecclesiam Sancte Christine, ubi lavatorium equorum antiquitus fuerat. Et statuerunt ut quicumque de thesauris Victorie aliud habuisset, medietatem haberet et medietatem assignaret communi. Peculiaria quoque imperatoris que pertinebant ad bellum, ut papiliones et hujusmodi, habuit Gregorius de Montelongo legatus. Ymagines vero et reliquie quas imperator habebat, collocate sunt in sacrario sive sacristia majoris ecclesie Beate Virginis conservande. Duces fuerunt exercitus Gregorius de Montelongo vir sapiens et in multis expertus et Philippus Vicedominus civis Placentinus, homo strenuus et probus, tunc Parme civitatis potestas. . . . . Et nota quod de thesauris qui in Victoria sunt reperti, pauci remanserunt in Parma, quia mercatores de diversis partibus venientes emerunt eos et

habuerunt pro bono foro sive mercato et asportaverunt, videlicet vasa aurea et argentea, gemmas, uniones, margaritas, etc. . . . .
. . . .

Fridericus, Romanorum imperator, mandat comitibus et nobilibus regni Siciliae ut parent se ad procedendum armata manu contra rebelles imperii, nuntians victoriam de infidelibus in Marchia reportatam et captionem Civitatis Novae. [Aprili vel maio 1248.]

(Edit. in *Petri de Vin. epistol.*, lib. II, cap. XV; coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455; *fonds Notre-Dame*, n° 202; *anc. fonds latin*, 8567, 90, ubi rubrica : *Fredericus universitati Neapolis*, et cum codice Bibl. Vatic., n° 4957, ubi altera rubrica : *De recuperatione Civitatis Novae et captione multorum.*)

Quod cause nostre justiciam dispensatio superna respiciat, potestis evidentinm argumentorum experimento colligere; dum preter quamplures ex hostibus nostris qui diutius omnimodo non absque materialis gladii vibratione decertant (*a*), multi ex iis, ut culpas proprias penaliter doleant, in laquei nostri capturam miserabiliter incidunt, et nonnulli, quos emulorum interdum suggestio perniciosa subvertit, plenius estimantes misericordiam querere quam expectare judicium, ad sinum nostre potentie spontanei revertuntur. Scitis etenim qualiter hactenus aliqui Marchiani ad falsas suggestiones capitanei [Ecclesie] (1) et aliorum pseudoprophetarum evangelizantium verbum guerre, a fidei nostre gestibus impudenter erraverunt; et tamdiu passi sunt se hujus erroris

(*a*) In codice 202 *decipiunt*, neque clarius.

---

(1) Scilicet Hugolini de Novello qui una cum Pandolfo et Matthaeo de Fasanella et Jacobo de Morra, Siciliae forbannitis, Marchianos Ecclesiae adhaerentes sub auctoritate cardinalis Raynerii regebat.

obnmbratione deduci quousque superstitiones et vitia seductorum, qne diutius latere non poterant, evidenter cognoscere potuerunt. Nuper autem fortune nostre proprietas (que solet nobis placidius arridere dum provocat, et per sequentia signa placere gratatur, etiam cum ingratitudinis vitio quod promisit), quantumlibet visa sit hactenus tergum nobis aliquando vertere, faciem tamen hilarem jucundamque monstravit, dum major pars Marchie, sed Civitas Nova (1) precipue velut antesignaria prosiliens et exurgens, suggestorum detectis fraudibus et via cognita veritatis, ad fidei nostre cultum noviter redierunt. Et ut erroris preteriti vitium virtutis placita conversione redimerent, ad fidelitatis semitam redire nolentes inglorii, sed tumultuoso conflictu facto cum hostibus, in signum reprobate perfidie fidei sue constantiam experiri [volentes], multos de melioribus Bononiensibus et Romanis aliisque rebellibus et cum eis judicem generalem (a) Marchie, aliosque famosos viros nostri carceris excidiis aggregarunt. Ex quo fiducia nobis certa promittitur, quod tota provincia subsequenter ad fidem nostri culminis reducetur, si tamen partes illas, ut credimus, potenter et magnifice repetamus. Nolentes igitur oblatam quasi nobis ad oculum de hostium conculcatione victoriam negligenter abnuere, vos, quos laborum nostrorum et onerum expertes esse non sinimus, ad ipsius victorie participinm invitamus; fidelitati vestre mandantes quatenus ex sapore rumorum hujusmodi, non solum causam leticie, sed robur et animos assumentes, omnes et singuli ad requisitionem justiciarii regionis ipsius, vos armis et equis, prout magnificentius unumquemque decuerit, preparetis, ut in estate futura cum felici exercitu nostro ad obtinendum de hostium depressione trium-

(a) *Generalem* in cod. 455 deest.

(1) Ex litteris cardinalis Raynerii comperimus ante mensem maium 1248, Civitatem Novam in imperatoris partes se convertisse; quae datae fuerunt Racanati, idibus maii, pro communi Montiscosari adversus cives Civitatis Novae et Gibelinos forinsecos. Cf. Compagnoni, *Regg. Picen.*, pars I, p. 109. Marangoni in *Memor. di Civita Nova*, alteram epistolam ejusdem cardinalis memorat, datam Cinguli 2 julii 1248, qua liquet hanc urbem nondum ab imperatore defecisse: non enim ante mensem novembrem anni 1249 ad fidem Ecclesiae rediit.

phum sic potenter procedere valeatis quod ad retributionem munificam quam propter hec et alia vestre devotionis obsequia stabili mente concepimus, per efficaciam vestrorum operum libentius inducamur. Securos enim vos esse volumus quod, sicut vestrorum quemlibet in nostris servitiis vires et animos proprios exercere videbimus, sic et in quemlibet liberalitatis nostre dexteram proportionaliter extendemus.

Innocentius papa episcopis Ratisponensi et Missinensi mandat quod in magnates regni Bohemiae agere debeant qui, cruce contra Fridericum quondam imperatorem assumpta, ad partes ejus redierunt consiliumque et auxilium eidem conferunt. Si resipiscant, gratiam et favorem ex parte regis Bohemiae eis pollicetur; alioquin excommunicatione percellantur. Lugduni, 1° maii 1248.

(Edid. Mone, *Anzeiger*, 1838, p. 348, ex cod. Bibl. Vatican., n° 7188.)

Datum Lugduni, kalendis maii, anno pontificatus V (1).

Henricus, rex Sardiniae, sacri imperii in Italia legatus, B. de Palude, a Papia superius vicario imperii, querelam monasterii Sancti Salvatoris de Papia transmittit, qua conventus ab hominibus de Basereguccio et Frivonaria quorumdam datiorum solutionem requirit, monens quod super ista querela inquisitionem fieri faciat. Cremonae, 6 maii 1248.

(1) Adest altera Innocentii papae epistola, data Lugduni 22 aprilis 1249, ex qua discimus Premislaum Ottokarum, Wenceslai regis Bohemiae filium, in patrem insurrexisse et cum Conrado in regem Romanorum electo, duce Bavariae caeterisque Ecclesiae inimicis foedus iniisse.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 275, n° 10, ex copia authentica apud Papiam.)

Datum Cremone, VI maii, indictione VI.

Senis, 9 julii 1248. Fridericus de Antiochia, imperii in Tuscia vicarius generalis, confitetur se mercatoribus Senensibus tria millia marcarum argenti debere, ad quarum solutionem per amplum securitatis instrumentum se obligat.

(Edit. ap. Rena et Camici, *Serie de' vicar. in Toscana*, t. VI, p. 53.)

Actum Senis coram domino Ranuccio judice, Ranaldo de Bonensegne, domino Petro de Antiochia, Alexi marescalco domini regis, Ruscha Guidonis, etc., anno dominice incarnationis M. CC. XLVIII, IX julii, indictione VI

Lugduni, 24 septembris 1248. Innocentius papa episcopo Taurinensi mandat quod Mediolanenses, Januenses et Placentinos cogat ad mittendos Bonifacio marchioni Montisferrati milites et balistarios quos iste nobilis requirit.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, n° 4039, epist. 180.)

Datum Lugduni, VIII kalendas octobris, anno VI.

Aretii, 18 septembris 1250. Fridericus de Antiochia, imperii in Tuscia vicarius generalis,

potestati, consilio et communitati de Cortona mandat quod hominibus de Aretio justitiam exhibere non omittant.

(Edit. ap. Rena et Camici, *Serie de' vicar. in Toscana*, t. VI, p. 61.)

Datum Aretii, XVIII septembris, indictione IX.

Fridericus, Romanorum imperator, Vatacio seu Calojohanni, imperatori Graecorum illustri, commendat quemdam ut ei uxorem et filios remittere velit, vel eumdem in suam gratiam revocare. [Temporis incerti.]

(Edit. in *Petri de Vin. epist.*, lib. III, cap. XXIX; coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain Harlay*, n° 455, et *fonds Notre-Dame*, 202.)

Scire potest vestre sinceritatis integritas quod, cum inter nos et vos vigeat devotionis affectus, et vestri honoris augmenta non minus quam propria totis semper desideriis appetamus, ad nullius unquam supplicis movemur instantiam vobis preces vel scripta dirigere, per que forsitan vel fame vestre minorari preconia vel honoris vestri fastigio detrahi crederemus, utpote qui nostris auspiciis adjici ratione probabili reputamus quicquid de vestris eventibus de gremio prospere fortune succedit. Credentes igitur . . . . . fidelem nostrum dignum nostris apud vos precibus adjuvari, dum satis dudum vestris se asserit vacasse servitiis et vestram meruisse gratiam, rogati nuper attente pro eo, affectionem vestram requirimus fiducialiter et rogamus quatenus, si ejus penes vos merita nostro rogatui non obsistant, uxorem et filios quos in partibus ipsis habet, ad ipsum ad presens sine impedimento transfretare vestra serenitas patiatur; vel si forsan id exigente qualitate negocii voluntati vestre non consonat, eundem paratum vestris inherere servitiis, ne culpe sue gravitas aditum precludat venie et reconciliationis unguenta respuat post reatum, presentis nostre hortationis obtentu et nostri amoris intuitu, ad vestri favoris gratiam revocetis.

NOTITIA DOCUMENTORUM DE QUIBUS NON SAT BENE CONSTAT.

Robertus de Castillone anno Domini 1242 apud Timnium nonnulla jura Firmanae civitati concessit; inter quae etiam ne quis in littore maris a Potentia in Druentum auderet aedificare sine licentia Firmanorum, ut ex privilegio constat manu Nicolai de Monterano, quod servatur in archivo Firmano. *Fr. Adami de reb. gest. in civ. Firmana*, p. 17.

Invenio etiam in capibrevio ecclesiastico apud cancell. Reg. idem monasterium [de Fossa nova] fuisse auctum et ditatum quodam casali (quod hodie Palatium Adriani appellatur), aliisque praediis, ut in privilegio imperatoris Frederici II, dato anno salutis 1245, regni Siciliae anno 48, Jerusalem anno 22 (1), et quod a regibus Siciliae tam id monasterium quam hospitium sive rectoria Sanctae Mariae de Misericordia Panormi conferri soleret. Pirri, *Sicil. sacra*, t. I, p. 759.

« Les bourgeois de Toul se soulevèrent à l'exemple de ceux de Metz et de Verdun contre [leur évêque] Roger, et prétendirent que le gouvernement de la ville dépendoit immédiatement de l'empereur, et que l'évêque n'y pouvoit faire aucun règlement sans sa permission et leur avis. Ils envoièrent à Metz Némeric Barat, chevalier, qui étoit alors maître échevin de Toul, pour faire une ligue offensive et deffensive avec les Messins, et elle fut conclue l'an 1250 par Isambert Gromont, l'un des magistrats de Metz. Il y fut arrêté que les bourgeois des deux villes s'aideroient réciproquement contre leurs ennemis et surtout contre Guillaume, comte d'Hollande, qui vouloit disputer l'empire à Frédéric II. » Benoit, *Hist. ecclés. et polit. de la ville et du diocèse de Toul*, p. 446, 447.

(1) In hoc privilegio cujus aliam pleniorem reperire non potuimus mentionem, de abbatia Fossae Novae in dioecesi Terracinensi sita agebatur.

DOCUMENTA SUSPECTA SEU SPURIA.

Fridericus, Romanorum imperator, Matthaeo Vulpillae fideli suo casale Sabuchi in territorio Calatanisetlae, quod Alexander Vulpilla quondam a rege Guillelmo juniore acceperat, sub servitio unius militis in perpetuum confirmat. Foggiae, maio 1243.

(Edid. Mortillaro, *Elenco cronolog. delle ant. pergam. della chiesa della Magione*, p. 26. Sigilli avulsi fila serica tantummodo supersunt. Non ex ipsius chartae tenore, sed e notis chronologicis quae inter se non concordant et e titulo protonotarii Petro de Vinea attributo, quum non ante ann. 1247 hoc munus susceperit, documentum valde suspectum habemus.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens privilegium nostrum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod Mattheus Vulpilla filius quondam Philippi Vulpille, fidelis noster, majestati nostre humiliter supplicavit ut cum dominus rex Willelmus junior memorie recolende, karissimus consobrinus noster, dederit et concesserit Alexandro Vulpille avunculo suo quoddam casale quod dicitur Sabuchi, situm in territorio Calatanixette, sicut plene continetur in privilegio predicti domini regis Guillelmi confecto exinde Alexandro predicto et indulto, ut nostre majestati satis plane constitit, et casale ipsum teneat et possideat justo titulo, videlicet successive ex concessione prefati avunculi sui, casale predictum sibi et heredibus suis confirmare benignius dignaremur. Nos autem considerantes grata devotionis obsequia quod (*sic*) idem Matheus Vulpilla fidelis noster hactenus prestitit et prestat assidue majestati nostre et facere poterit (*a*) melius in futurum, suis supplicationibus inclinati, memoratum casale, prout in privilegio concessionis dicti domini regis plenius et apertius distinguitur, eidem Matheo Vulpille et suis

(*a*) In impresso *petit*.

heredibus in perpetuum de gratie nostre plenitudine ex certa nostra conscientia perpetuo confirmamus (*a*), salvo servitio quod proinde imperiali curie nostre debetur, videlicet unius militis equitis armati tam per se quam per suos heredes in perpetuum per tres menses continue infra regnum, cum necesse erit, salvo mandato et ordinatione nostra et heredum nostrorum. Ad tenoris (*sic*) autem confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens inde privilegium per Paulum de Hostinio notarium et fidelem nostrum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Fogie per manum magistri Petri de Vinea, imperialis aule prothonotarii et regni Sicilie logothete, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, mense madii, secunde indictionis (1), imperante domino Frederico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus vicesimo secundo, regni Jerusalem octavo decimo, regni vero Sicilie anno quadragesimo octavo, feliciter. Amen.

Parmae, 13 martii 1246.

Fridericus, Romanorum imperator, Bertholocto comiti palatino de Ripa insulae Suzariae et Bardinae, fideli suo, potestatem concedit spurios filios legitimandi, judices ordinarios et notarios ordinandi, etc., non obstante lege quae spurios legitimari nisi ex certa [imperiali] scientia non permittit.

(Memorat. et extr. ap. MURATORI, *Script. rer. Italic.*, t. XVI, p. 655, ex copia quadam notariali seculi XIV, apud Florentiam. Textum integrum nunc primum edimus ex arch. notar. Bononiae, regest. L 2, fol. 1 ad 5 verso, tran-

(*a*) In impresso *confirmantur*.

---

(1) Neque anno 1243 neque anno 1244, mense maio, apud Foggiam Fridericus commoratus est.

sumptum in notitia privilegiorum ab imperatoribus comitibus de Ripa insulae concessorum, mense septembri 1322 redacta : scilicet 1° ab Henrico sexto pro Veneroso filio Brandalisii comitis palatini de Venerosis de Ripa insulae Sucariae et Bardinae et quartae partis totius civitatis Veronae, datum Placentiae, anno 1195, IV kalendas junii, indictione XIII; 2° a Friderico nostro, quod infra; 3° ab Henrico septimo (de Luxemburgo) pro Brandalisio filio Bertholocti, datum Mediolani, anno 1311, II nonas martii, indictione IX. Qua crassa et imperita fraude privilegium sub nomine Friderici secundi publicatum fuerit fabricatum, demonstrare non opus est, dum res clara satis ad oculos appareat. Notandum est quod isto privilegio fictitio nisus alter Barthalottus anno 1333 spurios in Tuscia legitimare ausus fuerit, sicut id comperimus ex instrumento sincero quod in archivo monast. Montis Virginis, reg. X, fol. 18, 19, 20, asservatur.)

Hoc est exemplum cujusdam instrumenti publici et authentici continentis seriem, etc., privilegii a quondam domino Frederico, Romanorum imperatore, etc.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem et Scicilie rex. Ut singulorum animos ad fidelitatis nostre obsequia efficacius invitemus et fidelium mentes in fide efficiantur fortiores, merita (*a*) eorum quos jamdudum in agendis nostris et imperii invenimus et experti sumus omni studio exercitatos, honoribus et regiis beneficiis consuevimus promovere; inter quos nostrum fidelem et familiarem Bertholoctum comitem, filium Petri Venerosi comitis palatini de Ripa insule Sugçarie et Bardine, imperio fidelem nostreque majestatis devotum recognoscentes et omnimodo obsequiosum attendentes, de consuetudine benevolentie nostre largitate (*sic*) tamquam bene merito regia volentes respondere recompensatione, damus ei, filiis heredibus suis in perpetuum atque concedimus jure honorabilis feudi et investiture facultatem ac liberam potestatem ordinandi et faciendi filios legitimos qui non sunt legitimi et filios adoptivos et judices ordinarios (*b*) et notarios, et etiam accipere et elluere et extrahere duos homines condempnatos in persona et in pecu-

(*a*) In registro *mentis*.
(*b*) In registro *ordinandos*.

nia de banno et carceribus cujuslibet communis, civitatis vel castri ad voluntatem sui, sine contradictione vel molestatione alicujus persone, ubicumque fuerit per totum Romanum imperium, sine nostra nostrorumque successorum et aliquarum personarum contradictione, lege aliqua non obstante et illa precipue que legittimari spurios nisi ex certa scientia non permittit; ita quod quoscumque fecerit, possint succedere hereditati patris et omni alii suo juri tanquam veri et legittimi cives Romani, et omnia officia et judicatus et acta publica contractus conscribere atque conficere, et omnia facere et exercere que ad ipsa tabellionatus et judicatus officia de jure pertinere noscuntur, in quacumque parte fuerint imperii memorati, sicut a nobis sive nostra largitate dicta officia optineant, ut de penna et calamario et judicatu possit (*a*) et valeat investire eosdem; et a nostra curia ubicumque fuerit in victu et vestitu et nutrimento alimonias pro se suisque servitoribus et equis quotiescumque sibi placuerit condignis et sufficientibus accipere et quadraginta marchas boni et fini argenti omni anno pro adjuncta feudi suprascripti. Confirmamus etiam omnia privilegia a nostris predecessoribus eidem et antecessoribus suis jamdudum indulta, statuentes et firmiter precipientes ne aliqua omnimodo persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc nostre concessionis et confirmationis formam infringere vel ei ausu temerario debeat contraire. Quod qui facere attemptaverit aut aliquo modo contravenire presumpserit, mille trecentas libras puri auri componat, medietatem camere nostre aliamque medietatem injuriam passis soluturus. Ad cujus rei certam evidentiam, robur ac memoriam, hoc scriptum privilegium ei indulximus aurea bulla nostre majestatis communitum. Qui Bertholoctus de Ripa insule Suçarie et Bardine comes palatinus in Lombardia dicto domino Frederico secundo imperatori juravit fidelitatem contra omnem hominem de mundo, excepto dominum papam et Ecclesiam Romanam (*sic*), secundum quod in capitulis fidelitatis in omnibus et per omnia continetur, corporaliter ab ipso prestito sacramento eidem delato per me Conradum Metensem (*b*) episcopum, imperialis aule cancella-

(*a*) In registro *prosit*.

(*b*) In codice *Mathensem* sicut infra.

rium, vice domini Sigefredi Maguntini archiepiscopi tocius Germanie et Ytalie archicancellarii infrascripti.

Hujus rei testes sunt : Guttulanus dux de Graigonia, Robertus comes de Rudio, Guillelmus de Calvaria comes, Raymundus comes de Rudio, Ubertus Pelavixinus marchio, Boxius de Dovaria, Henricus de Lambertis de Ferraria, Ravenninus de Dovaria, Gandionus ejus frater, Aço marchio, Ugo Lupus, Anselmus de Stringut (*a*) regalis aule mariscalcus, Montelupus de Ulmeto, Yçilinus de Romano, Ubaldus de Carlaxariis de Lectobelano, Johannes et Albertus comites et fratres, et alii quamplures.

Signum manus Frederici secundi, imperatoris invictissimi. (*Monogramma.*)

Ego Corradus Mathensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Sigefredi Maguntini archiepiscopi tocius Germanie et Ytalie archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, indictione quarta, regnante domino Frederico secundo Romanorum imperatore gloriosissimo, anno et regni ejus vigesimo sexto, imperii vero vigesimo secundo, Hierusalem et Sicilie rege. . . . . primo.

Data Parme, III ydus marcii, per manus Henrici protonotarii imperialis aule.

Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo nono, indictione secunda, die vigesimo secundo intrante marcio, cum presens exemplum sumptum ex originali suo, publico videlicet et auctentico instrumento integro et incorrupto et in nulla sui parte vitioso et sine vituperatione aliqua apparente nec non sigillato sigillo aureo Cesareo pendente ad cordulam sericam, in cujus facie prima inserta majestas imperialis domini Friderici sedentis in throno et ramum lilii in destra manu habentis, ex alio vero latere scriptum est *Freder. D. grat. imper. Rom. et s. augustus*, ab infrascripto domino Thomaxio et infrascriptis testibus tabellionibus introspecto, considerato et viso, fuisset coram domino Anthonio

(*a*) Sic, pro *de Justingen*. Nomina vero testium foede mutila seu potius ad arbitrium fraudulenter composita, restituere supervacaneum arbitramur.)

de Fuxaraga potestate Bononie et domino Thomaxio de Casali Sichona ejus judice insinuatum legittime, et per me Lambertinum Gualandi notarium infrascriptum et alios scriptos notarios ad originale et authenticum suum diligenter et solemniter lectum et ascultatum et plene cum ipso originali per omnia concordare inventum, etc., etc.

Herbipoli, octobri 1216. Fridericus, Romanorum imperator, ad instantiam Philippi Ferrariensis episcopi, abbatem et conventum Sancti Bartholomaei extra muros Ferrariae sub sua protectione recipit, eisque privilegium quondam a Ludovico II praedecessore suo indultum confirmat.

(Edit. ap. UGHELLI, *Ital. sacra*, t. II, p. 543. Tenor chartae, quum agatur de Philippo Ferrariensi episcopo in Fridericum imperatorem infensissimo, locus dati documenti et nomen primi testis hoc documentum spurium, imo si fas est dicere spurissimum, esse demonstrant.)

In nomine sanctissime Trinitatis. Federicus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator et rex Sicilie semper augustus. Omnibus Christi fidelibus tam presentibus [quam futuris] notum esse volumus quatenus pro Dei amore animeque nostre remedio, ad instantiam venerabilis nobilisque viri Philippi Fontane Ferrariensis episcopi et apud majestatem nostram pro sancta Romana Sede fidelissimi legati, Ugonem Sancti Bartholomei extra muros Ferrarie religiosissimum abbatem suosque monachos et regulares personas necnon eorumdem bona omnia tam presentia quam futura sub nostra imperiali protectione et mundiburdio nostro recipere decrevimus. Sciant igitur universi fideles nostri qualiter monasterium supradictum, abbas, monachi et religiosi omnes inibi Deo servientes, cuncte eorum possessiones, terre, nemora, valles, piscationes, molendina et cetera omnia sub nostra in perpetuum manent defensione. Addentes insuper eodemmet Philippo humiliter sublimitatem nostram supplicante

quod privilegium quoddam a divo Ludovico II predecessore nostro quondam augustissimo imperatore eidem monasterio elargitum, nunc duximus specialiter confirmandum, prout de facto confirmamus nostraque imperiali auctoritate corroboramus. Nullus igitur dux, marchio, comes, vicecomes, sculdasius, castaldio, magna sive parva persona jamdictum monasterium, religiosos et suos successores eorumque bona molestare audeat, aut si detinet, in posterum libere et sine ulla contradictione reddat; alioquin nostram indignationem incursurum sciat. Nullus presentes monachos et futuros suorumque vasallos, commendatos, servos, ancillas, aldiones et cetera omnia disturbare et inquietare presumat, neque eos distringere, gravare aut angariare audeat, sed quiete et secure vivant. Qui autem proterva temeritate hoc facere tentaverit, sciat se compositurum, prout in supradicto privilegio dicitur, auri purissimi libras centum, medietatem camere nostre et alteram medietatem abbati et fratribus ejusdem sanctissimi monasterii per tempora successuris.

Hujus rei testes sunt : Henricus rex Romanorum electus, A. Coloniensis episcopus, N. dux Luneburgensis, comes Gofredus, et alii.

Quod ut perpetuam firmitatem habeat, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Actum Herbipoli feliciter, anno salutis nostre M. CC. XLVI, de mense octobris.

(Signum domini Friderici II, Romanorum imperatoris augusti et regis Sicilie.)

Fridericus, Romanorum imperator, ministerialibus et provincialibus de Styria renovat privilegium de libertatibus ab Ottokaro ultimo duce Styriae eisdem anno 1186, 17 augusti, indultum (1); Cremonae, 20 aprilis 1249.

(1) Ottokari diploma de quo non adest justa suspicandi causa extat ap. LUNIG, *Reichsarchiv*, t. VII, p. 140.

cujus privilegii executionem Ulrico de Wildonia fideli suo committit.

(Memorat. et extr. ap. CHMEL, *Geschichtforscher*, t. II, p. XXXVI, ex cod. mss. G. I, sec. XV, apud Gottweih. Eadem confirmatio extat quoque in cod. 247, *Histor.*, in Bibl. publ. Stuttgartensi. Illud quoque citavit MUCHAR, *Gesch. der Steiermark*, p. 219, ex Schrotter, *Gesch. von Oesterr.*, III, 50, fraudem non suspicatus, quae facile et quasi uno ictu oculorum deprehenditur.)

Testes sunt : Meinhardus comes Goritie, Peppe de Pekhach, Ezel de Trevisia, Wezel de Graz, Hertnidus de Pettau, Aschirnus de Varrin, [Ulricus de Wildonia], Ulricus de Tewino.

Datum anno Domini M. CC. XLIX, XII kalendas maii, in castro Cremone (*a*).

(*a*) In cod. Gottwic. *Gremons.*

FINIS.

INDEX DOCUMENTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE EXHIBENTUR SIVE MEMORANTUR.

1243		
[maio.]	. . . .	— Cuidam fideli suo scribit se ingenti exercitu collecto Romanis finibus insistere, sperans mox in Apostolica Sede antistitem instituendum esse qui pacem inter Ecclesiam et imperium reformet. 87
junio.	In castris in depopulatione Urbis.	— Ad supplicationem Latherii abbatis Sancti Salvatoris de Insula, privilegium huic monasterio ab Henrico imperatore patre suo 9 octobris 1191 indultum renovat et confirmat. 88
[junio ineunte.]	. . . .	— Constantinopolitano imperatori nuntiat se post liberationem Oddonis Sancti Nicolai in carcere Tulliano cardinalis clementiae suae cumulum imposuisse, episcopum Prenestinum adversarium suum absolvendo et dimittendo ad cardinales. 90
[junio.]	. . . .	— Scribit cuidam regi se Ottonem Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem liberavisse, necnon et episcopum Prenestinum licet imperialis honoris notissimum adversarium, orbitati Ecclesiae compatiendo. 93
[junio.]	. . . .	— Regi Franciae scribit quibus causis Romanorum possessiones anno praeterito et nuper vastaverit, et qualiter ad preces cardinalium discedens ab Urbe cum securitate de creatione novi pontificis, cardinales captivos caeterosque praelatos transalpinos liberaverit, etc. 95
[junio.]	. . . .	— Scribit universis fidelibus suis pro securo conductu Gualterii de Ocra notarii et capellani sui, quem ad Ludovicum Franciae regem nuntium mittit. 98, not. 1.
28 junii.	Beneventi.	— Notificat duci Brabantiae electionem Sinibaldi Sancti Laurentii in Lucina cardinalis in papam, speratque pacem inter imperium et Ecclesiam facilius fore reformandam. 99
30 junii.	Beneventi.	— Henrico marchioni Misnensi promittit quod si Henricus lantgravius Thuringiae avunculus ejus sine haerede filio praemori contigerit, ipsi marchioni jure feudali conferet duos ejusdem lantgravii principatus, scilicet lantgraviam Thuringiae et comitivam palatii Saxoniae. 100
26 julii.	Apud Beneventum.	— Innocentio papae scribit de ejus electione congaudens, mittitque legatos qui seipsum ad ejus beneplacita paratum, salvis jure et honore imperii, offerant. 104
augusto.	Ariani.	— Landolfo episcopo Wormatiensi, toti clero populoque hujus civitatis promittit quod si se cum Ecclesia Romana compositionem intre contigerit, ipsos ab eadem compositione non patietur excludi. 106
augusto.	Ariani.	— Civitatem Wormatiensem deputat ad celebrandas annua-

1243		
4 nov.	In castris ante Viterbium.	— Bensivegnae mercatori Florentino pro undecim millibus libris denariorum vendit ad duos annos argenteriam suam Monterii cum jure cudendi monetam, etc. 138
6 nov.	In castris ante Viterbium.	— Universis imperii fidelibus mandat ut Tebaldo de Padua ad Gualvanum Lanceam tunc potestatem Paduae eunti, securum conductum per unum mensem praebeant. 139
novemb.	[In castris ante Viterbium.]	— Guidoni Malaboccae et ejus fratribus investituram confert de Bagnacavallo, Cotignola et aliis quibusdam terris in Romaniola sitis. 189
decemb.	In castris in obsidione Viterbii.	— Civitati Tuscanellae varia privilegia impertitur, inter quae jus utendi portu dicto *Delle Murelle* ad mare Tuscum, sine ullo datio imperiali curiae solvendo. 140
[dec.]	. . . . . .	— Cardinali Othoni scribit conquerendo de non observata pactione super facto Viterbii et indemnitate suorum, et nuntiat se cogi ad publicam notitiam totius rei seriem deferre. 141
[dec. exeunt.]	. . . . . .	— Regi Franciae et aliis regibus notum facit quae sibi in obsidione Viterbii contigerint, dum ad preces papae et cardinalium obsidione soluta, nec Viterbienses nec Romani fidem promissam observaverint, etc. 142
[dec. exeunt.]	. . . . . .	— Senatoribus et populo Romano improvidam eorum rebellionem exprobrat, inferendo eis graves minas dum Romam Romano imperio subjicere statuerit. 145
[anno exeunt.]	. . . . . .	— Regi Angliae scribit quod sibi mittat nuncios pro negotio pacis inter se et Ecclesiam inchoandae. 146
[anno exeunt.]	. . . . . .	— Scribit regi Cypri ut recommendatum habeat fratrem Heliam quem ad partes transmarinas missum in ejusdem regis curia aliquamdiu moraturum jussit. 147
[anno exeunt.]	. . . . . .	— Henrico filio suo in Italia imperii legato mandat quod inquisitionem fieri faciat de salario potestati Cesenae soluto, et partes ad imperialem curiam citare non omittat. 908
1244		
3 jan.	In ecclesia S. Lazari juxta Fulginium.	— In favorem hominum castri Plebis juxta Perusium fines territorii ad eos pertinentis describit, immunesque omni onere denuntiat a quocumque exigendo, praecipue ab Andrea et Uguccione de Piegario proditoribus suis. 148
januar.	. . . . . .	— Commune Imolense fideles suos sub sua speciali protectione recipit, ita ut comitatus et episcopatus Imolae in toto vel in parte nunquam Bononiensibus vel Faventinis vel aliis concedi valeat, sed in solo imperii dominio conservetur. 152
[januar.	Grosseti.]	— Pandulfo de Fasanella imperii in Tuscia capitaneo generali

1244		
		mandat ut de mercato ab hominibus castri Arcidossi in loco Malacdia instituto in praejudicium mercati quod monasterium Sancti Salvatoris de Monte Amiato apud Plebem de Amole antiquitus habet, inquisitionem fieri faciat. 154
januar.	Grosseti.	— Manuelem Guidi Bussae Senensem publicum imperii tabellionem constituit, et mandat ut omnes illi in hoc officio de cetero intendant. 156
januar.	Grosseti.	— Pro fide et devotione Cremonensium, ratam habet et confirmat concessionem terrae Roncaroli quam filius suus Henricus rex Sardiniae imperii legatus in Italia, eisdem jam fecit. 909
[januar.	Grosseti.]	— Novas constitutiones promulgat de officio magistri justitiarii et judicum magnae curiae, de litteris ab eadem curia impetrandis, de pronuntiatione sententiae infra decem dies, de emendatione oppressionum et de forma super debitis curiae observanda. 156
februar.	Grosseti.	— Heinrico Bambergensi electo ejusque ecclesiae hanc gratiam ab antiquo indultam confirmat ut omnes argentifodinae sive decimae subterraneae quae in terris ecclesiae repertae fuerint, ad ejusdem ecclesiae utilitatem cedant. 162
februar.	Grosseti.	— Sub sua et imperii protectione recipit Girardum Galfridi de Prata et consortes ejus fideles suos, eisque confirmat castrum de Prata, terras, argentifodinas et terras ubi argentifodinae sunt. 162
februar.	Grosseti.	— Hominibus castri Montis Politiani franchisias quibus tempore praedecessorum suorum uti consueverunt concedit, et specialiter facultatem cognoscendi de maleficiis in terra ipsa commissis. 164
[februar.	Grosseti.]	— Privilegium Friderici I avi sui datum 25 julii 1185 confirmat, quo Morianum et alia loca ad episcopatum Lucanum pertinentia sub protectione imperii recipiuntur, etc. 166
martio.	Apud Aquampendentem.	— Coenobio Monticellensi in Tuscia privilegium Friderici I avi sui, datum Florentiae 1° augusti 1185 et postea a patre suo Henrico VI confirmatum, ipse quoque confirmat. 166
martio.	Apud Aquampendentem.	— Johannem filium quondam Bonconsilii de Cortona publicum imperii tabellionem constituit. 167
[martio ineunte.]	. . . . . .	— Wormatiensem episcopum monet quod cum pacem inter se et Ecclesiam in proximo successuram speret, curiam solemnem apud Veronam indicere proponit, quo ipse cum aliis

1244		
		principibus pro arduis imperii negotiis venire non omittat. 168
12 mart.	Apud Aquampendentem.	— Petro de Vinea et Taddeo de Suessa, magnae curiae suae judicibus, tractatum et consummationem pacis inter Ecclesiam et imperium committit, et quicquid ipsi tractaverint a se ratum habendum pollicetur. 169
14 mart.	Apud Aquampendentem.	— Universis hominibus Dalmatiae fidelibus suis mandat quod omni piratica in regnum suum Siciliae abstineant et damna ab eis in regnicolas illata integre restitui faciant. 910
28 mart.	Apud Aquampendentem.	— Auditis quae per Petrum de Vinea magnae curiae suae judicem super forma pacis inter imperium et Ecclesiam in Romana curia tractata fuerunt, ipsi Petro et magistro Taddeo de Suessa consummationem negotii denuo committit. 170
28 mart.	Apud Aquampendentem.	— Raymundo comiti Tolosano magistrisque Petro de Vinea et Taddeo de Suessa potestatem concedit jurandi in anima sua quod stabit mandatis Ecclesiae super articulis pacis. 171
[aprili ineunte.]	. . . .	— Conrado filio suo notum facit pacem inter ipsum et Ecclesiam fuisse reformatam, eique mandat quod una cum principibus Germanis veniat ad curiam Veronae celebrandam. 176
aprili.	Apud Aquampendentem.	— Ad imitationem avi et patris sui imperatorum, hospitale de Altopassu in Tuscia cum omnibus ejus possessionibus sub sua speciali protectione recipit, et ab omni datia fratres servitio peregrinorum et infirmorum deditos eximit. 178
aprili.	Apud Aquampendentem.	— Ad supplicationem Ottonis de Flotowe, concedit ut si eum uxore et filia sua praemori contigerit, utraque successive feodum in Frisia (Friesland) situm ad vitam tantummodo detinere possit. 182
[aprili.]	Apud Aquampendentem.	— De consilio imperialis curiae decernit homines de Arquata ad civitatem Dertonensem pleno jure spectare et tanquam subditos eidem obedire debere, etc. 183
[circa april.]	. . . .	— Papae scribit quidquid in Urbe actum fuerit ad concitandos Romanos in offensionem Ecclesiae, contra conscientiam suam a quodam machinatore nequitiae fuisse attentatum. 186
18 april.	Apud Aquampendentem.	— Potestati et consilio Mantuae mandat quod servientibus suis in Alemanniam pro servitiis suis euntibus de securo conductu provideant. 189
maio.	Spoleti.	— Pro clarae devotionis obsequio hominum de Eugubio, eis castrum Cantiani et Costacciari cum pertinentiis suis concedit, dando eis licentiam castro ipso utendi tam in curia quam in hominibus. 191

1245		tulit, ad eum mittere magistrum Theutonicorum de bono pacis et negotio Terrae Sanctae tractaturum.	266
[martio circiter.]	. . . .	— Angliae regi congaudet de nato ipsi altero filio.	267
maio.	Pisis.	— Thomasinum de Cortona filium quondam Bolemontis publicum imperii tabellionem constituit.	273
[maio.]	. . . .	— Duci Austriae grates agit de proposito curiae apud Villacum ineundae sibi transmisso; sed cum sine rerum suarum dispendio a Lombardia elongari non possit, mandat ut ad se in Italiam cum nepte ipsius, futura consorte sua, caeterisque principibus veniat.	274
[junio ineunte.]	. . . .	— Ecclesiae Romanae cardinalibus scribit se ad eorum praesentiam fideles suos destinare, concessa eisdem plenaria potestate ut ab iniquo processu quem contra se summus pontifex exercere molitur, ad Deum, ad futurum papam, ad generalem synodum, etc., libere valeant appellare.	276
junio.	Veronae.	— Privilegium ab avo suo Friderico primo, 17 decembris 1156, Heinrico duci Austriae concessum renovat et confirmat, quo marchia Austriae in ducatum commutatur, haereditas in ducatu ad filios et filias devolvitur, etc.	291
junio.	Veronae.	— Amplissimum privilegium ab avo suo Friderico primo, 17 septembris 1156, Heinrico duci Austriae quondam concessum confirmat, de erectione marchionatus in ducatum, de successione masculis deficientibus seniori filiae deferenda, de exemptione ab omnibus subsidiis imperio praestandis, etc.	294
[junio.	Veronae.]	— Fridericum ducem Austriae de duce promovet in regem, cum amplissimis privilegiis, conceditque ut de provincia Carniolae ducatum faciat immediate ipsi et per ipsum imperio responsurum.	300
junio.	Veronae.	— Ad supplicationem Henrici de Hohenlohe magistri domus Sanctae Mariae Theutonicorum, omnes terras quas in partibus Curlandiae, Letowiae et Semigalliae conquirere poterit, ei concedit, cum regalibus quae ad imperium pertinent juribus exercendis.	303
junio.	Veronae.	— Ad supplicationem Henrici de Hohenlohe, etc., compositionis pactum inter Johannem Lausanensem electum et domum Theutonicorum anno 1243 initum super ecclesia Chunicensi, confirmat.	306
junio.	Veronae.	— Civitatem Bambergensem ad nundinas universales annua-	

1243		
		tim in kalendis maii et per tres septimanas sequentes celebrandas designat, omuesqne mercatores illnc venientes sub suo et imperii ducatu vult esse securos. 309
junio.	Veronae.	— Jacobnm filinm quondam Salinguerrae de Ferraria investit de Carpineta et aliis curiis in Regino, Mutinensi et Bononiensi episcopatibus sitis, cum omnibus juribus quae idem Salinguerra juste tennit. 310
18 junii.	Veronae.	— Philippo de Brundusio judici in vicariatu Panduifi de Fasanella mandat ut in lite inter abbatem Sancti Salvatoris de Monte Amiato et Bonagratiam Petri et Friderici de Senis procuratorem, iterum testes prodncendos audiat. 311
julio.	Veronae.	— Gotfridum et Conradum fratres de Hohenlohe certos facit quod nunquam eos gravabit in castro de Schipphe et pertinentiis ejus, quae Lndewicus de Schipphe per Anstriae ducem in gratiam snam reformatns eisdem pro emenda per manus suas contradidit. 312
julio.	Veronae.	— Ad snpplicationem civium de Oppenheim fidelium suorum concedit ut nullus eorum occasione duelli evocari vel extra civitatem super qnacumque causa trahi possit ad judicium. 313
jnlio.	Veronae.	— Uuiversis castrensibns de Oppenheim concedit nt ea quae pro se et haeredibus suis in eodem castro construxerint, ad ipsos haeredes feodi titulo transeant. 314
julio.	Veronae.	— Civitatem Spirensem ad generales nnndinas in festo sanctorum Simonis et Judae nsqne ad quindecim dies celebrandas deputat, omnesque mercatores illnc venientes sub imperii ducatu vult esse securos. 314
julio.	Veronae.	— Compositionem inter Meinhardum comitem de Gorizia et communitatem hominum Portus Latisani super eorumdem libertate initam confirmat. 315
8 julii.	Veronae.	— Ad supplicationes civinm Wormaciensium, promittit qnod tam clericos quam laicos Wormatiae in compositione assumet quam factnrus est sive cum Ecclesia Romana sive cum archiepiscopo Maguntino. 315
julio.	Taurini.	— Ad instantiam Margaretae Flandriae et Hannoniae comitissae, per procuratores ejus recepto juramento, eam de feudis comitatns Namurcensis et partis Flandriae citra Scaldim cum quatuor ministeriis, terra de Aiost et insulis investit, etc. 327
jnlio.	Taurini.	— Bonifacio marchioni Montisferrati omnes offensas remittit,

Innocentius IV, summus pontifex :

Conradus (IV) in Romanorum regem electus et haeres regni Jerosolymitani :

1241		
octobri.	Coloniae (?).	— Oppidum suum Duren pro decem millibus marcarum argenti Willelmo comiti Juliacensi obligat, usquedum de praedictis marcis fuerit ei plenarie satisfactum. 824
1242		
januar.	Apud Rotenburg.	— Notificat imperii fidelibus homagium per Warnerum de Bolandia comitissae Lucemburgensi praestitum contra omnes, excepto imperatore et archiepiscopo Moguntinensi. 825
februar.	Apud Spiram.	— Officiatis et fidelibus imperii mandat ut juxta tenorem privilegiorum Friderici patris sui et aliorum imperatorum, cives Moguntinos exemptione novarum collectarum frui permittant. 826
1° mart.	Treviris.	— Pro solutione trecentarum librarum quas sibi Henricus praepositus de Pfalzel praestitit, ei tres Judaeos captos assignat, etc. 827
martio.	Apud Treverim.	— Abbatem et conventum Sancti Maximini apud Treverim sub sua et imperii protectione speciali recipit. 828
martio.	Apud Coloniam.	— Pro devotis servitiis Henrici Brabantiae ducis ei tria millia marcarum Coloniensis monetae in festo sancti Remigii proxime venturo persolvenda promittit. 829
1° maii.	Rotenburg.	— Consilio Heinrici lantgravii Thuringiae, procuratoris sui per Germaniam et aliorum, quemdam iniquum detentorem ecclesiae in Ellingen, Eystetensis diocesis, ab administratione istius ecclesiae amovet, etc. 830
2 maii.	Rotenburg.	— Notificat Gerardum de Sinzich rationem villicationis suae pro uno anno deposuisse, confiteturque se teneri eidem solvere octoginta octo marcas et dimidiam, etc. 832
maio.	Rotenburg.	— Civibus de Wetphlaria et de Frankenfurt jura, libertates, et consuetudines eorum tam antiquas quam novas confirmat. 834
31 maii.	Haguenau.	— Suarum primitias precum capitulo Hildesheimensis ecclesiae offert pro filio comitis Ludowici de Eberstein in canonicum recipiendo et de praebenda providendo. 836
21 junii.	Wissemburg.	— Civibus de Columbaria et Kaisersberg mandat ne abbatem et conventum de Paris in exactionibus aliquatenus molestent, cum idem conventus quadraginta carratas lapidum ad muniendas imperii civitates annuatim dare consueverit. 837
junio.	Haguenau.	— Privilegium ab imperatore patre suo hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum de bonis imperii feudalibus anno 1223 indultum, renovat et confirmat. 838
3 julii.	Haguenau.	— Johanni episcopo Mindensi concedit ut omnia officia ad

1242		episcopatum pertinentia ipsi de jure vacent, quatuor principalibus exceptis, potestatemque indulget duo oppida constituendi, etc. 839
14 julii.	Haguenau.	— Cives Trevirenses et Lubicenses cum personis et omnibus eorum bonis sub imperii et sua protectione recipit. 839 et 840, not. 1
27 julii.	In castris apud Wormatiam.	— Ad preces episcopi Wormatiensis, civibus Wormatiensibus indulget ut a theloneo *Ungelt* nuncupato quod apud Oppenheim ab eis recipi solebat, sint de cetero absoluti. 840
1243 15 jan.	Hallis.	— Gerardo de Sintzig mandat ut a Judaeis de Sintzig quingentas marcas pro curia sua extorqueat. 842
11 febr.	Haguenau.	— Per sententiam jubet ut quilibet infeudatus ecclesiae Salzburgensis sub testimonio infeudatorum hujus ecclesiae qui sint ejusdem conditionis, feudum suum evincere valeat. 843
martio.	Haginowe.	— Pro gratis servitiis Ottonis comitis de Ravensberg, facultatem ei concedit liberum forum apud Bugkio constituendi. 843
aprili.	Apud Rotinburg.	— Hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem jus patronatus ecclesiae Novae Civitatis apud Mulhausen pleno jure confert. 844
24 nov.	Apud Nuremberg.	— Testatur quod Heinricus Bambergensis electus villam de Urbach a Marquardo butiglario de Nurinberg cui per Bopponem quondam electum pro marcis ducentis fuerat obligata, pro centum libris redemit. 846
24 nov.	Apud Nuremberg.	— Testatur quod Heinricus Bambergensis electus curias et bona in Affholdere, Meingers, Bubenrode et Germanisdorf pro numerata pecunia redemit. 847
30 nov.	Apud Nuremberg.	— Custodiam castri Ascalonis cum pertinentiis ejus magistro et fratribus hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani commissam et alia omnia quae proinde de patris sui beneplacito processerunt, ex certa scientia sua confirmat. 848
decemb.	Apud Nuremberg.	— Confirmationem ab imperatore patre suo hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum indultam super commutatione bonorum inter Bertrandum Porcelet et fratres eosdem, renovat et confirmat. 849
decemb.	Apud Nuremberg.	— Privilegium ab imperatore patre suo et Isabella matre sua hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum indultum super variis possessionibus et juribus in Terra Sancta, renovat et confirmat. 850

1245		
julio.	Veronae.	— Gottofredam et Conradnm de Hohenlohe certos facit quod eos nullo unquam tempore gravabit super possessione castri Sciphe qaod Ludovicus de Sciphe eisdem pro emenda et satisfactinne contradidit. 861
1° aug.	Apud Taarinum.	— Magistro Friderico fabro imperatoris promittit quod custodiam forestae suae de Haginowe, quandocumque vacare contigerit, Diemaro ejasdem Friderici privigno liberaliter committet. 862
30 nov.	Apad Nuremberg.	— Exemptiones theloneí et passagii abbatiae Sanctae Mariae de Altenberg, jnxta privilegia eidem conventui a praedecessoribus sais indulta, in praesentia consiliariorum suorum confirmat. 863
1246		
23 jan.	Apad Spiram.	— Nntum facit quibus conditionibus tractatus amicabilis supervenerit de discordia qaae inter cives Wormacienses et Philippam de Hohenvels imperialis aulae camerarium vertebatur, etc. 865
27 mart.	Schaffusae.	— Sacerdntes et clericos omnes qui in celebratione divinorum civibus Ratisponensibus assistere voluerint, sub speciali saa et imperii protectione recipit, etc. 868
9 april.	Gmund.	— Ad supplicationem Gerchini de Sinzig castellani in Landscron, litteras Henrici qunndam Romanorum regis de jure patronatus in Konigsfeld, renovari et rescribi jubet. 869
maio.	Apud Esslingen.	— Jas advocatiae in Wetphiaria et jurisdictionem in Hittenberg auctoritate patris sui et sua Conrado et Widekindo de Merinberg possidenda concedit. 870
maio.	Apud Rotinburg.	— De auctoritate et mandato imperatoris patris sui, civibus de Frankenfurt omnem noxam et offeasam remittit quam in caedem et exterminium Judaeorum de Frankenfurt negligenter potius quam voluntarie commisisse videntur. 870
31 maii.	Apud Ulmam.	— Gerardo de Sintzig pro expensis castri Landscrone centum marcas promittit, pro quibus censns suos novos ultra Rhenum et nemas snnm de Hoevile titulo pignoris obligat. 871
9 junii.	Hallis.	— Gerhardo de Sintzig maadat ut Conrado de Brnneche fideli suo centum marcas de Judaeo quem tenet captivatnm, assignare non omittat. 872
sept.	Apud Augustam.	— Consorti suae Elisabeth filiae ducis Bavariae pro matutinali dono qaod dicitur Morgengab, donat terram suam de Moringen et totam contratam quae dicitur Hibisch cum omnibus pertinentiis. 875

1246		
sept.	Apud Augustam.	— Collationem per Ottonem comitem palatinum Reni ducem Bavariae, socerum suum, monasterio in Wezilsprunne super ecclesia de Phetin factam, ratam habet. 876
17 sept.	Trifels.	— Fatetur Isengardim Philippi de Falkenstein dapiferi sui conjugem sibi tradidisse castrum Trifels et insignia imperialia quae ibidem servabantur, cum multis sacris reliquiis, etc. 878
[sept.]	Spirae.	— Fatetur Isengardim Philippi de Falkenstein conjugem sibi tradidisse castra Trifels, Gutenburg, Falkenberg, Nicastel, et Spigelberg cum victualibus ibidem asservatis. 879
26 sept.	Apud Spiram.	— Cives Lubicenses fideles suos a jure thelonei quod ab eis in passagio apud Werdam requiri consuevit, usque ad quatuor annos completos eximit. 880
12 dec.	Aquis.	— Notum facit quod cum Wilhelmus comes Juliacensis sub cautione fidei suae promiserit terram imperatoris contra quemlibet defendere, ipse eidem comiti tria millia marcarum assignavit sub certis terminis persolvenda. 881
1247		
9 mart.	Apud Esslingen.	— Friderico comiti de Liningen villam Sancti Pauli prope Wissemburg et omnia feodalia quae quondam tenuit B. de Wedegienbert, concedit. 883
1248		
10 maii.	Augustae.	— Possessiones et jura omnia monasterii in Weingarten confirmat tum de jure censualium ejusdem ecclesiae, tum de jure super novalibus in sylva Altorfensi excultis. 884
1249		
27 febr.	Haguenau.	— Sculteto et civibus de Solodoro mandat quod praepositum et capitulum ecclesiae Solodorensis contra oppressiones quorumdam adversariorum tueantur. 885
augusto.	Apud Nuremberg.	— Pro gratis fidei meritis Rudolfi de Habsburg lantgravii Alsatiae, ei theloneum apud Freudenau concedit. 886
augusto.	Apud Nuremberg.	— Pro gratis fidei meritis ejusdem Rudolfi de Habsburg, ei theloneum inter colles et Rheni fluvium concedit. 886
. . . . .	Apud Nuremberg.	— Monasterium de Seligenpforten in sua protectione suscipit, mandatque butigiario et burgravio de Nuremberg ut eidem conventui ubi opus fuerit astare debeant. 887
1250		
martio.	Augustae.	— Monasterio in Pollingen usum nemoris dicti Aicholz prope Mozmul concedit. 888
martio.	Apud Nordlingen.	— Hospitale Sanctae Mariae in Nordlingen ab omnibus precariis, exactionibus et quibuslibet publicis servitiis curiae suae perpetuo eximit. 889
maio.	In castris prope	— Ludewico seniori comiti de Oettingen civitatem suam de Nordlingen titulo pignoris sub certo tempore obligat pro

DOCUMENTA VARIA AD RES GERMANICAS SPECTANTIA.

1249		que erit adjutor ad regnum Siciliae retinendum et defendendum. 692
24 febr.	In castris apud Ingelheim.	— Haereditatem Ottonis quondam Meraniae ducis ad Elisabeth burgravii Nurembergensis uxorem, alteram ejusdem ducis sororem, transfert. 657, not. 1.
1241		
1° dec.	. . . . . .	*Scabini et universitas civitatis Aquensis* cum Willelmo comite Juliacensi conveniunt quod idem comes ipsis feret auxilium et ipsi e converso eidem, cum omni potentia sua, in servitium Friderici imperatoris et Conradi filii ejus. 10
1242		
19 jan.	Apud Chazma.	*Bela, rex Hungariae, Dalmatiae, Chroatiae, etc.*, papae supplicat ut cum denuo ad ipsum fratres praedicatores pro negotio regni Hungariae nuntios mittat, ipse crucesignatos convocare velit qui Tartaros ultra Danubium in magnum totius christianitatis periculum transire prohibeant. 902
25 mart.	. . . . . .	*Landolfus Wormaciensis episcopus* civibus Wormaciensibus titulo feudi in perpetuum concedit advocatiam in Nouuenmunster, quam ab imperatore Friderico recuperavit. 86
1243		
11 sept.	. . . . . .	*Gernandus, burgravius Werdensis*, coenubium sanctimonialium in Duseren prope Dusburg fundatum auctoritate imperiali ad alium locum magis idoneum prope Ruram transfert, eisque mansum ibidem sub annuo censu excolendum donat. 122
1245		
1° april.	. . . . . .	*Praepositus, decanus et capitulum Leodiense* Friderico Romanorum imperatori supplicant ut cum terra Hannouiae post obitum Johannae comitissae Flandriae, nullo de corpore haerede relicto, ad ecclesiam Leodiensem sit de consuetudine devoluta, ipse eidem ecclesiae subvenire dignetur contra Margaretam ejusdem Johannae sororem, eamdem terram violenter invadentem. 269
1° sept.	Herbipoli.	*Philippus Ferrariensis electus, Apostolicae Sedis in Germania legatus*, Ulrico decano in Chambe scribit Fridericum imperatorem ab Innocentio papa in concilio fuisse depositum, etc., praecipitque ut ducem Bavariae et ejus uxorem fautores imperatoris publice excommunicet, etc. 346
1246		
13 aug.	Audernachen.	— Notum facit se sententiam suspensionis in praelatos inobedientes qui ad curiam Henrici regis venire renuerunt protulisse, eis praefixo termino quo in praesentia domini papae compareant. 449
[circa julium.]	. . . . . .	*Albertus de Beham, Pataviensis decanus*, e Romana curia ad ducem Bavariae instantia consilia transmittit ut ipsum re-

INDEX

NOMINUM ET PERSONARUM QUAE IN HOC SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

(Personae ad sua nomina, non ad cognomina disponuntur. Quando nomina seu initiales litterae defuerint, quaerendum ad litt. N.)

INDEX

LOCORUM SIVE GEOGRAPHICUS.

INDEX CHRONOLOGICUS

PRIVILEGIORUM REGALIUM SIVE IMPERIALIUM QUAE A FRIDERICO SECUNDO ET FILIIS EJUS IN INTEGRUM RENOVATA CONFIRMANTUR ET IN NOSTRA DOCUMENTORUM SERIE INSERUNTUR

1121	junio.	. . . .	*Rogerius II*, magnus comes Calabriae et Siciliae, pro eodem monasterio. T. II, p. 441.
[1135 vel 1136]	. . . . . .	. . . .	*Lotharius III*, Romanorum imperator, pro monasterio Ottenburensi. T. I, p. 718.
1140	28 april.	Panormi.	*Rogerius II*, qui supra, rex Siciliae, pro capella palatii Panormitani. T. II, p. 468.
1153	4 febr.	Mulhausen.	*Fridericus I*, Romanorum rex, pro Rainerio et Gisulpho de Bulgaro. T. V, p. 203.
—	15 —	Bisuntiae.	— Romanorum rex, pro monasterio Paterniacensi. T. IV, p. 833.
1155	13 jan.	Apud castrum Reverul.	— Romanorum rex, pro Guigone Dalphino, comite Gratianopolitano. T. V, p. 186.
—	15 maii.	In territorio Bononiensi.	— Romanorum imperator, pro monasterio Burensi (Benedictbeurn). T. III, p. 178.
1156	20 febr.	Apud Frankfurt.	— Romanorum imperator, pro comite Guidone de Blandrate. T. V, p. 199.
—	17 sept.	Ratisponae.	— Romanorum imperator, pro Heinrico, Austriae duce. T. VI, p. 292.
—	—	—	— Romanorum imperator, pro eodem viro principe. T. VI, p. 295.
1157	23 nov.	Bisuntii.	— Romanorum imperator, pro ecclesia episcopali Avenionensi. T. V, p. 227.
—	—	—	— Romanorum imperator, pro ecclesia episcopali Valentinensi. T. V, p. 262.
1162	10 junii.	Papiae apud S. Salvatorem.	— Romanorum imperator, pro Henrico, marchione de Savona. T. II, p. 661.
1164	17 april.	Apud Sanctum Salvatorem juxta Papiam.	— Romanorum imperator, pro ecclesia episcopali Massiliensi. T. II, p. 250.
1165	19 sept.	Wormatiae.	— Romanorum imperator, pro monasterio monialium Castri Caroli. T. IV, p. 371.
1166	8 jan.	Aquisgrani.	— Romanorum imperator, pro civibus Aquisgrani. T. VI, p. 223.
1170	16 martii.	Panormi.	*Guillelmus II*, rex Siciliae, etc., pro ecclesia archiepiscopali Tranensi. T. II, p. 494.
1171	7 maii.	Apud Werdam.	*Fridericus I*, qui supra, Romanorum imperator, pro monasterio Ottenburensi. T. I, p. 718.

1174	2 aug.	Apud Trifels.	*Fridericus I*,	Romanorum imperator, pro civibus Trajectensibus. T. I, p. 756.
1177	16 aug.	Venetiis, in palatio ducis.	—	Romanorum imperator, pro abbatia Sancti Georgii de Venetiis. T. IV, p. 345.
1178	12 martii.	Apud Montem Pocianum.	*Henricus VI*,	Romanorum rex, pro hospitali Sancti Peregrini in Alpibus Apennini. T. V, p. 354.
—	30 julii.	In palatio Arelatensi.	*Fridericus I*,	Romanorum imperator, pro ecclesia episcopali Diensi. T. V, p. 233.
—	4 aug.	Apud Aurasiam.	—	Romanorum imperator, pro ecclesia archiepiscopali Arelatensi. T. II, p. 473.
—	20 aug.	Apud Lugdunum.	—	Romanorum imperator, pro ecclesia episcopali Gratianopolitana. T. V, p. 189.
1182	27 maii.	Maguntiis.	—	Romanorum imperator, pro civibus Spirensibus. T. IV, p. 708.
—	7 oct.	Augustae.	—	Romanorum imperator, pro monasterio Sancti Udalrici apud Augustam. T. V, p. 997.
1184	29 sept.	Papiae.	—	Romanorum imperator, pro ecclesia episcopali Vapincensi. T. V, p. 193.
—	16 nov.	Vicentiae.	—	Romanorum imperator, pro abbatia Sancti Eugendi in comitatu Burgundiae. T. V, p. 472.
—	. . . . .	Apud Moguntiam.	—	Romanorum imperator, pro monasterio Admontense. T. IV, p. 643.
1185	17 jan.	Laudae.	—	Romanorum imperator, pro monasterio Sanctae Christinae juxta Papiam. T. IV, p. 305.
—	25 julii.	. . . .	—	Romanorum imperator, pro ecclesia episcopali Lucana. T. VI, p. 166.
—	1° aug.	Florentiae.	—	Romanorum imperator, pro monasterio monialium Monticellensi in Tuscia. T. VI, p. 166.
1187	25 april.	In burgo Mozami (?)	*Henricus VI*,	Romanorum rex, pro hospitali Sancti Peregrini in Alpibus. T. V, p. 355.
—	9 nov.	Laudae.	—	Romanorum rex, pro eodem hospitali Sancti Peregrini in Alpibus. T. V, p. 353.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

P. 2, not. 1, lin. 2, *vice* Corbeine, *legendum :* Corbeiae.
P. 85, lin. 23, *vice* Megesolves, *legendum :* Megelolves.
P. 86, lin. 5, *vice* Gronlngen, *legendum :* Gruoningen.
— lin. 7, *vice* Megesolves, *legendum :* Megelolues (Megelolves).
— ad not. 1, *post* Meglofs, *addendum :* sive etiam per nominis corruptionem *Egloss.*
P. 97, not. 2, lin. 2, *vice* ducere, *legendum :* ducendam.
P. 105, lin. 21, *vice* si eum, *legendum :* si se.
P. 111, ad not. 1, *post* consistebat, *addendum :* Primum inter Manfredum et Januenses foedus datum est in campis prope Gualdum Melfiae, anno 1257, mense julii, quintae decimae indictionis. Cf. *Monum. patr.*, Lib. jurium, t. I, p. 1296.
P. 120, lin. 23, *vice* tertium, *legendum :* testium.
P. 146, lin. 17, *vice* regis, *legendum :* regi.
P. 270, lin. 22, *vice* imperator, *legendum :* imperatorem.
P. 328, not. 1, lin. 1, *vice* erat functa, *legendum :* erat vita defuncta.
P. 416, not. 1, lin. 11, *vice* Francesco, *legendum :* Frederico.
P. 440, lin. 20, *post* per regnum, *addendum :* In eodem codice et eodem folio sequitur altera epistola cum hac rubrica : *Hanc epistolam composuit magister Terrisius quam de licentia domini imperatoris misit illustri et egregio viro domino Raymundo comiti Tholosano de captione et punitione proditorum suorum.* Incipit : *Inauditum ab omni seculo, etc.*
P. 457, not. 1, lin. 1, *vice* julii, *legendum :* julio.
P. 463, not. 1, *post* inseruimus, *addendum :* Garruba tamen, loco supra citato, ad ann. 1248 hoc documentum reponit, monetque epistolam Petri de Vinea quae ap. Martene invenitur (*Ampliss. collect.*, t. II, col. 1167, n° 12) ad idem negotium pertinere. Qua vero auctoritate fulciatur, nescimus.
P. 481, lin. 2, *vice* regnum, *legendum :* regno.
P. 483, in margine, *vice* 4 februarii, *legendum :* 4 januarii.
P. 494, not. 1, *post* martii, *addendum :* Eodem tempore Henricus rex, ad supplicationem Bonifacii marchionis Montisferrati, monasterium de Locedio, Stafardam, Casam Novam et alia ejusdem terrae loca in sua protectione suscepit, per privilegium datum Taurini, anno dominicae incarnationis M. CC. XLVI, mense februario, V indictione. Cf. *Irici res patriae*, p. 28.

P. 516, not. 1, lin. 4, *vice* lese, *legendum* : laesae.
P. 532, lin. 4, *vice* P. de Palude, *legendum* : B. de Palude.
P. 683, not. 1, lin. 4, *vice* labere, *legendum* : lambere.
P. 703, lin. 7, *vice* directurus, *legendum* : directurum.
P. 743, lin. 3, *vice* computatis, *legendum* : computato.
P. 744, lin. 2, *vice* recepisse, *legendum* : se recepisse.
P. 781, lin. 16, *vice* in castris, *legendum* : in campis.
P. 934, not. 1, *post* rediit, *addendum* : Vide supra, p. 754, not. 1.
P. 937, lin. 6, *post* quemdam, *addendum* : rogans.
P. 1003, lin. 28, *vice* nulli alio, *legendum* : nulli alii.

INDEX MATERIARUM

HUJUS SEXTI VOLUMINIS.

OUVRAGES DU MÊME AUTEUR

[illegible] MATTHIEU PARIS [illegible] 1840-1841 [illegible] . . . . . 30 fr.

RECHERCHES SUR LES MONUMENTS ET L'HISTOIRE DES NORMANDS ET DE LA MAISON DE SOUABE DANS L'ITALIE MÉRIDIONALE, publiées par les soins de M. le duc de Luynes, [illegible] Paris, 1844, [illegible] . . . . . 70 fr.

CHRONICON PLACENTINUM ET CHRONICON DE REBUS IN ITALIA GESTIS [illegible] Parisiis, 1856, [illegible] Prix [illegible]

HISTORIA DIPLOMATICA FRIDERICI SECUNDI, [illegible] superstant [illegible] ad [illegible] J.-L.-A. Huillard-Bréholles [illegible] Parisiis, [illegible] 1852 à 1860 [illegible] . . . . . 16 fr.

INTRODUCTION À L'HISTOIRE DIPLOMATIQUE DE L'EMPEREUR FRÉDÉRIC II, par J.-L.-A. Huillard-Bréholles, [illegible] Paris, [illegible] 1 vol. [illegible] Prix . . . . . 12 fr.

[illegible]